
NOVA CASSIOPEÏÆ STELLA,



ANTIQVVM PRAEDETERMINATIONIS THOMISTICÆ NEGOTIVM, ORIGINEM, PROGRESSVM


& Necessitatem illustrans ; quâ præcipuis huius temporis Disputationibus sopitis : iuxta SS. Patrum, Summorum Pontificum, Conciliorum œcumenicorum Placita ; ipsa Libertatis Creatæ Indifferentia tàm facilè demonstratur, quàm apertè traducitur laruata obsequij beneuolentia Diuo Thomæ exhibita ; à R. P. D. Petro à Sancto Ioseph Fuliensi, in libro cui hæc speciosa frons est ab ipso immeritissimè præfixa :

DEFENSIO S. THOMAE DOCTORIS ANGELICI aduersus Physicę Prędeterminationis Propugnatores.

TOTI HVIC OPERI FINEM IMPONIT CASSIOPEYÆ jubar, siue Synopsis, in qua tanquam in speculo, quidquid est illius ... tribus Libris exaratum, compendiosiùs in memoriam reuocatur quinque Paragraphis, veluti totidem prædictæ Stellæ radijs ; quibus tantùm affulget luminis, etiam nouis rationum momentis, quantùm sufficere possit, vt caligo Defensionis prædictæ, penitùs discutiatur.

SPLENDORE QVOQVE HVIVS STELLÆ, CONSENSIO Sanctissimi Hyponensis cum Dogmatibus Angelici Doctoris, circa Concursum Primi Motoris, in statu naturæ innocentis, euidentissimè innotescit. Et Thomisticâ notione Sufficientis Gratiæ vindicatâ, alterius potentioris, concordia, cum Liberi Arbitrij creati indifferentia fit adeò manifesta, vt Judicibus vel ipsis Doctioribus Thomistarum Æmulis, tota in gratiam Discipulorum D. Thomæ dirimatur controuersia.


AVTHORE AC PROPVGNATORE P. F. IACOBO à Sancto Dominico, Ordinis Prædicatorum.



col.

LINGONIS;
Apud NICOLAVM SECARD, Typographum & Bibliopolam Vrbis.
M. DC. LXVII.
Cum Licentia Superiorum, & Approbatione Doctorum.





EPISTOLA DEDICATORIA

SANCTISSIMO PATRIARCHÆ

FRANCISCO DE PAVLA:

INTER CÆLITES MODO TRIVMPHANTI:

Ejusque in CHRISTO Religiosissimis ac Doctissimis Filijs, nomine MINIMIS, Thomistico in Lyceo deinceps militaturis.

MIRABITVR forsitam quis vestrum (Reuerendi admodùm Patres) quòd Sanctissimum Patriarcham vestrum præ cæteris elegerim, vt sub [illegible] haud dissimili, Majoris Nominis Viros, & quandoque Reges ipsos, Tyarasque Pontificum, vt emissa luce, ex eminentiori culmine, eorum opera, remotiores in partes, pluribusque innotescant. Selegi ego, & quidem de industriâ, Piissimum Cælitem, cui si licuisset, carere nomine, siue anonymum esse, dum hìc viueret; sine dubio nunc mundo Minimè innotesceret, qui, vt de eo narrat historia humilitatem (quæ semper latere gestit) adeò coluit, vt sibi nimiùm videretur, si nomen Minoris assumeret, ideoque se omnium Minimum diceret, suosque Alumnos nuncupari vellet MINIMOS.

Quod si aliquandò licitum fuit Diuo Ambrosiò, relictis propriæ familiæ stēmatibus, sanctos Geruasium & Protasium assumere in Patronos, cum hac inscriptione Tales ambio defensores. *Quidni liceat & mihi, Sanctissimum Patriarcham, eiusquè Alumnos inuocare in tutelam operis, quod cum sit institutum, ad propugnandum supremum illius Dominium, cujus super humiles requiescit Spiritus, ad illos quoque singulari jure pertinere dignoscitur: qui quantò humiliores voluerunt esse coram hominibus, quo sint & tantò eminentiores merito coram Deo [illegible] humilibus dat gratiam; vt splendore doctrinæ, vitæque innocentiâ ac puritate, tepescentem in mundo pietatem foueret, Christianos majori ex parte sopitos, excitaret; hæreses extirparet; errorum nebulas dissiparet, innumerosque peccatores meliorem in frugem quotidie reduceret: ac in illis incredibilem vitæ Veterum Thebaidos, Ægypti & Syriæ Patrum austeritatem, cum Apostolico & ardentiori recentiorum zelo coniungeret. Quare non miror Reuerendi admodùm Patres, si iam vestri, tanta sit in Orbe fama Sanctitatis, ex bonitate (sui diffusiua) quâ insigniti Patres vestri primò fuêre, non sine speciali prouidentia Dei; Nomen vestrum adeò breui temporis spatio, tanquam oleum iamiam vbique effusum sit.*

Alterum quod me vobis accurrere coëgit, vestrumque in consortium efficacius illexit; fuit rependendi studium qualecumque grati animi specimen; quòd Sanctissimum Diuinæ voluntatis interpretem, Angelicum Doctorem, in inclytum ducem doctrinæ (de quo

possem dicere , & quidem potiori iure , quàm de Bartolo quispiam dixerit) errat qui sibi vult , alium præposuisse Ducem , *vestris in Comitiis Generalibus Barcinone vltimò celebratis , communi omnium vestrum voto selegeritis. Quod arbitror sic Diuinitùs dispositum , ne vllus esset sacrarum Chorus Musarum qui magni hujus Apollinis, communis Magistri Orbis , merita non celebraret ; etenim qui ab Angelico Doctore dissidet* post quem totus ferè abit mundus , *(à quo Philosophię acTheologię Candidati omnes, responsa in dubiis accipiunt Delphicis multò certiora Oraculis) à celeberrimo Doctiorum exulat consortio.*

Vt quid ergo non adsint viri tantâ pietate illustres, tantâque eruditione exculti , iampridem hoc in litterario agone impatienter expectati ? Sanè Angelico defuisset triumpho pars exercitus, & numero, & merito valdè nobilis, si defuisset Minimorum cohors Seraphi-Cherubica,quam Piissimus Patriarcha misit in castra, vt non solùm Antiqui Heroes, sed & recentiores Minimi testes essent oculati, viderentque quàm rectè agerent fratres sui in defensione Doctoris Angelici , aduersùs eos, qui dum de scientiis agitur Gigantes se esse gloriantur. Sed quid eos dixi testes, quos potiùs vocare debui strenuos Commilitones , de quibus si ex affectu erga D. Thomam (vt par est) coniicere licet , Thomisticam in arenam non descendunt vltimi, nisi vt sint Nouissimi Primi. *Existimet aliquis , hìc de re modica sermonem institui ; per me licet. Dicat , si lubet , Prædeterminationem Thomisticam , granum esse synapis : placet : Et hoc fortasse, ne* Minimum *quidem hactenùs, verùm modò splendore huius stellæ tàm euidenter à tenebris erutum, vt ad percipiendum solis opus sit oculis : & hoc quantę sit virtutis & efficacia faciliùs indicabit, qui attentiùs indagare voluerit , quantæ ex eo segetum aristę nascantur, siue quot arcana ex eo pendeant in vtraque Philosophia. Sit ergo nunc sine controuersiâ granum istud cum cęteris doctrinæ Thomisticę seminibus , &* Minimum *quia vestrum : vestro in solo excultum, fiet arbor crescens in immensum, in cuius ramis, volucres Cæli habitent, homines scilicet excellentissimo ingenio prędit, quos hac in re , diutiùs mansisse sub caligine sine dubio pœnitebit.*

Quod si ea , quę ab initio sunt voluntatis , ex post facto sunt necessitatis , vt humana lege sancitum est. L. sicut. C. de actio. & obliga. *gaudeo planè , quòd hâc nostrâ ætate contigerit , nos sic adunari, & fœlici hac necessitate adstringi, quæ nos ad meliora compellat : iamque vobis ac nobis commune sit, hunc nostrum Salomone Sapientiorem, non solùm in Sapientię Lectulo quiescentem ambire , sed ad bella procedentem , & in castris agentem , perpetuo Litterarię militię Sacramento comitari. Porrò si turpe sit, iam non deputetur nobis adstrictum , vel pedem à sui Ducis [illegible] retrahere ; Cur ignauię tegit , in litterarum palęstra , huic non adstringi Angelico Doctori , tot hostium Triumphatori , tot hęresum Extirpatori , tot Vniuersitatum ac Ordinum , ne dicam totius Ecclesię Pręceptori : quo destitui in sapientię castris, non minoris sit aut leuioris periculi , quàm sine duce, hostiles inter acies militare.*

Non dubito , quin hâc in controuersiâ , totius Philosophię difficillimâ, verborum delectus, & concinnatę Oratorum periodi desiderentur : sed memores vos esse cupio, inter militares astus, & castrorum puluerem, delicata non quęri, sed fortia. Quòd si in Templo aliàs rudia quędam oblata sint vt biantinę & rubricatę arietum pelles, opertoriaque cilicina, nec tamen repulsam passa : quia vtilia, vt diuitem illum Tabernaculi sacri apparatum, tantâ auri & gemmarum varietate splendentem tegerent. Quid mirum si nõnulli termini Rhetoribus quidem insoliti, immò & quadã asperę distinctionum enũtiationes philosophicę, quibus pretiosa veritatis & doctrinę suppellex D.Thomę est contecta:

hic reperiantur. Hanc vobis offero (Patres admodùm Reuerendi) non amplius laruatam nouis Antithomistarum commentis (qui D. Thomę opera euoluisse non videntur, nisi vt sanctum Doctorem tenebris inuoluerent) sed totâ, quâ potui perspicuitate enucleatam; & in re, quam si dixero, totius Philosophię Thomisticę basim & fundamentum, immò & lydium lapidem, quo veri D. Thomę discipuli, à falsis dignoscuntur, pauci sunt qui non suffragentur.

Totum quod ex me est hoc in opere, modicum est, fateor: & fortè, nullum: & idcircò exiguum nimis, vestrisque impar meritis munusculum, quod exhibetur (quodque iam ab annis tribus, in omnium vestrum esset manibus, nisi ad Superiores transmissum, errore viarum, tam lento gradu ad me rediisset.) Verùm, non quantum, sed ex quanto velim perpendatis, eâdemque quâ porrigitur manu, (quę profectò dextra est) accipiatis ab

Humillimo vestro Diui Thomæ Condiscipulo,
Fratre IACOBO à Sancto Dominico Ordinis
Fratrum Prædicatorum, Conuentus Lingonensis Alumno.

LICENTIA REVERENDISSIMI MAGISTRI ORDINIS.

Nos Frater Ioannes Baptista de Marinis Sacræ Theologiæ Professor, Ordinis Prædicatorum humilis Magister Generalis & Seruus.

HArum ſerie, noſtrique authoritate officij, tibi Reuerendo Patri Fratri IACOBO à Sancto Dominico Magiſtro Nouitiorum Conuentus noſtri Lingonenſis Congregationis & Prouinciæ Franciæ Licentiam facimus & facultatem in lucem edendi tuam *Caſſiopeïam* de Prædeterminatione phyſica: præhabitâ approbatione trium in ſacrâ Theologiâ Doctorum ſeu Profeſſorum Ordinis noſtri, ſeruatiſque iuxta Sacros Canones, decreta Summorum Pontificum, conſtitutiones noſtras, & acta Capitulorum Generalium, *&c.* de iure ſeruandis. Datum Gallicani apud Sanctum Paſtorem die 15. Iunij 1664.

Frater IOANNES BAPTISTA DE MARINIS, *Magiſter Ordinis.*

Frater IACOBVS BARELIVS, *Magiſter & Socius.*

Regiſtrata fol. 114.

Approbatio Profeſſorum Ordinis.

PErlegimus ex mandato Reuerendiſſimi Patris Generalis libros tres, & breuem eorum ſynopſim de Prædeterminatione, ſub hoc nomine *Noua Caſſiopeïæ ſtella, &c.* Authore Reuerendo P. Fr. IACOBO à Sancto Dominico Ordinis Prædicatorum, quibus hoc ſuffragium nos debere cenſuimus: vbique Angelici Præceptoris mentem Author aſſequitur, totque teſtimonijs comprobat ex omnibus ſuorum operum partibus exactè quæſitis, vt manifeſtum ſit, nihil frequentius à D. Thoma vſurpatum, eâ Dei motione ſuauiter efficaci, quâ creaturam regit, mouet ac ducit, & quæ vt Chriſtianæ humilitatis, ita Thomiſticæ doctrinæ fundamentum eſt: eâ verò ſedulitate, & in euoluendis Sancti Thomæ operibus diligentiâ ſanctiſſimi Magiſtri moderationem animi didicit, nihil ſibi aſperius in aduerſarios permittentis. Parùm fuerit nullum vnquam liberius verbum excidiſſe in eos, quos pro ſuæ ſcholæ vindicijs & veritate vrget; ita agit, vt ſanè gloriari poſſint à viro Religioſiſſimo etiam laudes promeruiſſe. Opus quod egregium ſuæ ſcholæ eruditionis & Chriſtianæ Charitatis ſpecimen eſt, digniſſimum publicâ luce iudicamus. Datum Pariſijs die 10. Octobris 1665.

Frater BERNARDVS LAPALISSE Prior Nouitiatus Generalis Pariſienſis, & Doctor Theologiæ.

Frater VINCENTIVS BARON Theologiæ Profeſſor.

Frater ANTONINVS MASSOLIE' Lector Theologiæ.

Facultas Reuerendi admodùm Patris Prouincialis.

NOs Frater ELIAS COVRAND Doctor Theologus, & Prouinciæ Franciæ Ordinis FF. Prædicatorum Prior Prouincialis : visâ facultate Reuerendissimi Fratris IOANNIS BAPTISTÆ DE MARINIS, totius nostri Instituti Generalis Magistri, P. F. IACOBO à Sancto Dominico Conuentus nostri Lingonensis concessâ, typis mandandi suam de Prædeterminatione physicâ *Cassiopeïam* : Item visâ trium Doctorum Ordinis nostri Approbatione : præsentium tenore, & nostri authoritate officij, eidem Patri suam commemoratam *Cassiopeïam*, in lucem emittendi facultatem quoque facimus. Datum in præfato nostro Conuentu Lingonensi die 7. Augusti 1666.

F. ELIAS COVRAND, *qui supra.*

Facultas Reuerendi admodùm Patris Commissarij.

NOs Frater FRANCISCVS GORGEAT Doctor Theologus & Conuentuum strictioris Obseruantiæ in Prouincia Franciæ FF. Prædicatorum Commissarius Generalis; tenore præsentium facimus facultatem R. P. Fratri IACOBO à Sancto Dominico, quâ possit (habitâ jam Licentiâ Reuerendissimi Patris Generalis & Approbationibus necessarijs) opus à se editum typis mandare. Datum in Conuentu Pruuinensi die 20. Nouembris 1665.

Frater FRANCISCVS GORGEAT Commissarius.
qui supra.

EXIGVA TOTIVS OPERIS IDEA;

TOTAM PRAEDETERMINATIONIS PHYSICAE OECONOMIAM PRÆFERENS.



ICVT maiori ex parte, quasi sub dubiâ luce versamur, ob longa, ex absentiâ Phœbi crepuscula, quæ vel ex eius diuturnâ ad nos redeundi nostris ex antipodis morâ, aut ex celeriori eius à nobis recessu, in subsequentis chaos noctis, præueniant. Ita in præsenti contigisse arbitror: tot enim ex vtrâque parte; id est, tùm ex antiquâ animi Philosophorum præoccupatione: tùm ex apparentibus rationum momentis quorumdam Modernorum, suscitatæ sunt difficultatum nebulæ; vt vix hactenus, hanc veritatem, quam hîc suscipimus propugnandam, licuerit clarâ luce intueri. Vt has igitur quantùm de sursùm nobis datum fuerit à Patre luminum remoueamus tenebras; rem totam Diuino fauente Numine, tribus Libris conficiemus: quorum quilibet 16. capitibus constabit. In primo Præmotionis physicæ originem & progressum ab initio creaturæ perscrutabimur, vt à nouitatis suspicione purgentur Thomistæ; detractis octo sipariis, omnes laruas, quibus Diui Thomæ doctrina vsque modo hâc in parte, obducta est, aufferemus. In secundo Libro, quasi in meridianâ luce euidentior apparebit hæc Prædeterminatio, tot rationum splendoribus, vt superfluum sit, plura desiderare argumenta, Iudicibus ipsis Thomistarum Æmulis. In tertio denique Libro, omnes soluentur rationes quæ contra hanc Dei præmotionem militare videbuntur; factâ aduersus R. P. Fuliensem, Thomistarum apologiâ; exactissimâ responsione ad singula argumenta quæ in prætensâ suâ defensione Diui Thomæ, sunt ab ipso allata; excogitatis ac solutis pluribus aliis argumentis Longè vrgentioribus, quibus volontarius ille defensor Diui Thomæ potuisset potiori ratione, seu prætextu magis apparenti, sui certaminis aciem instruere aduersus Thomistas

INDEX CAPITVLORVM TOTIVS OPERIS

LIBRI PRIMI.

LIBRI SECVNDI.

In quo prædeterminatio Thomistica stabilitur.

LIBRI TERTII.

In quo Dom Petro Fuliensi respondetur.

Sequitur Synopsis totius operis, quinque Paragraphis, veluti totidem prædictæ Stellæ radijs. pag. 157.

CANDIDO

THEOLOGIÆ CANDIDATO

Num. I.  VANQVAM non sit facile, nouæ huius Stellæ, quæ in Constellatione Cassiopeyæ anno 1572. apparuit, causas pro certo definire; attamen haud difficile erit sufficientem hîc rationem reddere, cur hoc opusculum ejus nomine placuerit insignire: sicut enim rei nouitate stupentes quidam Astronomi, hanc falsò dixerunt, aut in firmamento nusquam fuisse, aut corpus illud nobilissimum corruptioni esse obnoxium: ita sanè nonnulli Philosophi trepidantes timore vbi non erat timor; sibi alijsque Præmotionem Physicam, nusquam reperiri apud Diuum Thomam persuadere maluerunt; quàm occurrentes superare difficultatum montes, quos in eâ propugnandâ, aut cum libertate conciliandâ, vix & ne vix quidem euinci posse putarunt; minusque inconueniens arbitrati sunt, hoc argumenti negatiui genere, cuncta quæ contra eam fieri possent argumenta explodere, quàm de eius soliditate doctrinæ, vel leuiter dubitare. Sicque obfirmato animo, hanc negarunt vsquam in Angelici Doctoris operibus apparuisse: sed præter firma eius dogmata (quibus velut syderibus, totus illuminatur orbis Christianus) inductam; ideoque non stellam firmamenti huius mystici Ecclesiæ militantis, sed cometam potius, nimijs discipulorum Diui Thomæ vigilijs deprehensum, qui solidam Sancti Doctoris doctrinam argueret corruptionis.

II. Sed (pace eorum dixerim) inanis est illorum pauor, excusandusque reuerentiæ erga D. Thomam, illorum affectus, quo tàm cæcè impingunt in firmissimam solidioris philosophiæ basim; ne dicam in solidissimum totius Theologiæ fundamentum; quo diruto aut excusso, periculosis erroribus patet aditus, & Supremo Numini modus quidam agendi denegatur, illi soli proprius: insuper & atrox Ecclesiæ injuria irrogatur, quæ vt ait Summus Pontifex Paulus Quintus *In Breui ad Neap. die 17. Dec 1607. Scriptorum Angelici Doctoris militans clypeo, hunc integrum seruare capit, quo hæreticorum tela, tam fæliciter elidit*: Frustraque moliuntur pauidi illi reformatores illudere Thomistis, hac tam rudi Mineruâ, vt eorum neminem lateat, nisi volentem decipi.

Verùm, specialis alia subest ratio impositionis hujusmodi nominis: cum enim asserat Scriptura *Iudic. 5. Stellas Cœli pugnasse aduersus Sizaram*, quod interpretantur, *videns hirundinem*, quæ non nisi aspirante fauonio ad nos reuertitur. Per hanc auiculam optimè intelligi posse arbitror illorum doctrinam, qui non nisi placentia loqui ambiunt, quique *Ad fabulas conuersi prurientes auribus*, tot sanctis Doctoribus detrahere non verentur, quasi sit scelus quoddam immane, intellectum non captiuare in obsequium nouitatum, quibus incautos ludificantur.

III Liceat igitur ad explicandam Præmotionem Thomisticam, nouæ huius stellæ, nomen vsurpare, vt illius splendore solutis opinionum nebulis, Diuini huius Theologorum Oraculi, ne dicam Miraculi, Solis luce, doctrina clarior, in suo nitore integra permaneat. Etenim sicut quidam Philosophi stellam hanc prædictam semper in Cœlo fuisse asseruerunt; specialiter tamen per biennium apparuisse ob ingentem exhalationum copiam, in quibus tunc temporis, velut in speculo euidentius splendesceret prouidentiâ illius, qui *Stellas claudit quasi sub signaculo. Iob 9.* Sic vtique dixerunt Præmotionem physicam nomine huius stellæ signatam, semper constantem fuisse in doctrina D. Thomæ, quandoque etiam non solùm re, sed etiam proprio nomine expressam (vt infrà constabit) nusquam tamen euidentiùs apparuisse, quàm subortâ nube rixantium æmulorum contradictione, qui sanam sancti Doctoris doctrinam non sustinentes, Christi Domini testimonio vsque tertiò comprobatam, sine scrupulo eius infamant discipulos, vt eorum quæ præ manibus habeo scripta testantur, (quorum morsus, dicteria, injurias, scurrilia scommata, aliaque id genus, alia pungentium verborum acumina ita dissimulare cupio, vt nec legisse videar) quibus & hanc Præmotionem hæresis labe notare non metuunt, Decreto Summi Pontificis Pij V. non obstante.

IV. Hoc ergo à me exigit, vel solum moderamen inculpatæ tutelæ, aut saltem æquum grati animi erga sanctissimum Præceptorem testimonium, à quo tàm apertè dissentiunt, quemque tàm indignè excipiunt, vt quod ipsi sancto Doctori sit magis familiare ac proprium, centies ad minus ab ipso repetitum; audacter & pertinaciter denegent. Nec proinde se sancti Doctoris vestigia sequi desinunt gloriari, quem inuitum & reluctantem non rarò pertrahunt (vt euidentissimè, Deo fauente, demonstrabo) cum vel ad reuocandum in dubium vtrum ex D. Thoma ortum habuerit Præmotio physica, cæcutire oporteat in meridie. Vt ergo tanquam rebelles lumini conuincantur (si persistant) huiusmodi Doctores; aut saltem Angelici Doctoris, voluntarij probentur desertores; qui ideò, hoc vel solo recessu, vt ait Summus Pontifex Innocentius Sextus *In serm. de Laud D. Th. Semper erunt de veritate suspecti*. Eius, quod mihi soli conquisieram, alios participes fieri necesse fuit.

Hoc igitur suscipio opus, non quidém contra Sizaram pugnandi cupiditate, sed solius iustæ defensionis & tuendæ veritatis necessitate coactus; si enim vt ait Scriptura *Iudic. 5. Stellæ manentes in ordine aduersus Sizaram pugnauerunt.* Nulla sanè est tàm exigua, quæ aduersus Sizaram, id est, hos plebeiæ complacentiæ aucupes, militare non debeat. *Iob. 9. Quis enim restitit Deo, & pacem habuit?* Maximè cum ex eliminatione Præmotionis physicæ, supremum Dei dominium impetatur. *Prou. 21. Qui corda Regum habet in manu sua, ad ea inclinanda quocunque voluerit.* Quod si in Ægypto culices Pharaoni dicenti, *Exod. 5. se nescire Dominum*, molestiam intulerunt. Nullus profectò est, qui non debeat in eos insurgere, qui verè Deum se nescire profitentur, si in modo agendi, singularem hanc (quam per præ-

motionem sibi vendicat) prærogatiuam ipsi denegent. *Quis, enim, Ps. 138. (& in agendo) similis Deo, in filijs Dei?* Qui *Sap. 8. attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Cuiusque, *Rom. 12. Viuus est sermo & efficax pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus, compagum quoque & medullarum, qui discretor est cogitationum & intentionum cordis.*

V. Attamen, iuxta præceptum Apostoli. *Rom. 12. 21. Non malum reddens pro malo, sed vincens in bono malum.* Nullius hìc cuiusquam nomen aut personam aperiam, nisi datâ opportunitate aliquid in eius laudem insinuandi, vt omnes noscant, & ipsi, solius veritatis studio hoc à me opus esse susceptum: cuius euidentiâ coacti, vnum hìc simus, tàm arcto Charitatis vinculo in Ecclesia Militante, quàm stricto, fauente Numine erimus in Triumphante: Nam vt ait D. Gregorius. *Orat. 1. de pace. Nihil eos qui sincero animi affectu Deum colunt, æquè inter se conciliat, atque consentiens de Deo doctrina: quemadmodum contra, nihil ad dissidium ita promptum & paratum est, vt diuersa hâc in re, animorum sententia.*

Maximè refugiebat animus hìc de re verba texere; verùm, integram omnis timoris & scrupuli occasionem remouit R. Adm. P. Philippus à Sanctissima Trinitate, qui in Prologo ad Lectorem tom. 2. in 1. 2. D. Thomæ habet quæ sequuntur.

Diù (inquit) *suspensus fui circa impressionem huius tractatus de gratia, quantum attinet ad duas disputationes de auxilio Diuinæ gratiæ, & eorum concordiâ cum libero arbitrio; cum alias talis impressio fuerit prohibita per Summos Pontifices, Paulum V. & Vrbanum VIII. Sed inquirens circa hoc, responsum mihi fuit à viris Doctissimis & Religiosis, tum in Gallia, tùm Romæ, vnde nunc redeo; talem prohibitionem expirasse, & impressionem huius materiæ nunc permissam à Summo Pontifice (dummodò à censurâ contrariæ partis abstineatur) cùm ipso sciente & prudente; quotidie plures circa illam prodeant tractatus: non enim solum in defensionem & impugnationem Ianseny repetita apologia, sed etiam alia opera; vt opus Suaris de auxilijs, prodierunt. His suppositis opportunum, immò pœnitùs necessarium duxi; antiquam Angelici Doctoris D. Thomæ & discipulorum eius doctrinam proponere, tanquam mediam inter Ianseny & Molinæ opiniones, vt facilè legentibus appareat, quantum ab vtroque discedat extremo: non desunt enim qui Ianseny doctrinam cum doctrinâ Thomisticâ in omnibus confundant, & ex victoriâ, quam suprà aliquas Ianseny opiniones sibi promittunt; se victores suprâ Thomisticam in hac materiâ doctrinam futuros, vel ignoranter vel malitiosè glorientur: Multa bona docuit Iansenius, & in his in quibus cum Thomistis conuenit, securus est: Doctrina quippè Diui Thomæ (vt vtar verbis eiusdem Angelici Doctoris de quadam Sancti Augustini sententiâ loquentis) satis est suo Authore tuta, & maximè in hâc materiâ de gratiâ, in quâ conuenit cum Augustino: & vtriusque tanta est authoritas, vt eorum Libros, tanquam lydium lapidem ad examen huius materiæ Summi Pontifices semper proposuerint. Et hâc in parte adducens dictum cuiusdam Principis Hispani, Affirmo, doctrinam Thomasticam exinde securam apparere, quod eius sequaces decisionem Apostolicam huius materiæ desiderent, ac procurent, confidentes in suæ causæ iustitiâ. Soli illi timeant, qui hanc decisionem refugiunt & impediunt, quasi de suâ causâ desperantes.* Hæc ille.

VI. Ab omni igitur censuræ præiudicio, circa contrariam opinionem hìc in responsione, ex animo abstinere me profiteor; Summi Pontificis nedum expectans; sed & ambiens hâc in re iudicium. Sed prædictis nõ obstantibus vix possum hìc abstinere ab exigendâ fide à nostro Fuliensi defensore, qui ipsemet vnico verbo suspectam reddidit totam suam defensionem: Nam cum refert Historiam de auxilijs, ab extraneis ideòque nusquam suspectis, conscriptam (de quâ hìc nullam facio mentionẽ, ob reuerentiam D. Papæ Alexandro VII. debitam) multa arripuit ex eâ in suæ causæ commodum, & in Molinæ patrocinium, (cujus fuit defensor acerrimus, ac de eo potiori iure meritus, quàm de Doctore Angelico) Alia subticuit, *quia* (inquit) *apertè fauebant Dominicanis, ita habet, disp. 4. sua concordia.* (De qua infrà) sect. 4. n. 4. Egregium sanè Librorum arbitrum (inquit P. Baronius) quos metiebatur aut euulgabat, vt è re suâ fore videbat, nulla boni publici ratione attentâ. Et hoc iterum sit specimen eorum, quæ in tota sua defensione D. Thomæ sunt à nobis examinanda.

VII. Verum, quia pluribus Patrum & Scripturæ testimoniis, aut truncatis, aut alienos in sensus contortis (in quibus auxilij seu gratiæ nomen insertum conspicitur) aduersus Præmotionem Thomisticam militant Authores oppositæ sententiæ; ipsa integra & sincera referam, stando semper in limine controuersiarum Diuinæ gratiæ, quantùm pati poterit iusta defensio. Et precor, hoc vnum præ oculis habeat Candidus Lector, ne in prędictis referendis Scripturę testimoniis, quibus ludunt aliqui, vt aliis illudant, me ipsum existimet delusum, ex eo quod sæpius in illis sermo sit de auxilio supernaturali, quasi aliud sit omninò ab instituto, scilicet à Pręmotione physicâ; nam præter hoc, quod huiusmodi modo philosophandi non vtimur, nisi vt oblato ab authoribus quos impugnabimus, semper valet & quidem efficacissimè argumento à simili, etenim ratio ob quam plures negarunt causam primam influere in secundam (quod fit Præmotione Thomisticâ) hæc potissima fuit, vt viam sibi sternerent, ad negandum gratiæ influxum in liberum arbitrium, ex eo quod fieri non posse existimarent sine libertatis læsione: At, quàm à vero aberret hæc suspicio, innumeris euincemus argumentis.

VIII. Plura, occasione prædictâ inseremus, studiosiusque timabimur, vt quàm exosum fuerit gratiæ vocabulum pluribus infensissimis Ecclesiæ hostibus, appareat: vnde & in illis superbiæ fomes, toties ab hoste antiquo suscitatus, vt Christi fideles deciperet, quæ temporibus extremis, tanta erit in filio perditionis, vt tanquam sit Deus se se extollat: Contra quem expedit Christi alumnos ita esse in fide præmunitos, & in Christianâ humilitate radicatos, vt propriam non ignorent infirmitatem, & ad eum recurrere sciant *cui non est similis in fortibus*, quò solùm tendit Præmotio, quam hìc propugnamus, solidum veræ humilitatis fundamentum, aduersus pestiferam superbiæ nutricem, vanam scilicet liberi arbitrij creati sufficientiam, ex quâ supramodum elatâ, nonnulli Thomistas impugnare hac in parte non erubescunt, quos (fauente Numine) ita conuictos solâ euidentia hoc opus efficiet, vt à Diuo Thomâ necesse sit eos recedere; aut Præmotionem, quam tandiu, totque modis impugnarunt, admittere: cuius illibatæ doctrinæ, quantùm detulerit ipsum Concilium Tridentinum, disces, tum ex vno Baronio, *In scho. Martyr. Rom. 7. Martij*: tùm ex Puyua, *in Serm. de Laud. D. Thom.* asserente, omnes Concilij Patres substitisse in definitione, de Sacerdotum ordinatione

in nocte cœnæ, ex eo quod aliquis malè opposuisset, id esse contra doctrinam Diui Thomæ, omnes vno animo existimantes periculosum esse, in aliquo dissentire ab hoc Sanctissimo Doctore.

IX. Quod vtinam perpendisset ille (cuius, ob sui status amorem reticeo nomen) qui summa temeritate scribere ausus est, *morem sequendi D. Thomam, cæcam esse & superstitiosam seruitutem, & pecuinum obsequium, sanctumque Doctorem vocauit, obiectum fatui amoris Thomistarum.* Quod tolerabilius esset ab hæretico, quàm à Christi dictum Præsbytero: Quem scripsisse absque vllo prorsùs errore tot Summi Pontifices, Christi Vicarij testati sunt. Verùm, vt in aliquo Angelici Doctoris moderationem animi possimus imitari; nec oblatam adeò iustam conquerendi occasionem aut criminandi acceptamus.

Parùm modestius loquutus est R. Pater à sancto Ioseph Fuliensis, aut saltem non tàm apertis iniuriis aut morsibus vt alij plures; non tamen verius; quamuis libro, quem composuit, in quatuor partes diuiso, tertiò iam in lucem edito, speciosum hunc titulum præfixerit: *Defensio Sancti Thomæ Doctoris Angelici, aduersus physicæ prædeterminationis propugnatores.* Cuius libri editionem secundam *Paris. apud Iosse* 1643. affirmat Author fuisse à semetipso *accuratè recognitam & illustratam.* Quæ sanè illustrior esset, si magis sincera esset & verior; In qua defensione (quam verè diceres, impugnationem) primo intuitu quatuor animaduerti, quibus sub illo officioso defensionis vocabulo, quo incautis (quâ intentione non iudico) illudit; veram instruit Author ille artem oppugnandi potius Sanctum Doctorem, quàm propugnandi; sana cuius doctrina non minus sit opposita placitis huius voluntarij defensoris, quantùm ad præsens spectat, quàm lux ipsa tenebris.

X. Primum igitur quod in hac defensione, Lectoris dignum animaduersione existimaui, est, quod à quatuor præcipuis doctrinæ Diui Dhomæ basibus seu principijs ita declinat, vt ea, ne quidem vidisse, ipse videatur; ex quibus non potuisset non inferre, quam molitur impugnare prædeterminationem vt clarebit ex hac stella lib. 2. c. 1 & 2.

Secundum etiam quod primo aspectu non latet, est Quòd tanquam certum in tota sua defensione D. Thomæ existimet P. Fuliensis; Causis secundis per suas vires operatiuas in actu primo constitutis, nihil esse necessarium præter concursum Dei simultaneum, vt ipse palàm declarat pag. 2. prætensæ suæ defensionis; cuius simultanei concursus insufficientiam Deo dante infrà lib. 1 cap. 12. demonstrabimus: passimque discrimen aperiemus, quod aut non vidit, aut à se visum, cautè dissimulauit Author, inter agens creatum habituale, & actuale, minus scrupulosè quàm par sit, à pluribus alijs examinatum.

XI. Tertium quod vix tolerari possit in hac fuliensi defensione est quòd perpetuò suis conclusionibus, Thomistis imponat per prædeterminationem destrui libertatem, aut agendi necessitatem induci, vt patet passim per totum opus ab ipsa præfatione, in quâ hæc habentur *Thomistica, sc. prædeterminatio, cum non audeat apertè, contra libertatem & gratiam sufficientem pugnare, conatur hac, cum inuectâ agendi necessitate conciliare:* rursùmque ibidem ait. *Cum verè positâ gratiâ prædeterminante, nullus libertati aut gratiæ sufficienti relinquatur locus.* Ex ijs iam apparent probrorum & calumniarum flores, quibus tota ipsius defensio respersa est, quas falsissimè affingit ille Thomistis, qui nec palam nec clam libertati aut gratiæ sufficienti aduersantur, qui omnes prædeterminationem tuentur saluâ semper libertatis creatæ indifferentiâ, sine vllâ coactione, aut injecta, vt loquitur, agendi necessitate. Exceptâ eâ quam defensor ipse mihi imponit methodū ipsius immutandi, ne in respondendo sim tædio Lectori, centies eadem repetendo, quæ saltem in vno Thomistarum ostendere debuisset, antequam omnibus falsò imponeret.

XII. Quartum denique est, quod in eadem præfatione promittat P. Fuliensis, velle se ostendere *breuiter & dilucidè, quàm aliena sit à mente D. Thomæ prædeterminatio Thomistica, prolatis in eam, quamplurimis testimonijs, quæ ex omnibus illius operibus Theologicis, non indiligenter alias à nobis excerpta sunt.* Quæ sanè si verè quandoque excerpta, ita truncata sunt aut immutata, vt non magis Diui Thomæ sint, quam sit vngula ex corpore: vnde non mirum, si non ex illis, sed ex multa verborum farragine, quam ipsis, D. Thomæ testimoniis, tàm eleganter quàm fraudulenter adnexuit, conclusiones suas elicuerit.

Verùm, imprimis necessarium duxi, iterùm atque iterum beneuolum præmonere Lectorem, vt subdolam defensionis miretur calliditatem, quæ in nullo euidentius elucet, quàm quod omnia aut saltem efficaciora Thomistarum argumenta, vt par esset, proposuisse gestiat, relictis omnibus rationum momentis & D. Thomæ authoritatibus integris ac sinceris, ex quibus non minus euidenter sequitur prædeterminatio Thomistica, cui aduersatur ille, quàm lumen à sole oriatur, vt testis & index esse poterit, quicunque huius defensionis prætensę fragmenta conferre voluerit, cùm innumeris propemodum Diui Thomæ testimoniis, quibus fauente Numine hoc opus integrum quod suscipimus, ad satietatem vsque refertum prodibit.

XIII. Satius esse forsitan iudicaret quispiam ab his quæstionibus penitus abstinere, quàm his implicari. At, quisnam Thomistis, veram in omnibus sequendi doctrinam D. Thomæ impositam esse nouit necessitatem; Ac cæterorum omnium licentiam ferat accusandi, illosque criminandi nedum erroris & ignorantiæ, verùm & hæresis sæpius damnandi? Quis damnatur inauditus aut indefensus? Itane insontis misera sors vt continuò fiat reus, si cuicumque iniusto agressori manus non dederit? Iuribus planè omnibus *contra iniuriam licita defensio proclamatur Lege vi vim de iustitia & iure.* quibus insuper statuitur *non decipientibus sed deceptis subueniendum dolisque ac fraudibus modis occurrendum.* Nam vt ait Gratianus in Decret. dist. 83. *Error cui non resistitur, approbatur: Et veritas cum minime defensatur, opprimitur.*

Verùm, hoc vnum mihi est cordi, huic obtemperare legi, quæ præcipit *discordiarum occasiones penitus remouendas. leg. aquiß. de vsufr. l. cum pater.* Hoc totum operis pretium: hic omnis vigiliarum fructus: nulla expetitur alia laboris merces aut gloria, nisi illius qui est pax nostra.

Hic dubio procul desiderabitur tumor eloquentię aut verborum fastus, sed hunc velim sciat omissum eruditus Lector, & quidem de industriâ, ne nouitatis vanitas, quæ hìc potissimum impugnatur; in circumloquutionum amphractibus delitescens & metaphoris, sensim occupet locum veritatis, (hâc in re, ex naturâ suâ satis arduâ, & quâ difficiliorem non noui in theologia) aureo eloquentiæ hamo exaltatus animus fuco verborum abstrahatur vel tantillum retardaretur.

PROOEMIVM.

IN QVO PRIMI ENTIS ET PRIMI AGENTIS STATVITVR ratio vna, & consequenter ab omni ente & agente creato penitùs alia.

Num. I. VT exosa vitetur pluries eadem repetendi necessitas, operæ pretium erit, in ipso huius opusculi limine totius instituti mysterium aperire; quod sanè aliud non est, quàm Deum optimum maximum indicare ex ęquo Primi Entis & Agentis, (cui essentialiter est subordinatum omne Agens creatum) rationes sibi vendicare; ex quo, sicut in essendo nulli potest comparari, sic certè nec in agendo; ita vt, ab imis, minimisque, vsque in altissima quę fecit magnalia, verè dicamus *Deus quis similis tibi? Ps. 70. 21. Sed quia vt ait D. Chrisostomus. Hom. 1. ad Tim. 2. Sicut qui solis radios cupit corporeis haurire luminibus, non modò quod quærit, non efficit, neque quod instituit, peragit; verùm ipso quoque quo viget priuabitur lumine; multò magis qui in æternam lucem defigere obtutus quærit*, nisi speciali lumine gratię ei occurrat ille, qui *præoccupat eos qui se concupiscunt, Sap. 6. 14.* in cuius lumine videbimus lumen, quique est lux vera, *Ex tom. 9 D. Aug. de specu.*, quæ sine accessu, ea quę eligit, illustrat: & sine recessu ea quæ respuit, deserit: qui in se manendo est immutabilis, cuius substantia semper caruit materiâ, non formâ, quam dùm imprimit quasi sigillum rebus singulis, eas sine sui augmenti aut detrimenti mutabilitate à se facit differre: in cuius æternitate, fixa manent ea, quę non fixa exterius sæculorum volumina emanant: cuius ęternitas, dies vna est, quę sine fine clauditur, nec initio aperitur: qui sine sui mutabilitate simul cuncta respicit, sine distentione comprehendit: qui in his, quę diuerso disponit ordine, diuersus non est: qui opera sua extra circundat, & intra replet: suprà regit, & infrà fert, superior per potentiam, inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem: quem qui non capit placatum, nequaquam euadit iratum, cuius magnitudinis, ista est immensitas, vt intelligamus, hunc intrà omnia, sed non inclusum: extra omnia, sed non exclusum: Et hic Deus est quo maius excogitari non potest, infinitus & incomprehensibilis, immensus & inenarrabilis quem nescire, mori est, quem nosse, viuere est, quem spernere, perire est: cui seruire, regnare est, quâ in meditatione exclamat Propheta: *Domine quis similis tibi! Ps 34. 10.*

II. Procul igitur Anthropomorphitarum hæresis Sectatores, qui dum legunt hominem ad imaginem & similitudinem Dei factum, speciem habere humanam stultâ temeritate asserunt. Hoc de Supremo Numine, quatenus est primum ens oportuit prælibare, vt de eodem quatenus est primum Agens non nihil possimus concipere: & quia in eo omnia vnum sunt absque vlla compositione materiæ & formæ, naturæ & suppositi, essentiæ & existentiæ, generis & differentiæ, subiecti & accidentis, teste D. Thomâ 1. p. q 3 per totam. Quod de primo ente dicitur vt est ipsum esse subsistens, quod consequenter totam perfectionem essendi continet vt ipse ait 1. p. q. 4. a. 2. o. hoc de Primo Agente, sine vllo discrimine est sentiendum; Cujus scientia (inquit D. Thomas 1. p. q. 14 a. 8. *est causa rerum, sicut scientia artificis est causa artificiatorum*; in quo vt ait Sanctus Doctor 1. p. q. 14. a. 4. o. *intellectus intelligens, id quod intelligitur, species intelligibilis, & ipsum intelligere seu intellectio, sunt omnino vnum & idem*, quia cùm intelligere sit perfectio & actus intelligentis, si intelligere esset aliud quàm eius substantia, oporteret, vt dicit Philosophus 12. metap *quod aliquid aliud esset actus & perfectio substantiæ Diuinæ, ad quod se haberet Substantia Diuina, sicut potentia ad actum; quod est omninò impossibile: teste eodem Angelico Doctore 1. p. q. 2. a 3. & q. 3. fere per totam.*

III. Et cum aliunde asserat Sanctus Doctor 1. p. q. 25. a. 2. Quod quantò aliquod Agens perfectius habet formam quâ agit, tantò est major eius potentia in agendo; sicut quantò aliquid est magis calidum, tantò majorem habet potentiam ad calefaciendum, & haberet vtique potentiam infinitam ad calefaciendum, si eius calor esset infinitus: Ita in præsentiarum; cum Essentia Diuina (per quam Deus agit) sit infinita vt probat D. Thomas 1. p. q. 7. a. 1. sequitur quod eius potentia sit infinita: Nec in re tam singulari vllum potest reperiri exemplum: Et sicut ex pluralitate Deorum, probat aliquis nullitatem eorum: sic sanè, ex æquâ agendi proportione Creatoris & creaturæ (cui aduersantur Thomistæ) tanta astruitur æqualitatis repugnantia, vt, aut in ipso Deo, summè simplici ac vno, summa sit quoque diuersitas iudicanda, in ratione primi Entis & primi Agentis (quod est impossibile) aut certè præter concursum simultaneum, quo simul agit Deus cum Creaturâ, & quo conuenit cum illa in modo agendi, sit alius necessariò admittendus scilicet præuius, quo & solo (Suppositâ eius in omni ente creato per essentiam præsentiâ) ab omni alio agente secernitur, quod tanquam indifferens & indeterminatum præuenitur ab eo, qui attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, tantâque suauitate & efficaciâ, vt non solùm fiat id, quod Deus fieri voluerit; sed etiam fiat necessariò vel contingenter & liberè, pro agentium diuersitate: quod ex infinitâ Dei virtute prouenire Deo fauente demonstrabimus. Ex quibus, sine vllo infertur negotio, Deum optimum, esse actum purissimum modumque agendi habere sibi proprium, sola præmotione Thomistica propugnatum (vt constabit ex dicendis) omnibus sanæ Philosophiæ principijs stabilita, Theologicis rationibus confirmata, Scripturæ consentanea, toti Ecclesiæ probatissima: Sanctis Patribus, Ordinibus Religiosissimis, Celeberrimisque Vniuersitatibus acceptissima. Et istud, adeò euidenter me demonstraturum spero, vt ad tot tribunalia prouocare non metuam oppositum sentientes, (à quibus interim & meritò inquirit Isaias dicens, *cui ergo similem fecistis Deum? 40. 18 si huius iniuria Deo illata vindex eligatur & index (vt æquum est) Doctor Angelicus.*

LIBER PRIMVS

DE ORIGINE, PROGRESSV, &c. PRÆMOTIONIS PHYSICÆ.

CAPVT PRIMVM.

In quo inquiritur exortæ circa Præmotionem Physicam controuersię primęua origo.



ACILE est, inquit Sanctus Valerianus, *hom. 6. Quamuis profundi gurgitis vndam siccari, si ortus aqua possit excludi.* Facile igitur erit, aut certè minùs arduum & difficile, si hîc possimus pręsentis controuersiæ Præmotionis Physicæ genesim reperire, disceptationumque scaturiginem occludere, vt *Rom. 3. 19. omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo.* In cujus absoluto in omnes creaturas stabiliendo imperio, tota versatur præmotio Thomistica: sicut enim non nisi casu, corporali morbo mederi valet medicus, nam quod ignorat medicina, non curat, quem latet causa ipsius mali, ita sanè huic ferè communi morbo animi, pręoccupatione vulgi firmato, qui ex facilitate, non veritate opinionis oppositę inualuit, vix poterit Philosophus efficaciter occurrere, nisi huius exortę circa pręmotionis originem controuersię, ex tàm alto repetat principio, vt procedendi vltrà, prurigine careat curiositas ipsa.

Igitur in ipso Deo opt. inferiùs detegenda pręmotionis radice, non injucundum fortasse erit, de illâ, dissidij primordia contemplari: non iam à centum circiter annis inter duas sanctissimas familias Prędicatorum scilicet & Societatis IESV disseminati, sed ab ipso creaturę initio nati.

Quod vt manifestum fiat, operosius inquirendum quodnam fuerit peccatum Angelorum in quibus reperit Deus prauitatem, quâue de causâ ceciderint illi, qui in veritate non steterunt, quosque vinculis ęternis sub caligine reseruauit.

II. Certum est peccatum primi Angeli fuisse superbiam, iuxta illud *initium peccati superbia. Eccles. 10.* Quâ Diuinam appetijt similitudinem vt ex illo Isaiæ 14. colligitur. *Similis ero Altissimo.* Quod cum de similitudine secundum naturę ęqualitatem non possit intelligi, vt probat D. Thomas, *de malo q. 16 a 3. quia Deus per essentiam est ipsum esse subsistens, nec est possibile esse duo huiusmodi* Et 1. *parte quæstione 63. articulo 3. quia contra cuiusque res esse suum conseruandi naturale desiderium, qua ad summum appetere potest in altiori gradu esse quantum ad aliqua accidentia, quæ possint crescere absque substantia corruptione*; Superest vt hanc similitudinem quam sibi comparandam proposuerat Angelus, in aliquo fuisse dicamus, in quo itidem Deo assimilari nec debebat nec poterat.

Et hoc ipsum est, quod asserimus initium controuersiæ circa præmotionem Thomisticam renouatæ. Quia primus fuit Angelus qui in delicijs paradisi existens, pacem turbauit, appetens Deo assimilari, non in essendo (vt dictum est) sed in agendo, quatenus scilicet beatitudinem supernaturalem consequi conatus est, non ex gratiâ Dei, sed ex proprijs viribus, efficaciter eligens solùm in suâ fœlicitate naturali quiescere potius (ex quâ voluntate virtualiter & interpretatiuè veram spreuit beatitudinem) quàm illam habere modo hominibus communi, quos vt ait Diuus Bernardus, Serm. 17. in Cant. *Molitus est habere subiectos, socios dedignatus: inferiores sunt* (inquit) *infirmioresque naturâ, non decet esse concíues, nec æquales in gloriâ.* Sicut ergo homo peccans, ex appetitu rerum sensibilium, simul virtualiter recusat bona spiritualia, licet vellet illa habere si id fieri posset sine labore & rerum sensibilium priuatione: ita Angelus singularitatem appetens, beatitudinem recusauit supernaturalem modo omnibus communi obtinendam, scilicet per gratiam, & quasi precatiò, quòd maximè refugit superbia.

III. Nec inde inferendum est, fuisse in Angelo errorem speculatiuum, sed tantùm practicum; qui est inconsideratio in actuali exercitio peccatis ferè omnibus communis; qualis apparet in intemperatis, qui magnificè sentientes de Chastitate, aliquando mortiferam datâ occasione admittunt delectationem.

Et ne prædicta fuisse à nobis voluntariè excogitatâ quis suspicetur, adducenda sunt argumenta, quibus clarè omnibus proposita veritas innotescat, quâ asserimus Cherub. illum fuisse, cuius cor eleuatum est in decore suo, qui primus in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum, facto prælio magno, in præmotionem, seditionis vexillum erexit quatenus viribus proprijs innixus, quasi sibi sufficiens esset, renuit de nouo à Deo dependere, vt auxilio gratiæ implorato, quod sibi deesset, ab ipso impetraret. Probatur ergo primò ex Sancto Augustino relato à Suaresio lib. 7. de Angel. c. 11. citante D. Augustinum l. 12. de Ciuit. c. 1. qui ait, quod Angelus ipse sibi ad beatam vitam sufficere voluit velut (inquit August. ibid.) *bonum suum sibi essent* rebelles illi spiritus.

IV. Sed (nemine dissentiente) potissima eorum ratio, qui præmotionem Physicam impugnarunt (excepta ea, cui ad satietatem vsque Deo fauente faciemus satis) quæ militat pro libertate; est sufficientia creaturæ quam ex naturali sua productione credunt à Deo accepisse, vt ad agendum actu se sę

applicet quoties voluerit aut necesse fuerit, absque eo, quod de nouo, pro actuali exercitio, quidquam à Deo recipiat. Ergo vtrinque par ratio, eodem principio princeps ille tenebrarum, *qui in veritate non stetit*, prætextu scilicet sufficientiæ, eodemque modo se in Deum erexit quasi sufficientes habuisset ex suâ creatione vires ad agendum, id omne quod tunc præstandum esset pro sua supernaturali beatitudine obtinendâ: quod nihil aliud est, quàm *factis Deum negare* dicendo, *Similis ero Altissimo.*

V. Probatur secundò ex Angelico Doctore i. p. q. 63. a. 3. *In hoc appetijt esse similis Deo, quia appetijt vt finem vltimum beatitudinis, id ad quod virtute suæ naturæ poterat peruenire, auertens suum appetitum à beatitudine supernaturali, quæ est ex gratiâ Dei: vel si appetijt, vt vltimum finem, illam Dei similitudinem, quæ datur ex gratiâ; voluit hoc habere per virtutem suæ naturæ, & non ex Diuino auxilio &c. Et hæc duo, quodammodo in idem redeunt, quia secundum vtrumque appetijt finalem beatitudinem per suam virtutem habere; quod est proprium Dei.*

VI. Probatur 3. ex eodem Angel. Doct. q. 16. de malo. a. 2. ad. 4. *Diabolus non appetijt aliquod malum, sed quoddam bonum sibi conueniens; inordinatè tamen & immoderatè illud appetijt; quia scilicet non appetijt illud, vt assequendum per Diuinã gratiã sed per propriam virtutem quod excedebat modum suæ conditionis.* Et ibid. art. seq. *fuit* (inquit) *primum peccatum diaboli in hoc quod ad assequendum supernaturalem beatitudinem quæ in plena Dei visione consistit, non se erexit in Deum tanquam finalem perfectionẽ ex eius gratiâ desiderans cum Angelis sanctis; sed eam consequi voluit per virtutem suæ naturæ, non tamen sine Deo in naturâ, operante, sed sine Deo gratiam conferente.* Nota hæc verba, erudite lector, *Non tamen sine Deo in naturâ, operante*, sciebat quippè diabolus se non posse habere operationem naturalem sine concursu Dei naturali, non solùm operantis cum naturâ (en concursus simultaneus) sed & in ipsam naturam per præuium, agentis quamuis de supernaturali minimè curauerit.

Itidem lib 2. ad Anibal. d. 5. a. 2. *Diabolus hoc habere apetijt ex virtute suæ naturæ, quod soli Deo debetur, vnde in quantùm apetijt habere aliquid quod habiturus erat, illo tamen modo quo non erat habiturus, dicitur Dei æqualitatem appetijsse.* Quid clarius? Quid enim est *velle habere per virtutem suæ naturæ, non ex Diuino auxilio?* quod asserit D. Thomas *esse proprium Deo.* Quid iterum? *non apetijt illud assequendum, per Diuinam gratiam, sed per propriam virtutem*, nisi quod communiter dicitur contra præmotionem Physicam, scilicet, non necesse esse, vt creatura aliquid à Deo recipiat ad agendum actu, præter id quod habitualiter à Deo accepit.

Quid tandem dum ait idem D. Thom. de malo q. 16 a. 3. quòd *habere finalem beatitudinem per virtutem suæ naturæ, & non ex gratiâ alicuius superioris, est proprium Deo: manifestum est, quod quantùm ad hoc appetijt diabolus Dei æqualitatem.* Idem docet Sanctus Doct. Ioan. c. 8. lect 6. asserens diabolum in veritate non stetisse, dum hoc per se consequi voluit, verùm in prædictis verbis Angelici Doctoris *non tamen sine Deo in natura, operante, sed sine Deo gratiam conferente*, notatum velim discrimen, quod fuit inter primum Angelum & Pelagium; quorum superbiæ infensum fuit gratiæ vocabulum: Lucifer quidem peccauit, sed sine errore speculatiuo, hic namque nusquam credidit, quod agens per participationem, vnquam possit vllum in actum naturalem prorumpere, sine Agente per essentiam, à quo agens creatum pendet etiam in facto esse, & magis quàm radius à sole vt dicemus; *operatur enim omnia in omnibus*, ideò signanter ait D. Thomas *non tamen sine Deo in naturam operante.*

VII. Quin imò, nec speculatiuè errauit diabolus circa beatitudinem supernaturalem in vniuersali; sed tantùm practicè vt diximus & in particulari. Quis enim sibi persuadeat perfectam hanc intelligentiam in vijs suis à die conditionis suæ. Ezech. 28. tantis in tenebris inuoluntam fuisse, vt gloriam sine gratiâ obtineri posse crederet; cum nec in mentem eruditi Philosophi hoc cadere possit? Vt enim ratiocinatur Doct. Angelicus, 1. p. q 62. a. 2, *Voluntas creata non potest ferri in id quod est supra naturam volentis, nisi adiuta aliquo alio supernaturali principio, sicut nec calor potest generare carnem, nisi quatenus est instrumentum motum ab anima nutritiua.* Sed vltima creaturæ intellectualis beatitudo, *quæ in plenâ Dei visione consistit*, excedit facultatem cuiuslibet naturæ creatæ vt ait D. Thom. 1 2. q 109 a. 1. & 5 Ergo credi non debet, quòd Angelus minus perfectè, hac in parte sit raciocinatus quàm Doctor Angelicus. Practicè igitur tantùm defecit Angelus & quidem turpissime, vt de intemperato diximus.

Et hâc distinctione, omnia & diuersa Diui Thomę testimonia perfectè conciliantur; quatenus ad Diuinam regulam non attendens Angelus, *scilicet de non conferendâ gloriâ, absque auxilio gratiæ*, ad electionem aut naturalis aut supernaturalis boni processit. Vt enim ait Ferrariensis, artifex non peccat ex eo quod non semper regulam tenet; sed ex eo, quod non intuens eam, seu eâ non vtens ad incidendum procedit. Sic primus Angelus. Et huius inconsiderationis ratio esse potest, voluntas liberè in proprium bonum conuersa, aliquando enim aliquis tàm intensè aliquid prosequitur; vt non cogitet de modo obtinendi. At Pelagius errauit turpius quàm diabolus vt cap. 4. Deo fauente dicemus.

VIII. Et ne cui sit scandalo quod dixi de dissidio inter duas familias exorto, illud præ oculis habeat,

Non sentire bonos eadem, de rebus ijsdem
Incolumi licuit, semper amicitiâ

Si enim inter ipsos cœlestis patriæ beatos incolas, visa sit aliquando discordia, vt ex illo claret Danielis decimo *Princeps Regni Persarum restitit mihi, & Michaël venit in adiutorium meum*, perfectè tamen vnanimes in eo, *qui facit concordiam in sublimibus Iob.* 25. quia vt ait D. Thomas, non erant contrariæ eorum voluntates, *cum omnes in eo conuenirent, quod Dei sententia impleretur.* Nihil mirum, si viri pietate & doctrina conspicui, videantur aliquando opinionum diuersitate distracti & differentes; vnanimes tamẽ in eo, *qui est pax nostra, faciens vtraque vnum Ephe.* 2. 14. totumque cedat in laudem ipsius, *cui soli, honor & gloria.* Quod sperandum fore existimo, si Michaël Ecclesiæ militantis Doct. Angelicus iudex controuersiæ (de sui defensione duplici adeò differenti, à me suscepti & à Fuliensi) habeatur.

CAPVT. SECVNDVM.

Idem ipse est Doctor Angelicus in Ecclesia Militante, qui fuit Archangelus Michaël in Triumphante.

I. SI judex controuersiæ admittitur Doctor Angelicus circa Præmotionem Physicam exortæ, cur vindex non inuocetur iniuriæ, quæ Deo irrogari creditur, ex eius à scholis eliminatione, non video: si enim vt ait Orator, *in actis eiusdem*, ad Patres Concilij Tridentini. *Nullus est, qui authoritate Diui Thomæ, veluti gemmâ splendente, suam sententiam non exornet, ad quem vt ad lydium lapidem, si quid ambiguitatis aut controuersiæ fuerit exortum, communibus votis referendum non existimet, quemque si in sui patronum obtinuerit placiti, non arbitretur in fauorem sui, sententiam continuò esse ferendam.* Certè in hac controuersia, tot hactenùs disputationum clamoribus agitata, non modò vt testis locupletissimus, sed vt æquissimus iudex audiendus est Doctor Angelicus, quem dedit Deus Præceptorem Gentibus, vt ex ore eius requirant scientiam.

Non hic probabo fusius, quod probandum in sequentibus efficacissimè & ad satietatem vsque remitto, scilicet per Præmotionem Physicam modum agendi Deo tàm singularem tribui, vt nullo aliò verè possit suppleri, quo possimus dicere, in agendo non esse similem ei. Non enim æquum est, in hoc vnico capite cuncta coaceruare, seu totam includere difficultatem, quæ est cardo vel scopus, huius totius apologiæ Diui Thomæ. Sufficiat igitur, hic obiter aduertere, quod cùm Angelus nequiuerit Dei similitudinem in essendo appetere, superest vt solùm id concupierit fieri in agendo, vt cap. præcedenti dictum est: ita D. Thomas locis ibid. citatis asserens diabolum voluisse *habere beatitudinem per virtutem suæ naturæ, & non ex Diuino auxilio.* Et iterùm ibid. ad Anibaldum, *diabolus hoc appetijt habere ex virtute suæ naturæ, quod soli Deo debetur.* Atqui nemo non dubitat quominùs independentia & amor peruersus propriæ potestatis & excellentiæ sit fons & origo diabolicæ huius superbiæ, lapis offensionis, & petra scandali, in quam impegerunt omnes ferè hæretici.

II. Verùm enim verò, à quo melius quàm ab Angelico Doctore acceperunt & *sciuerunt gentes quoniam homines sunt.* Id est, à quo firmius stabilitum est, Christianæ humilitatis fundamentum, siue nihilum, si sic loqui fas est, humanitatis, quàm à sancto Doctore? Quid sibi volunt quatuor doctrinæ Thomisticæ fundamenta Fuliensi obiecta in ipso huius apologiæ exordio? Nonne vel in ipsis resonat: *Quis vt Deus?* Perpende etiam quæ in sequentibus dictum sumus aduersùs independentiam creaturæ à Deo, tàm in essendo, quàm in agendo. Non prætereat & id quod relaturi sumus ex eodem scilicet hominem habere dominium suorum actuum, non tamen sicut Primum liberum. Nec esse de ratione libertatis creatæ, vt agens creatum sit Primum liberum, sicut non est de ratione causæ, vt sit prima causa. Itidem quid intelligis cum audis, creaturam dependere a Deo, non solùm in fieri, sed & in facto esse: non solùm in ratione principij habitualis, sed etiam in ratione principij actualis, &c. Porò quid causæ est, cur ista sic se habere debeant? Nonne quia causa prima semper prius & vehementius influit, non solùm in effectum, sed etiam in ipsam causam secundam, vt illa producat effectum, seu vt illam reducat ab actu primo ad secundum. Atqui, ad hoc, indiget creatura concursu Dei prævio, quem ob rationes inferius insinuandas nouo oportuit vocabulo nuncupare Prædeterminationis Physicæ? Et hoc tantùm tuentur Thomistæ: quod est subiectum præsentis controuersiæ.

III. Sed quis non miretur anagogicum consilium illius, qui ludit in orbe terrarum! *Factum est, inquit tonitrui filius, prælium magnum in Cælo, Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone, &c.* Vt quid quæso in sui Ducem exercitus Michaelem elegit Deus, qui solo nutu cuncta in nihilum redigere potest, apud quem, vt dicitur Sap. 11. *Tanquam momentum stateræ, sic est orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani.*

Mysterium planè est, à Michaële namque, cuius nomen significat *Quis vt Deus?* Apoc 12. Projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui similitudinem Dei in agendo appetiit, vt diximus. Sed væ terræ, inquit Boanarges, quia descendit diabolus habens iram magnam, qui mulierem illam, id est, Ecclesiam Christi Sponsam deuorasset, nisi ad nos venisset vir Dei vultum habens Angelicum, D. Thomam intelligo, qui hoc ipsum quod insonuit in Ierusalem contra diabolum dicentem *Similis ero Altissimo*, sc. *Quis vt Deus?* Michaëlis nomine significatum: In Syon, id est, in Ecclesia, firmauit fundamento planè Diuino, Præmotionis nomine insignito: qua sola stabilitur hæc singularis Dei in agendo prærogatiua, juxta quam verè dicimus *Non est similis tui in fortibus Domine*: seu quod idem est, Quis vt Deus?

Nodus ergo difficultatis in hoc consistit, vtrum sub labaro Angelici Doctoris militet Petrus à Sancto Ioseph qui non nisi quibusdam fragmentis ex D. Thoma excisis vbique vsus sit, veris quidem, sed quibus tam falsas adnexuit consequentias, vt vix credi possit à viro Religioso ista esse conscripta: v. g. pag. 32. editionis Parisiensis hæc ait, *Quamuis inter libertatem Dei & creaturæ alia sint discrimina, in eo tamen conueniunt, quòd sicut Deus præcisè vt Liber, ab alio quàm à se non determinatur ad agendum: ita creatura, quæ Libera est, ita se determinat ad agendum, vt ad hoc ab alio, salua libertate, determinari non possit.*

Atqui hoc est prorsus oppositum doctrinę D. Thomæ, etiam in loco à Fuliensi citato, vbi legitur & verè, Quis vt Deus? dum ostendit Doctor Angelicus, modo speciali liberum inesse Deo arbitrium, idque in ipso singularem agendi modum habere: ita enim in 2. dist. 25. q. 1. a. 1. ad 3. ait, *Determinatio actionis & finis in potestate Liberi Arbitrij constituitur, vnde remanet illi dominium sui actus, licet non ita sicut Primo Agenti.* Idipsum repetit D. Thomas 1. p. q. 19. a. 3. ad 5. vbi docet proprium esse voluntati Diuinæ ab alia priori causa nusquam determinari. Item 3. contra Gent. c. 2. Quod ita verum est, vt Scotus ipse qui perpetuus videtur esse D. Thomæ æmulus, hoc negare nequiuerit. Nam in 4. dist 49. q. 6. parag. Dico ergo. ait, *Contra naturam voluntatis est determinari à causa inferiori: quia hoc ipso non esset superior. Non est autem contra*

naturam determinari à causa Superiori.

Hujus rationem reddit D. Thomas q. 3. de malo. a. 2. ad 4. Itidem 1. p. q. 105. a. 4. ad. 2. & 3. & 1. contra Gent. c. 68.

Quare clipeum doctrinæ Diui Thomæ iamiam deponat Pater Fuliensis, qui sua defensione sanctum Doctorem non defendit sed offendit, dum veris eius discipulis perpetuò imponit.

At pro hoc singulari modo agendi soli Deo proprio, legendus Doctor Angelicus q. 22. de verit. a. 9. 3. Contra Gen. c. 88. 1. p. q. 105. a. 4. ad. 1.

Non mirum igitur, si serpens ille antiquus virus suum eflaret, dum sui ore ministri Buceri, actus in rabiem vociferaretur *Tolle Thomam, & dessipabo Ecclesiam*, vtpote quem præsentiret & à Deo Opt. electum cerneret esse Cherubim protegentem, Ecclesiam Militantem flammeo charitatis & scientię gladio, quæ Deum sic præfert cæteris, vt in prædicto agendi modo non sit ei similis. Vnde hac de causa sancto Doctori præ cæteris semper infensissimi fuerunt hæretici, vt in initio schismatis in Anglia, & alibi passim claruit, vbi omnes Diui Thomæ libros, quos reperire potuerunt, in feretro concluserunt, quod per plateas raptatum, in loco publico flammis concremarunt, quem locum, scholasticæ doctrinæ tumulum appellarunt.

Sed proh dolor! Serò medecina parata: Nam priusquam Deus mitteret hunc Angelum suum, qui nos custodiret in via, Doctorem intelligo Angelicum, Pater orbis terrarum, hoc audito *Eritis sicut Dij*, In superbiam elatus, in iudicium incidit diaboli. Nam vt ait D. August. *lib. 2. de gen. contra Manich. Homo peccauit, cum voluit esse par Deo, id est, liber ab eius dominio, sicut ille ab omni dominio liber est, quoniam ipse Dominus omnium.* Nec mulier, ait sanctus Præsul à Diuo Thoma relatus, *1. p. 195. a. 4. verbis serpentis credidisset, nisi iam inesset menti eius amor propria potestatis, & quędam de se superba præsumptio.* Idem docet Doctor Angelicus. *In cap. 3. Genes. pag. 18. col. 2. Aliqua elatio pręcessit in muliere, quę excęcauit eius intellectum.*

Vnde ergo bellum in Fratres Prædicatores tanta cum iniuria & scandalo excitatum pro defensione S. Thomæ? Sine dubio ab illo qui est homicida ab initio, nam teste D. Basilyo, *hom. de inuidia, Quem inuidia impulit principem malorum dæmonem ad bellum: Per iram homicidij Eo suadente fraternitas deperijt*, & Charitas Chistiana ferè extincta.

V. Sed quia nouissima hora est, ex eo quod superest, vtinam reliquiæ saluæ fiant, ne eodem superbiæ veneno tumens, *filius perditionis, extollens se tanquam sit Deus*, vnquam præualeat in filios adoptioni: ideoque origine aperta commotæ circa Prémotionem Physicam controuersiæ, progressum insequamur.

Et quia nimis prolixum esset, hic per omnes mundi ætates discurrere hoc institutum prosequendo, vt Protoparentis non minus superbiæ, infœlix filiorum progenies particeps ostenderetur, quàm naturæ, Spiritu Sancto testante, *in consensu superbiæ se nationes extulisse Sap. 10.* Certum est à primis parentibus in serpentis nequitiam consentientibus posterorum sobolem eadem superbiæ plaga fuisse sauciatam, quod virus effusum serpsit in alios qui vt pulli onagri ceruicem in Deum erexerunt, quoties ab eius æterna lege in eorum cordibus scripta errauerunt, testibus illis, qui dicebant *celebremus nomen nostrum.* Sufficiat igitur à primordijs Ecclesiæ nascentis in Synagoga latitantis, hanc prosequi controuersiam: Non quidem exactè seu sigillatim, quod Chronologiam saperet, & occupato grauioribus Theologo tædium pareret, sed breuiter indigitando quatenus fiat satis scopo nobis proposito.

CAPVT TERTIVM.

Non solùm apud Iudęos, sed à primordijs nascentis Ecclesię viguit, & deinceps controuersia circa liberi arbitrij sufficientiam exorta.

I. QVamuis nullus reperiatur, qui ante Pelagium tantam Spiritui gratiæ contumeliam fecerit, tamque audacter in eius præjudicium liberi arbitrij vires & sufficientiam extulerit: Certum tamen est, multò ante ipsum vetustiorem hanc suscitatam fuisse controuersiam, quæ cum ferè ab initio creaturæ cœperit, vt dictum est: nunquam ita fuit extincta, quin ex cineribus aliquæ scintillæ eruperint. Et quidem hac occasione magnum apud Iudæos exarsit incendium, dum eorum aliqui, è medio, quod tenuêre Beati, recedentes, extrema petierunt: totùm sibi, vel nimiùm, alij nihil aut minus gratiæ quàm par esset, tribuerent. Sic, inter eos Sadducæi qui bonum & malum ita in electione nostra positum esse dicebant, vt vtrumque æqualiter secundum propriam virtutem nobis contingeret, quasi nihil amplius ad bonum, quàm ad malum requireretur; quique Deum extra omnem mali inspectionem constituebant, sicut & illi, qui Iob 22. 14. *Deum circa cardines Cœli perambulare dicebant, nec nostra considerare.*

Pharisæi verò, teste Iosepho lib. 2. de bell. Iud c. 7. *Primum dogma habebant, vt fato & Deo vniuersa deputarent.* Et quamuis viderentur aliquid libero relinquere arbitrio, in his quæ agere posset vel negligere, vtpotè necessarium ad constituenda præmia, pœnasque iustè infligendas in mortuorum resurrectione, quam contra Saducæos profitebantur, verè tamen & de facto liberum deprimebant arbitrium, teste sancto Epiphanio lib. 1. de hæres. tom. 1. cap. 16. Vtpote admittentes fatum, quod necessitatem induceret.

II. Errauit ergo Synagoga ab vtero, dum præcipui Iudæorum magistri errantes & in errorem mittentes, cum sola lege sine gratia liberum sufficere arbitrium existimarunt: quos inde cupiens reducere Apostolus, aliosque ne caderent impedire, teste Diuo Augustino, Ser. 15. de verb. Apost. toties gratiam in suis commendat Epistolis.

Princeps verò Apostolorum contra Pharisæos, qui fatum astruebant, militasse creditur, vt patet ex eius contra Simonem Magum disputationibus, teste sancto Clemente. Lib. 3. Recogni. Vbi nequam ille, ex efficacia voluntatis Diuinę, liberum arbitrium è medio tollere nitebatur, vt aliquam suæ prætenderet excusationem nequitiæ. Cui obsistens D. Petrus, miram vtriusque, id est, voluntatis Diuinæ, cum humana libertate, concordiam ex vniuersalissima & efficacissima Dei causalitate composuit, vt patet loco à Diuo Clemēte citato: Quam doctrinam vestigijs insistendo Apostolicis

stolicis, perpetuò sequutus est Doctor Angelicus; vt fusius infrà declarabitur.

Quod velim lector aduertat, ne tàm antiquę controuersię conciliandę, nouum esse modum suspicetur: ex eo enim quod voluntas Dei sit causa vniuersalissima & efficacissima rerum: ex ea, tanquam à prima radice prouenit, vt res quędam sint necessarię, & quędam contingentes: teste Angelico Doctore locis infrà citandis. Et cum etiam in contingentibus & liberis sit causa non solùm vt effectus fiant, sed etiam vt hoc vel illo modo fiant (quia est efficacissima) nullus est modus entis siue necessarij, siue contingentis, qui Dei causalitatem subterfugere possit, sine quo factum est nihil. Et idcircò D. Thomas in Mathęum ait, primum fundamentum fidei esse omnipotentiam Dei credere: iuxta illud Iob. 42. *Scio quia omnia potes*: Et hic est verus modus libertatis conciliandæ, vt infrà constabit ex Angelico Doctore.

III. Ex hac, (vel in toto vel in tanto) negatione gratię; liberi arbitrij sufficientia intumuit, velutque ex mortifero fonte vsque inpræsentiarum, continuus multorum errorum scaturiuit fluxus: Basilide & Valentino antiquissimis hęreticis, quos sequuti sunt Manichęi, Item Priscilianus, Euagrius ponticus, Iouinianus & Origenes, ex quibus proximè propagata est hæresis Pelagiana, vt fusius exponitur ab excellentissimo Diui Thomę Interprete Ioan. à Sancto Thoma; quem ijs in quorum manus deuenire poterit consulo legendum omninò, cui hoc opus plurimùm debere agnosco: & hoc semel dixisse sufficiat: vt cui honor, honor: Ex his omnibus prędictis leuiter prelibatis patet, liberi arbitrij sufficientiam & gratię efficaciam semper fuisse lapidem offensionis & petram scandali. Sed ne ipsi hac in periculosa nauigatione in scopulos impingamus, nihil sine pręuio Duce, Angelico Doctore proferemus.

Quid ergo censerit nouissimus prędictorum hęreticorum Pelagius, cuius armis instructi quidam Moderni, naturę viribus nimis confisi, Thomistis aduersantur prędictam in agendo, Dei pręrogatiuam, concursu eius pręuio stabilitam propugnantibus, operosius est indagandum: quare sit:

CAPVT QVARTVM.

Quęnam fuerit mens Pelagij circa sufficientiam & vires liberi Arbitrij, vnde possit Pręmotio Thomistica impugnari?

I. TAnta fuit Pelagij arrogantia in extollenda liberi arbitrij sufficientia, vt totum gratiæ Dei Spiritum extinguere conatus sit, meritóque de eius hæresi dixerit D. Hyeronimus ad Cthesiphon. *Quod omnem excederet blasphemiam.* Primò enim non solùm omnem gratiam negauit, vt colligitur ex D. Augustino de hæres. hæres. 88. Sed etiam omne auxilium ad actiones naturales, quod ex D. Hyeronimo l. 1. aduers. Pelag. manifestè infertur, qui Pelagium sic loquentem inducit: *Si in singulis rebus quas gerimus Dei vtendum est adiutorio: ergo & calamum temperare ad scribendum, & temperatum pumice terere, manum aptare litteris, tacere, loqui, sedere, stare, ambulare, currere, comedere, ieiunare, flere, videre, & cætera huiusmodi, nisi Deus iuuerit, non poterimus.* Et in Epistola ad Ctesiphontem c. 3. ait idem Hyeronimus, audite quæso sacrilegum: *Si*, inquit sc. Pelagius, *voluero curuare digitum, mouere manum, sedere, stare, ambulare, discurrere, sputa iacere, duobus digitulis narium purgamenta decutere, relaxare aluum, vrinam digerere, semper mihi auxilium Dei necessarium erit.* Ex prędictis Pelagij verbis reuoca in memoriam id quod supra diximus, scilicet omne auxilium Dei negatum esse a Pelagio, etiam ad actiones naturales: Procujus intelligentia sciendum est, aliud esse quòd ferrum v. g. grauitet, & quòd calor calefaciat: Aliud verò quòd ferrum calefaciat, quod non facit, nisi in quantum participat virtutem ignis. Item quòd calor generet carnem, quod non præstat nisi in quantum est animæ sensitiuæ instrumentum.

II. Sic ergo: omne agens creatum, quia est ens per participationem dependens à Deo, etiam in facto esse, vt dicemus, vtroque indiget Dei auxilio ad singulos actus. Primo quidem auxilio, & hoc solo: quando producit actum sibi connaturaliter proportionatum, vt cum ignis calefacit, & sine illo Dei concursu propria caret actione, vt contingit in fornace Babylonica erga tres pueros. Secundo autem & speciali auxilio Dei indiget creatura, cùm ad actum excedentem naturę virtutem assumitur: vt cùm homo producit actum vitæ æternæ meritorium, ad quem necessarium est gratię auxilium.

Huius autem Distinctionis, quâ innumera D. Thomę testimonia conciliantur, firma reperies fundamenta 1. 2. q. 109. a. 1 o. vbi ait: *Ad cognitionem cuiuscumque veri homo indiget auxilio Diuino, idest, concursu generali, vt intellectus à Deo moueatur ad suum actum: non autem indiget ad cognoscendam veritatem in omnibus, noua illustratione superaddita naturali illustrationi: sed in quibusdam quæ excedunt naturalem cognitionem.* Legendus omninò Sanctus Doctor ibid. & ad 1. Item in 2. Sent. dist. 18. q. 11. a 3. Et de verit. q. 24. a. 14.

Prę tanta ergo blasphemia, quâ Dei gratia penitùs negaretur, totus exhorruit Orbis Christianus: & popularis auræ studio, potiùs quàm veritatis, aut Dei zelo, apud se statuit Pelagius primum arrogantię suæ moderamen adhibere.

Simulauit igitur aliquod Dei adiutorium admittere se circa liberum hominis arbitrium: attamen verum Dei adiutorium, voluntatem eius pręueniens, nuſquam admisit, sed tantùm aliquod, quod libero supposititum esset arbitrio. Hoc manifestè infertur ex D. August. lib. de hęresib. vbi ait: *Pelagius increpatus à fratribus quòd nihil tribueret adiutorio gratiæ Dei, ad eius mandata facienda, correctioni eorum hactenus cessit; vt non eam libero arbitrio pręponeret, sed infideli calliditate supponeret, dicens ad hoc eam dari hominibus, vt quæ facere per liberum arbitrium iubentur, faciliùs possint implere per gratiam: Dicendo vtique, vt faciliùs possint, voluit credi, etsi difficiliùs, tamen posse hominem sine gratia, Diuina facere iussa. Illam verò gratiam Dei, sine qua nihil boni facere possumus, non esse dicunt, nisi in libero arbitrio, quod nullis suis pręcedentibus meritis ab illo accepit natura nostra, ad hoc tantùm ipso iuuante per suam legem atque doctrinam, vt discamus quę facere, & quæ sperare debeamus.* Vbi notandum est Pelagium iam moderatum aliquam admisisse gratiam, non quidem simpliciter necessariam ad operandum, sed tantùm ad faciliùs.

Quòd si aliquando vrgeretur Pelagius Scripturę sacrę testimonio ad gratiam admittendam, sine qua nihil boni absolutè possumus. Respondebat per hanc gratiam intelligendum esse liberum arbitrium, quod nomine gratię asserebat nuncupari debere, eò quòd nullis præcedentibus meritis gratuito accepissemus creationis beneficio.

III. Quid autem intelligeret Pelagius nomine gratię quę daretur ad operandum faciliùs, pręter communiorem quandam notitiam, quâ ad volendum voluntas excitaretur: quam excitationem vt absolutè necessariam ad volendum agnoscebat Pelagius (quia nihil volitum nisi pręcognitum) constat ex D. August. lib. de gratia Christi c. 10. referente Pelagium sic verba Apostoli glossantem: *Operatur in nobis velle, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit, dum reuelatione Sapientię in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem.*

Quibus omnibus nomine huius gratię intelligebat tantùm legem & doctrinam, siue per extrinsecum auditum acceptam, siue per internam reuelationem, quam dicebat esse gratiam, eò quòd gratuito Dei data esset beneficio. Nullum tamen Dei auxilium quod spiritum & vires subministraret, voluntatemque directè moueret, agnouit Pelagius, vt ait D. August. lib. 1. de gratia Christi c. 8. *Gratia autem quâ demonstrat & reuelat Deus quid agere debeamus, non quâ donat atque adiuuat vt agamus, non sufficit, cùm ad hoc potius valeat legis agnitio, si gratia desit opitulatio, vt fiat mandati præuaricatio: vbi enim non est lex, ait Apostolus, nec præuaricatio.*

IV. Quod verò hanc gratiam, quę tantùm intellectum illuminaret, admiserit Pelagius, probat ibid. D. August. c. 7. referens verba Pelagij: *Adiuuat nos Deus*, inquit Pelagius, *per reuelationem & doctrinam suam, dum cordis nostri oculos aperit: dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat: dum diaboli pandit insidias: dum nos multiformi & ineffabili dono gratię cęlestis illuminat.* Et in his omnibus, inquit Augustinus, *Non recedit à commendatione legis & doctrinę*: Et hinc patet quomodo arbitraretur Pelagius liberum arbitrium sibi sufficere sine vlla Dei inspiratione quę voluntatem pręueniret.

Primò igitur omne Dei auxilium spreuit Pelagius: Secundò tantillum moderatus aliquòd admisit, non vt simpliciter necessarium, sed vt id quod possemus cum difficultate, faciliùs illud efficeremus cum tali auxilio: Tertiò cùm premeretur aliquod Dei adiutorium confiteri, sine quo nihil boni possumus, Illud tandem ægrè confessus est: Et hoc esse dixit liberum arbitrium, cui nomen gratiæ tribueret, eò quòd gratuito Dei beneficio acceptum: sicut & legi & doctrinæ (vltra quas aliud Dei adiutorium, diù non agnosceret) quibus nobis innotesceret quid agendum, vel à quibus esset abstinendum.

Absit à me, vt credam vllum modò Christianum tam superbè de semetipso sapere, vt quid commune habeat cum Pelagio gratiæ inimico: cùm tantam moderari impietatem coactus sit, nusquam tamen emendatus. Sit ergo.

CAPVT QVINTVM.

In quas tandem actus sit angustias Pelagius in propugnanda liberi Arbitrij sufficientia?

I. INtolerabilis factus iam Pelagius, tot dolis & ambagibus, præter naturam & liberum arbitrium, præter legem & gratiam habitualem, coactus est fateri gratiam ad singulos actus, quæ dicitur Auxilium Actuale: quod ita est pro vno actu per modum transeuntis, vt non sit pro alio. Hoc fecit Pelagius in Concilio Palestino, teste D. Augustino Epist. 107. ad Vital. *Quomodo dicitur gratiam Dei esse in natura liberi arbitrij, vel in lege & doctrina, cùm & istam sententiam Pelagius ipse damnauerit, procul dubio confitens gratiam Dei ad singulos actus dari.*

Refert autem S. Augustinus lib. 1. de gratia Christi c. 1. hanc quam fecit confessionem Pelagius in hunc modum: *Anathema, qui vel sentit, vel dicit gratiam Dei, quâ Christus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, non solùm per singulas horas, aut per singula momenta: sed etiam per singulos actus nostros, non esse necessariam: & qui hanc conantur auferre, pœnas sortiantur æternas.* Sic dicebat Pelagius.

Quid autem nomine huius gratiæ intelligeret Pelagius, dubitari posset: certum tamen est nihil aliud intellexisse nisi id quod reduceretur ad genus doctrinæ, vel scientiæ, vel recordationis beneficiorum Dei, quæ vtique poterat singulis actibus bonis adesse: sed non fatebatur gratiam quæ voluntati subministraret spiritum, seu inspirantem bonum affectum: quia per hanc dicebat destrui libertatem.

II. Hunc Pelagij dolum (quo Dei electos, id est, Patres Concilij Palestini ferè in deceptionem induxit) aperuit D. Augustinus lib. de gratia Christi c. 2. ideò *eam scilicet gratiam, per singulas horas, & per singula momenta, & per actus singulos necessariam dixit: vt semper in memoria retinentes & reminiscentes dimissa nobis esse peccata, non peccemus vlteriùs, adjuti non aliqua subministratione virtutis, sed viribus propriæ voluntatis: quid sibi remissione peccatorum præstitum fuerit per singulos actus recordantis.* Quibus omnibus vera gratia non intelligitur, pro qua militabat D. Augustinus.

Præterea, Pelagium admisisse aliquod Dei auxilium supernaturale in paruulis (non ad delendum peccatum originale, quod in illis non agnoscebat) sed vt intrare possent regnum Cœlorum, constat ex D. August. lib. 2. de pecc. orig. c. 5. Item quod in adultis necessarium agnouerit Pelagius aliquod supernaturale donum, pro quo obtinendo Diuina exoranda esset misericordia, docet idem Sanctus Pręsul lib. de natura & gratia c. 18. Nihil tamen hactenus admisit Pelagius quod liberum arbitrium præueniret & adiuuaret.

Quid plura? Sanctam quoque cogitationem in iisdem, quæ Dei donum esset, confessus est Pelagius, vt probatur ex S. Augustino qui impugnans doctrinam Pelagij ait: *Cogitationem & dilectionem sicut sunt discernenda, dicernat: quia scientia inflat, charitas verò ædificat: & cùm sit vtrumque Donum Dei, alterum minus, alterum majus, non sic iustitiam nostram super laudem Iustificatoris nostri extollat, vt horum duorum quod minus est Diuino tribuat adiutorio* Admittebat ergo Pelagius hoc Dei donum, licet charitate minus: nusquam tamen vllum hactenus quod voluntatem sic

preueniret, vt in illam directè influeret.

III. Tandem liberum hominis arbitrium à Deo moraliter excitari & præueniri confessus est Pelagius: & probatur: quia succendere voluntatem præmiorum pollicitatione, stupentem suscitare, suadendo quod bonum est &c. est mouere voluntatem moraliter: atqui hoc admisit Pelagius, teste D. August. lib. de gratia Christi c. 10. referente verba Pelagij sic glossantis testimonium Apostoli. *Operatur in nobis velle, dum*, inquit Pelagius, *nos terrenis cupiditatibus deditos mutorum more animalium, tantummodò præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit, dum reuelatione Sapientiæ in desiderium Dei, stupentem suscitat voluntatem: dum nobis (quod tu alibi negare non metuis) suadet omne quod bonum est.* En ergo moralis motio, quam Pelagius tandem aliquando cognouit.

IV. Sed præter eam quam vocant motionem moralé seu metaphoricam, siue ex lege siue ex doctrina, siue ex internis reuelationibus veritatem manifestantibus prouenientem: necessarium duxit S. Præsul Augustinus c. 19. aliquod Dei auxilium quod voluntatem immutaret & cordis duritiam auferret; ita de gratia Christi: *Hæc gratia*, inquit, *si Doctrina dicenda est, certè sic dicatur, vt altiùs & interiùs eam Deus cum ineffabili suauitate credatur infundere, non solùm per eos qui plantant & rigant extrinsecùs, sed etiam per seipsum qui incrementum suum ministrat occultus: ita vt non solùm ostendat veritatem, sed etiam impertiat charitatem.* Rursumque ait c. 24. *Legant & intelligant, intueantur & fateantur, non lege atque doctrina forinsecus insonante, sed interna atque occulta, mirabili & ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solùm veras reuelationes, sed etiam bonas voluntates.* Et hoc internum atque occultum Dei donum, mirabile & ineffabile, quo Deus operatur in cordibus hominum, vt summa suauitate & perfectissima libertate fiant homines ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, noluit admittere Pelagius.

V. Sed ne quis hìc desideret scire quid sit motio moralis voluntatis: sciendum est quòd sicut intellectus moueri potest dupliciter, scilicet per sensus externos, aut internos, & immediatè à Deo per internam illustrationem: Ita & voluntas mouetur, 1. mediante obiecto proposito, à quo allici potest: & hæc motio dicitur moralis, seu metaphorica, quatenus in obiecto apparet aliqua conuenientia, aut è contra, ex quo refugit. 2. Mouetur per tactum ipsius Dei agentis immediatè in ipsam voluntatem (præsupposita obiecti cognitione) qua Dei motione diffunditur suauitas, & subministratur spiritus à Deo, vt voluntas propositum obiectum acceptet.

Et hæc suauitas vocatur à D. Gregorio 27. Moral. c. 15. *Inuisibilis modificatio obiecti, quæ inuisibiliter plantatur in cordibus hominum.* Sic enim ait ad illa verba Iob. 37. *Et non inuestigabitur cùm audita fuerit vox eius: vna res foris agitur, sed non per hanc intuentium corda penetrantur: quia qui inuisibiliter visibilia modificat, in humanis cordibus causarum semina inuisibiliter plantat, &c.* Quam Dei modificationem sic ipse explicat. *Quia*, inquit, *latentibus modis premit in timore, & format in amore: & fit cuiusdam impulsionis nimietas in mente, cùm nihil sonet in voce.*

VI. Et hoc est Sanctuarium auxiliorum gratiæ Dei, quod nolo ingredi: satius enim est stare in limine: quia scrutator Maiestatis opprimetur à gloria, seu vt dicitur Isaiæ 7. *Nisi crediderimus, non intelligemus.*

Quod diximus de motione morali voluntatis creatæ, diligenter velim annotatum: quia ex ea plures conati sunt illudere Thomistis, asserentes motionem moralem esse Præmotionem Thomisticam, quâ Deus præuenit voluntatem creatam. Sed hos ex hoc latibulo, Deo dante extrahemus: & præter hanc moralem, aliam esse necessariò admittendam, scilicet physicam, soli Deo propriam, ipsissimis D. Thomæ testimonijs euincemus.

VII. Hæc prælibare oportuit antequam Præmotionis naturam exponeremus. Quia ex duobus argumentis quibus potissimum impetitur, illud quod incautos faciliùs præoccupat, est Liberi Arbitrij sufficientia, quod in sui creatione vires accepisse sufficientes asserunt aliqui, absque eo quòd de nouo quidquam à Deo actu recipiat, vt in suum actum prorumpat. Secundum verò, quo hæc Præmotio impugnatur, argumentum, est voluntatem non posse aliquo influxu à Deo præueniri, quin eius lædatur indifferentia & libertas: Quod vtrunque falsitatis euincere operæ pretium est. Hoc enim inter Pelagianos tritum & vulgare erat adagium, *Remoueri omnem industriam, tollique virtutes, si Diuina constitutio humanas præueniat voluntates*: vt testatus est D. Prosper errores referens Pelagianorum ad S. Præsulem Augustinum.

VIII. Et non solùm ex hac existimata liberi arbitrij creati sufficientia, tandiù & tot modis fuit agitatum Præmotionis Thomisticæ fundamentum: quod in absoluta dependentia creaturæ à Creatore consistit, quæ talis est, cui non possit vlla esse similis. Sed & aliunde tantus fuit metus, ne si quid voluntatem præueniret, idipsum eius læderet indifferentiam & libertatem, vt non tantùm Semipelagiani, qui in nobis, sine nouo Dei adjutorio, saltem aliqua meritorum initia supponi volebant, vt cogitare, desiderare, quærere, pulsare, &c. Sed & alij de quibus ait D. Augustinus, *Tales sunt quos non facilè contemnas. &c.* Qui licet liberum hominis arbitrium à Deo præueniri faterentur: attamen ex parte voluntatis aliquam requirebant occasionem, aut saltem nutum præcedentem, vt quasi eius intuitu homines donorum suorum participes efficeret. Ita Cassianus Collat. 17. c. 13. *Deus ab homine*, inquiebat, *quosdam conatus bonæ voluntatis exigit, vel expectat, ne penitùs dormienti, aut dissoluto inerti otio, sua dona conferre videatur, occasiones quodammodo quærens, quibus humanæ segnitiæ torpore discusso, non irrationabilis munificentiæ suæ largitas videatur, dum eam, sc. gratiam, sub colore dat cuiusdam desiderij & laboris: & nihilominus gratia Dei gratuita perseueret.* Quo de prima gratia intellecto (ea enim supposita potest homo eius augmentum, & ipsam gloriam mereri, etiam de condigno) videat Theologus quid respondeat Apostolo dicenti, *Quis est qui te discernit?* Et prætereà sciat quod modo prorsùs opposito philosophatur Doctor Angelicus, qui non sentit Deum ab homine quosdam conatus bonæ voluntatis expectare, sed illos efficere. Et oppositum asserit esse errorem Pelagianorum seu Semipelagianorum, qui dicebant initium benè faciendi esse ex nobis, & consummationem à Deo. Ita D. Thomas 1. p. q. 23. a. 5. Sed de hoc fusiùs infrà.

Nonne iam miraris erudite Lector ex dictis hactenùs, in quas redacta sit angustias humana superbia: quæ ne suam absolutam à Deo Opt. dependentiam fateri cogatur, in tot tamque offusas confugit latebras. Atqui hanc enecat superbiam Prædeterminatio Thomistica: dum stabilito per eam supremo Dei dominio, & vniuersalissimâ eius causalitate, Deum in agendo semper priorem, reuereetur: Quis enim prior dedit ei, & retribuetur illi? Sed quid ista sit Prædeterminatio, cui tamquam monstro aduersantur nonnulli, iam dicendum est; vnde sit;

CAPVT SEXTVM.

Quid nomine Præmotionis Physicæ intelligatur?

I. HActenùs tàm varias opinionum differentias retulimus, tritam terentes semitam, vt progressum contentionis circa Præmotionem Thomisticam ætate nostra renouatæ, manifestum faceremus; consuetam methodum Philosophorum prætermisimus, quâ priùs an res sit, & secundò quid sit, esset inquirendum. Quod ita factum est de industria, vt à nouitatis labe, quam nonnulli proprij cerebri prurigine sectantur, Thomistas purgaremus: quasi ipse D. Thomas, vt criminantur aliqui, Præmotionem Physicam non docuisset; sed tantùm Thomistæ. Quid ergo illa sit iam est inquirendum.

Nomine Præmotionis physicæ intelligitur præuius Dei influxus in ipsa causa secunda receptus, quo eam ad agendum physicè præmoueat & prædeterminet: qui proinde concursus aut influxus, Præmotio, aut Prædeterminatio physica conuenienter appellatur: sicque eam vocare coacti sunt Thomistæ, vt meliùs rem antiquam nouo nomine significarent: quam denominationem, vt optimam, tota olim approbauit Congregatio quarta sub Paulo V. Patribus Ordinis Prædicatorum consentientibus, cum Reuerendis Patribus Societatis IESV, nuncque omnes approbant: si tamen aliunde constaret dari influxum Dei in causam secundam, quo Deus illam verè, propriè & actiuè, nedum moraliter moueat: quem influxum dari infra, fauente Diuino Numine, euidenter demonstrabimus.

Dicitur ergo Præmotio, quia cùm detur ad hoc vt faciat causam secundam operari, debet naturâ & causalitate, licet non tempore, antecedere motionem, seu actionem propriam causæ secundæ. Vnde dicunt Thomistæ, Præmotionem perseuerantem non esse realiter distinctam à Dei concursu simultaneo: non enim sunt duo concursus, sicut nec gratia operans & cooperans, quæ non distinguntur nisi formaliter, eo modò quo creatio & conseruatio (quæ est continuata productio) sed de hoc fusiùs infrà.

His duobus *Præmotionis & Prædeterminationis* nominibus, indiscriminatim & indifferenter passim vtemur. Nam cùm ex D. Thoma Aristotelem laudante, vt infra dicemus, *Motio mouentis, præcedat motum mobilis ratione & causâ*, omnisque causa sit prior effectu: Ly *Prædeterminatio* ritè intellectum, in rei veritate nihil addit supra Præmotionem, quæ influit nedum in effectum, vt verbis ludunt aduersarij, sed in ipsam causam secundam, vt illam operationis suæ efficiat principium actuale: Hoc autem vocabulum, *Prædeterminatio*, fuit necessariò vsurpandum, ad exprimendam Dei in agendo certitudinem, quam Deo non sine iniuria Antithomistæ denegant (nisi fortè cum certa præuisione, quâ Creatorem faciunt dependentem à creatura) confitentes creaturam à Deo præmoueri quidem, sed eo tantùm modo quo sagitta à dirigente in scopum præmouetur, qui contra iacientis intentionem sæpè non attingitur. At quis tam indignè de Deo sentiat?

II. Dicitur igitur Prædeterminatio, quia prædeterminat causam secundam ad agendum, eiusque determinationem seu operationem propriam naturâ & causalitate præcedit. Dicitur autem Physica, vt distinguatur à Prædeterminatione Morali, quæ nihil aliud est quàm instinctus quidam, qui fit media propositione objecti, admonitione, præcepto, persuasione, & similibus, quibus aliquando instigamur, & moraliter mouemur ad aliquid agendum: Et hæc moralis motio duplici vitio obnoxia est, à quibus physica Dei Prædeterminatio longè abest. Primò quòd moralis non inferat infallibiliter effectum. Secundò quòd aliquando non fit absque aliquo libertatis creatæ detrimento: vt patet in metu cadente in constantem virum, qui ad motionem moralem pertinet, sicut & terrores omnes, & minæ valdè vrgentes.

Physica verò Præmotio, est aliqua qualitas, seu realis motio & influxus à Primo Agente immissus, & in causa secunda receptus, ipsam efficaciter inclinans & applicans ad agendum, vnamquamque tamen conformiter ad propriam ipsius naturam, iuxta modum suum: ita vt ex causa secunda necessaria, necessariò proueniat effectus: à contingente verò & libera, contingenter & liberè. Quia ex infinita Dei virtute prouenit, non solùm vt producantur effectus, sed etiam vt hoc, vel illo modo producantur, id est, contingenter, vel necessariò, pro agentium diuersitate. Et cùm Deus non sit minùs causa, & quidem immediata, modi libertatis in agente libero, quàm necessitatis in agente naturali & necessario, nihil est quod eius causalitatem, vtpote causæ vniuersalissimæ & efficacissimæ possit subterfugere.

III. Potissima autem ratio huius Præmotionis admittendæ, est essentialis subordinatio & dependentia causarum secundarum à Prima: quia illæ præter principia & virtutes operatiuas quibus permanenter constituuntur & habitualiter in actu primo ad agendum, indigent influxu naturali Causæ Primæ, vt in actu secundo operentur, aliàs creatura esset independens à Deo in ratione principij actualis suæ operationis, & consequenter primum principium & prima causa respectu illius: in hac enim independentia consistit formaliter ratio primi principij, primæ causæ, & primi agentis. Nec hujus motionis virtuosæ, quæ transit cum ipsa operatione, quærenda est alia motio: quia rationis formalis non datur alia ratio formalis, sicut nec actio actionis. Nec itidem statuendū est discrimen inter causam primam & secundam, penes *mediatum & immediatum*, cùm vtraque sit immediata; sed penes vniuersale & particulare.

IV. Et ne quis suspicetur hæc prædicta sine fundamento posita, Legat interim D. Thomam l. 3. contr. Gent. c. 70. vbi postquam ostendit, quomodo virtus inferioris agentis dependet à virtute superioris: Primò in quantum superius dat virtutem inferiori: Secundo in quantum conseruat: Tertio in quantum applicat ad agendum, hęc ait: *Sicut agens* infimum inuenitur immediatum actiuum, ita virtus Primi Agentis inuenitur immediata ad producendum effectum. &c. Sicut igitur non est inconueniens, quod vna actio producatur ex aliquo agente & eius virtute: ita non est inconueniens, quod producatur idem effectus ab inferiori agente, & à Deo, ab vtroque immediatè (nam vt diximus suprà, immediatio non est ratio differentiæ, Dei & creaturæ agentis) licet alio, atque alio modo. Patet etiam quod si res naturalis non producit ipsum nisi Diuina virtute; neque est superfluum, si Deus per seipsum potest omnes naturales effectus producere, quod per alias quasdam causas producantur: Non enim hoc est ex insufficientia

Diuinæ virtutis, sed ex immensitate bonitatis ipsius per quam suam similitudinem rebus communicare voluit; non solùm quantùm ad hoc quod essent, sed etiam quantùm ad hoc quod aliorum causæ essent: his enim duobus modis creaturæ communiter omnes Diuinam similitudinem consequuntur: vt suprà ostensum est l.3. contr. Gent. c 21. Patet autem quod non sic idem effectus causæ naturali, & Diuinæ virtuti attribuitur, quasi partim à Deo, partim à naturali agente fiat; sed totus ab vtroque secundum alium modum: sicut idem effectus totus attribuitur instrumento, & principali agenti etiam totus.

En erudite Lector ista Præmotio, quæ animi gratiâ Cassyopeiæ stella dicta est: non quæ pugnaret vt reliquæ Cœli stellæ contra Sizaram, sed quæ tot modis esset oppugnata, nusquam expugnanda: aduersus quam velut contra exitiale quoddam portentum, vel potius quasi contra Cometam quid funestû prętendentem, tot infremuerunt, vt mirum sit quot argumentorum machinis sit impetita, vel potius quot opinionum sit obducta nebulis, quæ nihilominus intacta & micans apparet.

Sed, inquies, rem antiquatam reuocas, & fortasse obliuione deletam. Tantum abest: vix enim vnquam magis quàm ætate nostra incaluit disputantium ardor in hac controuersia: & relictis iis quæ aduersus Physicam Prædeterminationem dixit Dominus Iansenius lib. 1. de gratia primi hominis c. 20. quâ subuerti asserit vniuersa doctrinæ S. Augustini principia, quantùm ad statum innocentiæ (cuius oppositum ex ipsomet D. Augustino euidenter, Deo dante, demonstrabo) videndum est quid occasione dicti Domini Hyprensis dixerint quidam Moderni: vnde sit;

CAPVT SEPTIMVM.

Quid ætate nostrâ senserint quidam Moderni de Prædeterminatione Physica?

I. TOt vsque modò adinuentæ sunt tergiuersationes circa Prædeterminationem Physicam admittendam, vt quâ intentione id contigerit, non facile dixerim. Etenim an sincere, aut de industria fictè, vt ab ea inquirenda aut detegenda tot ambagibus & dolis retardaretur animus, soli iudicio illius qui corda scrutatur, libentissimè remitto: Attamen hîc patientiam deposco Lectoris, pro iis quæ hoc in Libro dicenda supersunt, vt fusè possim absque illius tædio singulis respondere difficultatibus, quibus velut nubibus Præmotio physica hactenus obducta est: quibus dissolutis non poterit ipsâ luce meridianâ euidentior non apparere: Quod profectò non sine admiratione fore spero, si ex ipsissimis fontibus argumenta depromantur pro ea stabilienda; ex quibus apparentes inducuntur rationes quibus illa opugnaretur, & iisdem introducatur rationum momentis quibus illa ab eis eliminaretur: quod in sequentibus fauente Numine præstabimus, si priùs præsenti quæstioni fecerimus satis.

Durandus in 2 dist. 37. q. 1. Baronij testimonio vir sanctissimus, in quem nihilominus, quòd à doctrina D. Thomæ hac in parte potissimùm recessisset, consobrinus illius cognomento Durandellus, librum edidit, qui sic incipit, *Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum*, &c. Docuit nullum requiri Diuinæ voluntatis concursum ad naturales causarum secundarum actiones: sed satis esse ipsas naturas, earumque virtutes à Deo conseruatas.

Sed quia hanc Durandi sententiam vt falsam communiter omnes reiiciunt, & nominatim Bellarminus ipse l. 4. de Gra. & lib. arb. c. 14. Scripturis, Patrumque testimoniis asserit repugnantem, in ea confutanda non immorabimur, maximè cùm ab ea velut Origenis errore caueat Doctor Angelicus 3. contr Gent. c 89.

Nostrâ tamen ætate non defuêre, qui hanc Durandi amplecterentur opinionem, ex eo solùm quòd facilis esset, multosque vnico verbo difficultatum nodos dissecaret: vt hinc aduertat Lector nihil tam alienum esse à ratione, quin aliquem patronum reperiat.

II. Recentior iterum à quodam moderno excogitata est Philosophandi ratio; non quæ solas vires à Deo acceptas ad agendum sine vllo Dei concursu sufficere assereret, vt præsumebat Origenes: sed quę præuium Dei concursum (quem vocamus Prædeterminationem) vt Diuo Thomæ incognitum, omninò negaret: ita habetur in quodam eius libro idiomate gallico, cuius hæc sunt verba, *Vous essayez d'interesser les Thomistes en vostre deffense, sous ombre que quelques vns de l'Escole de St. Thomas soustiennent vne certaine Predetermination physique, dont ce grand Sainct ne parla jamais.* Sed cùm bona authoris huius venia dixerim, poterat meritissimus Theologiæ Doctor, Theologorum Principem & Oraculum accuratiùs euoluere, & sanè Prædeterminationem hanc physicam, quam propugnamus reperisset, non solùm re, sed proprio expressam nomine, vt infra non semel ostendemus.

Nec studium declinandi à doctrina Dom. Iprensis Episcopi, debuit tàm præceps ab eo extorquere iudicium, cum vt ipse & quidem verissimè fateatur pag. 83. & alibi sæpè, nullus reperiatur qui hac in parte sit magis oppositus doctrinæ D. Thomæ, quàm Dom. Iprensis lib sing. de grat. 1. hominis & Angeli c. 20. & lib. 8. de gra. Christi c. 2. qui multis argumentis conatur ostendere Prædeterminationem physicam conuenire non posse cum doctrina à S. Præsule Augustino tradita, quantùm ad innocentiæ statum.

Sed omnibus Domini Iansenii rationibus & argumentis fiet satis vnico ferè verbo, scilicet factâ distinctione subordinationis & dependentiæ essentialis creaturæ à Creatore iuxta quam potissimùm intelligenda est doctrina de Prædeterminatione physica in vtroque statu indispensabiliter necessaria, vt infrà dicemus cum D. Thoma, etiam in statu gloriæ, vbi erit gratia longè perfectior & omninò consummata.

Sanctissimus verò Præsul Augustinus ferè semper loquitur, vt infra dicemus, ex principiis sacræ Scripturæ, ob causas inferiùs insinuandas, quæ Scriptura penè vbique statum peccati supponit, à quo exempta in Adamo natura multis gaudebat priuilegiis, quæ tantummodò voluit Sanctus Præsul exprimere suis loquendi formulis à Domino Iprensi relatis, vt ex Estio, aliisque in doctrina D. Augustini oculatissimis dicturi sumus; Et iuxta eundem Estium quidquid legitur apud D. August. quantùm ad præsens negotium spectat, intelligendum est sine prçiudicio diligentioris inquisitionis factæ ab Angel. Doctore,

Porrò non alijs egerent Thomistæ testimonijs sacræ Scripturę pro tuenda Prædeterminatione physica, quàm quæ à Domino Iprensi allata sunt lib. 8. de gra. Christi c. 2. Et quamuis, *Ly Prædeterminatio*, non legatur apud D. Augustinum, sufficit vt ibidem insit secundum rem: Nam vt ibidem docet Dominus Iansenius, *Cùm aliquid propter nouas rationes emergentes efficaciter exprimendum, & accuratè ab alijs distinguendum est, rem veterem nouo vocabulo insignire nihil vetat.* Sed de concordia D. Augustini & Doct. Angelici infra.

III. Nec quisquam etiamsi lynceis polleat oculis, illam deprehendet conuenientiam (ob quam prędictus Doctor dixit gallicè quę ex ipso retulimus) inter gratiam necessitantem, quam Domino Iansenio tribuit, à qua alieni sunt omninò D. Thomæ discipuli, & prædeterminationem physicam Doctoris Angelici, quæ non solùm indifferentiam non destruit, sed astruit, agensque creatum semper relinquit in potentia ad oppositum, vt fusiùs infrà fiet manifestum.

Hinc interim aduertat beneuolus Lector, de Angelico Doctore, Spiritu sancto afflatum summum Pontificem Pium V. dixisse aliàs Bulla quæ incipit, Mirabilis Deus, data Romæ 1567. *Quoniam omnipotentis Dei prouidentiâ factum est, vt Angelici Doctoris vi & veritate doctrinæ ex eo tempore quo Cælestibus Ciuibus adscriptus est, multæ quæ deinceps exortæ sunt hæreses, confusæ & conuictæ dissiparentur; quod & anteà sæpe, & liquidò nuper in sacris Concilij Tridentini Decretis apparuit: eiusdem memoriam, cuius meritis à pestiferis quotidiè erroribus liberatur; majore etiam quàm anteà grati & pij animi affectu colendam statuimus, &c.* Hæc summus Pontifex Christi Vicarius: cuius vestigijs insistens Alexander VII. anno 1661. cùm nonnulli temerè, ob damnatas à suo prædecessore quinque propositiones, doctrinam D. Thomæ vellicarent, ne illam vllius conuenientiæ cum prædictis propositionibus suspectam haberent, Breui speciali ad Doctores Louanienses directo, doctrinam Thomisticam in tuto posuit. Et tamen adhuc reluctantur quidam Neoterici, qui quasi in injustitia veritatem detinere apud se statuissent, octo subterfugia excogitarunt, vt à physica prædeterminatione iugum excuterent. Quibus ex latebris illos palàm extrahemus sequentibus octo capitibus: & à primo quidem prætextu, capite sequenti, scilicet quòd apud D. Thomam prædicta prædeterminatio Physica minimè reperiatur. Sed quia non est leuis momenti scire, vtrum continuò non sit aliquid admittendum, ex eo quòd in Scripturâ aut Patribus non reperiatur proprio nomine expressum, licet secundum rem aut sensum inibi habeatur; operosiùs est inquirendum: vnde sit:

CAPVT OCTAVVM.

Vtrum Prædeterminatio esset illicò deneganda, ex eo quòd sub hoc nomine non esset expressa ab Angelico Doctore?

I. NIsi eò processisset Filiorum Noë superbia, vt dicerent Gen. 11. *Celebremus nomen nostrum, antequam diuidamur in vniuersas terras*: adhuc fortasse, *vnus esset populus, & vnum labium omnibus*: Sed in pœnam huius arrogantiæ ita confusæ sunt eorum linguæ, vt vix, & in eorum posteris, audiat vnusquisque linguam proximi sui: hinc tot difficultates in propriæ mentis conceptibus exprimendis, tot in explicandis, aut suadendis volumina.

Verùm si in re aliqua quid ponderis sit habitura consuetudo, in hac maximè: quia vt inquiebat ille loquendum est vt multi, & sapiendum vt pauci: plurimumque Antiquitati venerabili deferendum est in nominum impositione. Attamen, teste Angelico Doctore 1. p. q. 29. a. 3 ad 1. *Ad inueniendum noua nomina antiquam fidem de Deo significantia, coegit necessitas disputandi cum hæreticis.*

II. Hîc autem non dimicandum cum hæreticis eiusmodi, sed cum viris pietate & doctrinâ præcipuis, quibus non intellecta aliquandiu displicuit prædeterminatio physica; quibusque forsitan placebit ritè enucleata. Et quia, vt ait D. Augustinus Lib. 1 contra Iulia. c. 2. *Alia sunt in quibus inter se aliquando etiam doctissimi atque optimi Catholicæ regulæ defensores, saluâ fidei compage non consonant: & alius alio, de vna re meliùs aliquid dicit & veriùs.* Quid hîc quoque meliùs sit & veriùs prudens Lector iudicabit. Præsertim, num esset rationi consentaneum prædeterminationem physicam denegare, ex eo quòd non esset formaliter expressa sub hoc nomine, ab Angelico Doctore?

Primò igitur, *ly Transsubstantiatio* constat adinuentum contra Lutheranos, teste Vinc. Lirin. In Common c. 27. vbi ait. *Ea quæ didicisti, ita doce, vt cum dicas nouè, non dicas noua.* Attamen quis nisi hæreticus huic denominationi, etsi nouæ, non suffragetur? An continuò proscribenda, quia noua, aut saltem nouè necessariò adinuenta?

Secundò. Teste Theodoreto c. 8. de Arim. Conc. lib. 2. *Conquerebantur Episcopi Arriani, quòd corpus Ecclesiæ distraheretur ob duas voculas, scilicet, Substantia, & Consubstantialis, easque in Sacris Litteris minimè repertas*: quibus responderi meliùs non posset aut veriùs, quàm verbis Epiphanij contra hæres. hæresi 69. *Respondete*, inquit, *nobis Arrij discipuli, (Ingenitum) dicimus omnes, Patrem, & (increatum) vbi ergo hæc dictio est scripta? nec enim lex dicit, nec Propheta, nec Apostolus.* Præterea, ex Angelico Doctore 1. p. q. 29. a. 3. ad 1. habetur quod *licet nomen Personæ in Scriptura noui vel veteris Testamenti non inueniatur dictum de Deo, tamen id quod nomen significat, multipliciter in Sacra Scriptura inuenitur assertum de Deo.* Si ergo vel id solùm diceretur de prædeterminatione physicâ in doctrina D. Thomæ, quis nisi immeritò contradiceret?

III. Item testatur idem Doctor Angelicus 1. p. q. 32. a. 2 ad 1. *Nullam de notionibus fieri mentionem in Sacra Scriptura.* Et tamen in Logica, immò & in Theologia nihil frequentius vsurpatum. Rursùm, eodem Iudice per illa verba non inuenitur in Sacra Scriptura quod Spiritus Sanctus procedit à Filio, inuenitur tamen quantùm ad sensum & præcipuè ex illo Ioan. 16. vbi de Spiritu Sancto, loquens ait; *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Et tamen, quis Christianorum, nisi Græcorum errore infectus, hoc audeat reuocare in dubium? Similiter ait 1. p. q. 39. a. 2. ad 2. *tres personas esse vnius essentiæ non in-*

ueniatur in Sacra Scriptura per hæc verba, inuenitur tamen quantum ad sensum. Et subinde quis oppositum citra fidei periculum possit credere?

Verùm, quid ex tàm prolixa inductione, nisi apertissimè inferendum aliquando licere rem veterem nouo insignire vocabulo; nec semper necesse, vt in Scripturâ Sacrâ, aut in aliquo Authore aliquid sit expressum sub proprio nomine; si aliundè certò constet, illud inesse secundum rem & sensum; aliàs infinita sequentur inconuenientia: Nec admittendum esset, v. g. adorandum Eucharistiæ, aut Trinitatis nomen, cum Sacris in Codicibus formaliter & expressè non legatur. Igitur vt ait Diuus Augustinus Epist. 28. ad Hiero. *Cùm de re constat, non est de nomine litigandum.*

Dato ergo, non concesso quòd præmotionis, seu prædeterminationis physicæ nomen non reperiretur formaliter expressum in doctrina D. Thomę quis iure audeat contradicere si aliunde constet secundum rem & sensum centies à S. Doctore repetitum, vt inferiùs manifestissimis euincemus testimonijs. At Non sufficit (inquit D. Hieronius) loquens de Arrianis exigentibus ipsum nomen (*hypostasis*) *Ipsum nomen efflagitant.* Verùm & nos gratis vocabulum prædeterminationis apud D. Thomam suo loco reperiemus. Quamuis, vt dictum est, hoc non sit necessarium.

Admittatur (inquiunt) ista Dei præmotio, arduis in rebus captum creaturæ ita excedentibus, vt in iis ipsa rationem potiùs habeat instrumenti, quàm causę principalis. Sed quid hîc Dei præmotione opus est, in rebus minimis & facilioribus, quæ à creatura, inclinatione fiunt quasi spontaneâ? Hæc est secunda aduersariorum euasio, quos vt illinc reuocemus, sit:

CAPVT NONVM.

Vtrum ad initia bonorum operum, siue ad faciliora quędam naturalia, sibi sit creatura sufficiens absque vllâ Dei pręmotione, quâ de potentiâ in actum reducatur?

I. Mirum est, quot quæsierunt latebras, ne veritatis luce perfunderentur qui in præmotionem Thomisticam falsâ animi præoccupatione, aut voluntario cæcitatis vitio impegerunt; manifestis siquidem testimonijs pro huius notionis vocabulo haud expressè exigendo cap. præcedenti relatis, conuicti: alia sunt meditati subterfugia; & in primis, quod creatura sibi sufficiens esset, saltem ad quædam bonorum operum initia, seu ad nonnulla naturalia, quæ propriam cuiusque naturam non excederent; idque ipsissimis sanctorum Thomæ & Augustini testimoniis audacter asserunt comprobandum: siquidem, inquiunt, Doctor Angelicus 1. 2. q. 109. a. 1. o. *Vnaquæque forma indita rebus creatis à Deo, habet efficaciam respectu alicuius actus determinati, in quem potest secundum suam proprietatem: vltra autem non potest, nisi per aliquam formam superadditam, sicut aqua non potest calefacere, nisi calefacta ab igne.* Quid clarius? inquiunt.

Item, ibidem art. 2. in o. ait. *In statu integræ virtutis poterat homo per sua naturalia, velle & operari bonum, naturæ suæ proportionatum, quale est bonum virtutis acquisitæ, non autem bonum superexcedens, quale est bonum virtutis infusæ.* Immò & ibid. hæc habet: *Potest etiam homo & in statu naturæ corruptæ per virtutem suæ naturæ aliquod bonum particulare agere, sicut ædificare domos, plantare vineas, &c.* Ad quid ergo, inquiunt, ista præmotio deforis adueniens, quæ velut necessaria introducitur, contra hæc & similia Diui Thomæ testimonia?

II. Velut omninò conformem Angelico Doctori adducunt sanctissimum Præsulem Augustinum T. 7. lib. 3. Hypog. c. 4. *Esse fatemur, inquit, liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis, non per quod sit idoneum quæ ad Deum pertinent sine Deo aut inchoare, aut certè peragere; sed tantum in operibus vitæ præsentis, tàm bonis, quàm etiam malis &c. vt velle laborare in agro, velle manducare, bibere &c.* Ergo saltem, inquiunt, his vitę operibus non est idem iudicium, ac in ijs quæ ad Deum pertinent.

Pro prædictis nebulis, similibusque dissoluendis, quibus velut sub quadam caligine minùs perspicaces determinentur: Sciendum est apud D. Thomam duplex esse Dei auxilium: Primum est auxilium Dei mouentis hominem ad benè agendum, quod tàm in rebus naturalibus quàm in liberis quando operantur aliquid quod naturalem earum facultatem non excedit, dicitur præmotio seu prædeterminatio, & est à Deo vt Authore naturæ, & prima Causa rerum; ab alijs verò dicitur, Concursus Dei generalis.

Quando autem auxilium istud ad aliquid terminatur quod naturalem facultatem excedit, v. g. ad vitam æternam promerendam, tunc dicitur gratia, siue præueniens, siue operans; per quam Deo operanti, vt authori gratiæ, cooperemur.

III. Alterum verò Dei auxilium, est habituale donum diuinitùs naturæ infusum, seu gratuita virtus, virtuti naturæ superaddita: Idque infero ex varijs D. Thomæ testimonijs 1. 2. q. 111. a. 2. in. o. *Gratia, inquit, dupliciter potest intelligi, vno modo Diuinum auxilium, quo nos mouet ad benè volendum & agendum: alio modo habituale donum Dei nobis diuinitùs inditum.* Item hoc ipsum repetit ibid. q. 112. a. 2. ad 1. *Gratia dicitur dupliciter, quandoque quidem ipsum habituale Donum Dei: quandoque autem auxilium Dei mouentis animam ad bonum.* Et tandem etiam ibid. q. 110. a. 2. in o. *In eo, inquit, qui dicitur gratiam habere, significatur esse quidam gratiæ effectus gratuitæ Dei voluntatis: dictum est autem suprà quod dupliciter ex gratuita Dei voluntate homo adiuuatur vno modo quantum anima hominis mouetur à Deo ad aliquid cognoscendum vel volendum vel agendum: & hoc modo ipse gratuitus effectus in homine non est qualitas, sed motus quidam animæ, actus enim mouentis in moto, est motus: Alio modo adiuuatur homo ex gratuita Dei voluntate secundum quam aliquod habituale donum à Deo animæ infunditur.*

Vbi aduertas, Primum auxilium à sancto Doctore expressum esse, *Nomine actus.* Per quem intelligitur præmotio Thomistica: Secundum verò dicitur & habituale donum & gratuitæ voluntatis Dei effectus

animam eleuantis; cuius necessitatem expressit Doctor Angelicus de verit. q. 24. a. 14. vbi ait. *Ad bonum quod est suprà naturam humanam constat liberum arbitrium non posse sine gratia, &c.*

His suppositis: quando D. Thomas ait loco suprà citato 1. 2. q. 109. a. 1. *Vnaquaque forma indita reb. creatis à Deo, habet efficaciam respectu alicuius actus determinati:* (Præter id quod hic dici potest de determinatione vniuscuiusque quoad speciem) per hoc tantùm intelligitur, quod non sit necesse, virtutem hanc gratuitam (de quâ superius) scilicet gratiam habitualem infundi à Deo, vt aliquis bonum virtutis acquisitæ operetur; sicut non est necesse vt calor communicetur aquæ, nisi cum ad calefaciendum assumitur: quod est exemplum D. Tomæ loco suprà citato in o. Ratio est, quia vt ipse ait ead. q. a. 2. *Natura humana per peccatum, non est totaliter corrupta, vt scilicet toto bono naturæ priuetur, &c. Sicut homo infirmus potest perseipsum aliquem motum habere; non tamen perfectè potest moueri motu hominis sani, nisi sanetur auxilio medicinæ.*

V. Nunquam tamen negauit Sanctus Doctor primum illud Dei auxilium hominem mouentis ad bene agendum (per quod intelligitur præmotio Thomistica) immò passim illud repetit vt in ead. q. 109. a 2. o. *Secundum vtrumque statum natura humana indiget Diuino auxilio ad faciendum vel volendum quodcumque bonum, vt primo mouente.* Et nota quod non dicit, ad bonum aliquod excedens, sed ad quodcumque bonum.

Rursùm: Cùm Doct. Ang loc. sup cit. 1. 2. q 109 a. 2. ait. *Hominem per sua naturalia posse velle & operari bonum suæ naturæ proportionatum, vt in statu innocētia, imò & in statu naturæ corruptæ, posse quod dā particulare, &c.* Nihil dicit in præjudicium præmotionis sed tantùm indicare intendit non necesse esse, vt Deus in qualibet re naturali producat aliquam qualitatem excedentem propriam ipsius virtutem, vt per eam agens creatum agat; sed sufficere virtutem naturalem à Deo præmotam, quod fit à Deo vt authore naturæ & rerum omnium causâ; cui essentialiter est subordinatum omne agens creatum: vt enim dixi, non est necesse vt v. g. calor communicetur aquæ, nisi cum ad calefaciendum assumitur, qui effectus excedit ipsius aquæ naturam; licet ad actionem propriam sibi sufficiat vtpote cui tanquam agenti necessario semper sit præsens naturalis Dei concursus.

VI. Eodem modo intelligendi sunt Petrus Diaconus & alij in causa fidei à Græcis Romam missi de Inc. & gra. Iesu Christi ad Affricanos Præsules scripto. *Sine hac igitur gratiâ (id est, sine qualitate illâ eleuante naturam) potest homo quidem cogitare aut velle seu desiderare Diuina.* Non tamen negant primum Dei auxilium, quo Deus vt author naturæ res omnes naturales præuenit, vt eas è potentia in actum reducat: Eodemque sensu inquiunt illi. *Frustrà garriunt, qui dicunt meum est velle credere; Dei autem gratiæ est, adiuuare: cum etiam ipsum credere, quod est assensum præbere veritati, nobis à Deo dari testetur Apostolus,* Et cap. 8. *Sed nos, inquiunt, sequentes eumdem Apostolum, omnem bonarum cogitationum originem, earumque confessionem & voluntatem ex Deo & per Deum & in Deo dicimus, qui prauas hominum voluntates, & terrenis affectibus implicatas, per infusionem & operationē intrinsecùs Spiritus Sancti absoluit & corrigit, sicut scriptum est, præparatur voluntas à Domino.*

Sic ergo supernaturalis auxilij Dei excellentiam (quo, vt loco suprà citato inquiunt.) *Falsa libertas, fit libertas Christiana.* Veneremur vt alterius auxilij necessitatem, quo Deus vt naturæ author, omne agens creatum præuenit, non negemus.

VII. Et prædictæ huius distinctionis (quâ innumera soluuntur argumenta) fundamentum, quod breuiter subijciam, fusiùs reperies apud D. Thomam 1. 2 q. 110. a. 2. o. *Non est conueniens,* inquit, *quod Deus minus prouideat his, quos diligit ad supernaturale bonum habendum, quàm creaturis quas diligit ad naturale bonum habendum. Creaturis autem naturalibus sic prouidet, vt non solùm moueat eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis formas & virtutes quasdam, quæ sunt principia actuum, vt secundum seipsas inclinentur ad huiusmodi motus: & sic motus quibus à Deo mouentur fiunt creaturæ connaturales & faciles secundum illud Sapient. 8. & disponit omnia suauiter: Multò magis igitur, illis quos mouet ad consequendum bonum supernaturale æternum, infundit aliquas formas seu qualitates supernaturales secundum quas suauiter & promptè ab ipso mouentur ad bonum æternum consequendum, & sic bonum gratiæ qualitas quædam est.*

VIII. Hic velim aduertat Lector, quàm perpetuus sit hic in re stabiliendâ Doctor Angel. Nam vt Deo dante dicemus, cum præmotionem ratione naturali probauerimus: præter qualitates permanentes seu habitualiter rebus inditas, siue naturales illæ sint, siue supernaturales; hanc Dei motionem necessariam ex D. Thoma ostendemus vt agens creatum per eam reducatur de potentiâ in actum secundum, quod in rebus naturalibus fieri dicimus per præmotionem physicam: quare ait Doct. Angelicus 1. 2. q. 109. a. 9. ad 1 *Donum gratiæ habitualis, non ad hoc datur nobis, vt per ipsam non indigeamus vlterius Diuino auxilio (En Dei præmotio de quâ est hic tota controuersia) quia etiam in statu gloriæ, quando gratia erit omninò perfecta, homo Diuino auxilio indigebit.*

Quid ad hæc, Candide Lector? Si vnquam licuit à majori ad minus argumentari; quis amplius dubitet de mente Diui Thomæ circa necessitatem præmotionis physicæ in statu innocentiæ (pro quo solliciti sunt & ancipites quidam Moderni) Cum hanc ipsam exigat in ipso statu gloriæ, longè perfectiori. Hic discurre si lubet de prærogatiuis illius; præ innocentiâ illâ, quàm tàm miserè, tamque citò prædidimus.

Aliud præfatæ distinctionis testimonium reperies apud Doct. Ang. 1. 2. q 110. a. 1. o vbi duplicem Dei dilectionem distinguit. *Vna quidem,* inquit, *communis est, secundum quam diligit omnia quæ sunt, vt dicitur sap. 11. secundum quam, esse naturale rebus creatis largitur: alia autem dilectio est specialis, secundum quam trahit creaturam rationalem suprà conditionem naturæ ad participationem Diuini boni.* Tanta ergo necessitas prædictæ præmotionis Thomisticæ pro omni statu & hominis conditione, radicatur in dependentia creaturæ cui sicut non potest conferri, vt sola sine Deo semetipsam conseruet, ita nec ei potest tribui, vt se solâ agat, quia sic esset independens à Deo, non quidem in esse entis, sed in ratione principij actualis; ita D. Thomas de potent. q 5. art. 1 & 2.

IX. Et quamuis Doct Angelic. 1. 2. q. 109. a. 2. concedat fortiorem fuisse naturam in statu innocentiæ & hominem plura potuisse, quàm nunc possit, sicut homo sanus plura potest & melius, quàm possit infirmus; Nunquam tamen verbum protulit ritè intellectum, ex quo possit moueri suspicio in præiudicium præmotionis: Immò vbique ferè semper ipsam insinuat, vt patet etiam art. citato in o. *Et iterum autem, id est, præter facultates naturales & dona gratuita,*

gratuita) in vtroque statu indiget homo auxilio Diuino, vt ab ipso moueatur ad benè agendum. Et rursùm ibid ad 1. *Mens hominis etiam sani non ita habet dominium sui actus, quin indigeat moueri à Deo & multo magis liberum arbitrium hominis infirmi post peccatum.*

Quare? Quia post peccatum indiget homo medicinæ auxilio, quo non indigebat stante fœlici statu innocentiæ. Itidem eâd q. a. 1. ad. 1. *Omne verum à quocumque dicatur, est à Spiritu Sancto, sicut ab infundente naturale lumen, & mouente ad intelligendum & loquendum veritatem; non sicut ab inhabitante per gratiam gratum facientem, vel sicut largiente aliquod habituale donum naturæ superadditum; sed hoc solum, &c.* Denique ibid. *Homo in statu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ superadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum naturaliter super omnia: licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum mouentis.* Nota *Ly naturaliter*, Quia tunc homo poterat Deum naturaliter suprà omnia diligere, vt bonum vniuersale in quo omnia alia bona continentur (sicut etiam nunc naturaliter manus se se naturali inclinatione exponit periculo pro conseruatione capitis, quod est quodammodo bonum totius) Non tamen dilectione supernaturali, in qua Deus ope est objectum beatitudinis; quia vt ait D. Thomas art. 5. eiusd quæst. *Nullus actus excedit proportionem principii actiui.*

Et hoc asserit D. Thomas non solùm de homine in statu innocentiæ, sed & de ipso Angelo peccante, vbi ait sanctus Doctor de malo q. 16. a. 3. peccatum diaboli in hoc fuisse quòd *Beatitudinem consequi voluit per virtutem suæ naturæ, non tamen sine Deo in naturam operante (nota Præmotionem in ordine naturæ) sed sine Deo gratiam conferente.* Vide quæ suprà diximus c. 1. huius libri.

X. Ad id autem quod objicitur ex D Augustino lib. 3 hyp. c. 4. Dico pro responsione sufficere in memoriam reuocare, id quod suprà cap. 4. retulimus ex D Hieronimo damnante Pelagium blasphemiæ, ex eo quòd in derisum verteret *Ad actiones naturales auxilium Dei mouentis esse necessarium.* Sed hoc in dubio suam sufficienter aperuit mentem sanctus Præsul Augustinus, vbi postquam de huiusmodi operibus vitæ præsentis vt velle, laborare, manducare &c. loquutus est, citò subjungit id ipsum quod exigimus. *Quæ omnia* (inquit) *non sine gubernaculo Diuino subsistunt: immò ex ipso, & per ipsum sunt.* Si enim prædicta ex Deo sunt ergo est quoque illorum causa; quod esse nequit, sine concursu eius præuio Præmotionis nomine significato: virtus siquidem Dei est in qualibet re per essentiam, non aliâ ratione, quàm vt illam sustentet, & in illa operetur: Et hâc de causâ, ipsius naturæ effectus operationi Diuinæ (quæ vna est cum operatione creaturæ) tribuuntur; Iuxta illud Iob. *Pelle & carnibus vestisti me.* Et Genes 48. 15. *Deus qui pascit me ab adolescentia mea.* Quo deserente, statim desineret esse creatura, & in ea, illo non operante; omnis virtus creaturæ esset otiosa.

Quare sanctissimus Præsul Conc. 2. in Ps. 32. Et spiritu oris eius omnis virtus eorum. *Non habuerunt* (inquit) *aliquid ex se, & tanquam supplementum à Domino perceperunt: spiritu enim oris eius, non pars, sed omnis virtus eorum.*

XI. At, ne quis inde occasionem sumat denegandi cooperationem seu actionem creaturæ; legat quod idem scripsit. *Adiutor noster Deus dicitur, nec adiuuari potest, nisi qui aliquid sponte conatur, quia non sicut in lapidibus insensatis salutem nostram Deus operatur in nobis.* Agit namque Deus vt agamus & tota actio creaturæ est ab eo, & tota quoque à creatura, sed prius & magis ab eo, à quo & per quem sunt omnia, quàm ab illa.

Itidem legat qui voluerit Angelicum Doctorem in cap. 10. Iob. in hæc verba: (Quod sicut lutum feceris me) *Considerandum est* (inquit) *quod quia omnia opera naturæ tribuit Deo, non excludit naturæ operationem, sed eo modo, quo principali agenti ea attribuuntur, quæ per causas secundas aguntur, vt artifici ipsa operatio serræ, hoc enim ipsum quod natura operatur, à Deo habet, qui ad hoc eam instituit.*

Sed quia prædictus error, circa bonorum operum initia exortus, ex certo loquendi modo processit, ex quo inferri posset saltem apparenter, aliqua fieri à creatura, sine Deo præmouente, sed tantùm cooperante operanti creaturæ; necesse est causam deceptionis aperire, nosque ab hoc specioso prætextu eripere, vnde sit.

CAPVT DECIMVM.

Vnde illorum contigerit error, qui creaturam ad faciliora quædam, seu ad bonorum operum initia sibi sufficientem, sine Deo præmouente; dixerunt.

I. PRo huius difficultatis intelligentiâ sciendum est primò ex D. Thomâ 3. cont. Gent. c. 65. rat. 5. quòd sicut ars naturam, ita & natura Deum in omnibus præsupponit: sicut ergo perperam ageret, qui verbis exprimens opera artis, naturam necessariò præsuppositam denegaret, ex eo quòd non esset semper & vbique nominatim expressa formaliter, sic & à fortiori, qui de rebus creatis loquens, Deum ipsum totius naturæ basim & fundamentum, præsupponi, tàm in essendo, quàm in agendo (quod sequitur esse) non intelligeret; quod tamen expressè semper repetere, nedum superfluum esset, sed & exosum: Huius verò subordinationis quæ inter voluntatem intersit & naturam: ac vicissim inter eam, eiusque Authorem, seu Dei voluntatem quæ est Prima rerum omnium Causa, solidum reperies fundamentum apud Doctorem Angelicum de verit. q. 22. a. 5. in o. *Sicut animal, inquit, includitur in rationali, & tactus in organo vniuscuiusque sensus; sic natura & voluntas hoc modo ordinata sunt, vt ipsa voluntas, natura quædam sit, & ideò in voluntate oportet inuenire, non solùm, id quod voluntatis est; sed etiam quod naturæ est.* Rursùmque ac magis expressè hoc insinuat idem D Thomas de potentia q. 3. a 7. ad 9. *Licet natura & voluntas sint secundum esse disparata, tamen in agendo habent aliquem ordinem; nam sicut ratio naturæ præcedit actionem voluntatis nostræ, ratione cuius, in operibus artis, quæ à voluntate sunt, naturæ operatione indigetur; ita voluntas Dei quæ est origo naturalis motus, præcedit operationem naturæ, vnde & eius ope-*

ratio in omni operatione rerum requiritur.

II. Secundò ex D.Thoma 1. 2. quæst. 111. a 2. ad 3. *Gratia diuiditur in operantem & cooperantem secundum diuersos effectus.* Qui quinque ab eo ibidem assignantur. Primus est, vt quis sanetur: Secundus vt bonum velit.: Tertius vt operetur: Quartus vt perseueret: Quintus vt ad gloriam perueniat. His duobus prænotatis, sc. operationem voluntatis Diuinæ in omni operatione voluntatis & naturæ tanquam basim, seu (vt loquitur D.Thomas) velut tactum in organo cuiusque sensus, includi: Esseque diuersos gratiæ effectus, secundum quos & Scriptura & Patres sæpè debent intelligi, vt cuicumque operationi creaturæ, absolutè loquendo, semper præsupponatur ille, qui cooperando perficit, quod operando incœpit: sic euanescunt quæ truncatis Patrum vel Scripturæ testimonijs perperàm congerunt aduersus Thomistas, vtpote quæ ad rem nequaquam spectant. Exempli gratiâ.

Si inter diuersos gratiæ effectus, primum dixerimus spiritualem hominis sanitatem: & secundum credamus esse exercitum virtutum in homine sano & iustificato. Gratia quæ dicitur prænenire exercitium virtutum, rectè dicitur subsequens respectu sanitatis spiritualis, factæ tamen per aliam gratiam præcedentem, quæ tanquam vera causa effecit prædictam sanitatem. Vnde Sanctus Augustinus in hæc verba Psal. 20. Præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis. *Benedictio dulcedinis* (inquit) *est gratia Dei, quâ fit in nobis, vt nos delectet & cupiamus* (*hoc est amemus*) *quod præcipit nobis, in quo si nos non præuenit Deus; non solùm non perficitur, sed neque inchoatur à nobis: si enim sine Deo nihil possumus facere, vt dicitur Ioan. 15. profectò nec incipere, &c.*

III. Cum igitur ait Vates Regius, *Mane oratio mea præueniet te, &c.* Oratio pia non præuenit omnem Dei gratiam & inspirationem, sed gratiam aliquam subsequentem, v. g. Auxilium aliquod efficax & necessarium ad vincendam aliquam vrgentem tentationem aut aliquod excellens pietatis opus efficiendum per ipsam orationem obtentum. Et hoc deduco ex sancto Augustino Epist. 105. ad Xistum Præsby. tom. 2. *Etiam*, inquit, *oratio inter gratiæ munera reperitur.* Quid enim oremus (ait Doctor Gentium) sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus interpellat pro nobis, &c. id est, interpellare nos facit. Rom 8. Et ideò iure merito damnati sunt ab Ecclesia Semipelagiani ex eo quod asserent nos posse salutis nostræ opera sine præuio gratiæ adiutorio incipere, vt ait Sanctus Prosper in Epist ad Augustinum de Massiliensibus asserentibus. *Nostram obedientiam esse gratiâ priorem. Vt*, inquit, *initium salutis, in eo qui saluatur, non ex eo credendum sit stare, qui saluat. Et ideò, quis iuuetur quia voluit, non ideò quia adiuuatur, velit.*

IV. Hâc de causâ Spiritu Sancto afflatus Psalmista vtrumque dixit: *Misericordia eius præueniet me.* ad Ps. 58. *Misericordia eius subsequetur me.* Est enim. a. & ec; & vt ait sanctus August. to. 7. lib. de natura & gratia c. 31. *Qui preuenit vt vocemur, subsequitur vt glorificemur.*

Ratio fundamentalis prædictorum est, quia licet voluntatis Diuinæ quæ vnico ac simplicissimo actu omnia velit in sua bonitate, nulla prorsùs in communi causa sit quærenda, vt ait D. Thomas 1. p. q. 19. a. 5 Attamen vt idem fatetur in 15. Ioan. lect. 3. pag. 486. *Aliquod bonum particulare in nobis existens, potest esse causa alterius boni nobis dandi, & hoc alterius, cum sit ordo quidam in Diuinis donis; sed vniuersaliter nihil potest esse causa & præcedere Diuinam electionem, quia omnia bona sunt nobis à Deo. Non vos me elegistis, &c. Quoniam ipse prior dilexit nos.* Porrò, si *omnia bona sunt nobis à Deo.* Ergo est eorum omnium causa scilicet, & boni dati, & alterius ob prioris considerationem dandi, sicque nullus est locus dubitandi quominus semper præcedat Deus.

Cùm igitur aut Scriptura sacra, aut aliquis ex sanctis Patribus ait aliquem v. g. nouo aliquo benedictionis munere donari à Deo, ex eo quod, quæ Dei sunt sapiat; non idcircò neganda est eius gratia præueniens quæ sanitatem effecit, & quâ, sublato fastidio, præstitit Deus, vt saperet homo. Ita Diuus Thomas 1. 2. q. 112. a. 4. o. *Qui magis se ad gratiam preparat, pleniorem gratiam accipit: sed ex hâc parte, non potest accipi prima ratio huius diuersitatis, quia preparatio ad gratiam non est hominis, nisi in quantùm liberum arbitrium eius preparatur à Deo, &c.* Denique, in Sed contra: iam insinuarat id ipsum 1. 2. q 111. a. 2. Ex Sancto Augustino de gratia & lib. arb c. 17. tom 7. *Cooperando Deus in nobis perficit, quod operando incœpit, quia ipse vt velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Quod fusius ibid. explicat in o. *In illo effectu*, inquit, *in quo mens nostra est mota & non mouens; solus autem Deus mouens, operatio Deo tribuitur, & secundum hoc dicitur gratia operans In illo autem effectu in quo mens nostra & mouet & mouetur, cooperatio non solum attribuitur Deo, sed etiam animæ, & secundum hoc dicitur gratia cooperans.* Sed de hoc infrà. Iterim tamen tanquam certum & indubitatum supponendum est, quod non flante Austro Diuino, nusquam fugetur Aquilo. Nec vnquam terra nostra dabit fructum suum, nisi prius dederit Deus benignitatem. Si ergo audis fieri, quidquid petitur in nomine Christi; memento Spiritum Sanctum postulare pro nobis, seu efficere vt oremus sicut oportet: Itidem non est dubium, quin pœnitentibus gratiam suam Deus Opt. largiatur; sed Deus ipse est, *qui Gentibus dat pœnitentiam ad vitam.* Act 11. 18. Et qui de peccatoribus facit iustos: ait siquidem Ierem. 31. *Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam.* Cum ergo audis v. g à Deo pænitentem susceptum esse, non ideò dubites, quin ab ipso Deo factum sit, vt pœniteret, qui vt Sap. 4 12. dicitur. *Filijs suis vitam inspirat, & suscipit inquirentes se, & præit in viâ iustitiæ.* Vnde ait D.Thom. 1 p. q 21. a. 4. ad 1, *In iustificatione impij apparet iustitia, dum culpas relaxat propter dilectionem, quam tamen ipse misericorditer infundit sicque de Magd. dicitur Luca 7. dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Et ibid. in o. ait. *Opus diuinæ iustitiæ semper præsupponit opus misericordiæ & in eo fundatur.*

VI. Magdalena ergo à Christo suscepta est, quia ad ipsum accessit; sed vt ait D. Gregorius hom. 33. in Euang. *Qui per mansuetudinem suscepit foris; per misericordiam traxit intùs.* Nisi enim illam priùs traxisset intùs; illa non venisset: quia vt optimè & eleganter dixit Diuus Fulgentius de Incarnatione & gratia cap. 22. *Nec vnquam redire velle potest ouis errans, nisi fuerit boni pastoris inquisitione præuenta & humeris reportata, quæ Pastorem suum quærere non potest, priusquam ab eo quæratur; sed à quærente præuenitur, vt quærat: Pastor autem eam frustrà quæreret, si quærere ipsa Pastorem quasi à non posset; sed hoc, & quærentis Pastoris bonitas donat, vt etiam ipsa quærendi Pastoris habeat voluntatem.*

Sed ne alienis videamur indigere suffragijs; Doct. Angel. in propria causa (vt æquum est) audiatur. Po. 10 in Primæ Ioan. 4. lect. 4. quoniam ipse prior

dilexit nos: *Manifestum est*, inquit, *quod sua dilectio praecedit omne meritum nostrum; sed ad hoc dicendum est, quod ipsam Dei dilectionem nullus mereri potest, sed effectum Diuinæ dilectionis, qui est augmentum gratiæ & collatio gloriæ, &c. Vnde possumus dicere, quod Deus propterea hunc vel illum hominem diligit, & effectum suæ dilectionis impendit, quia eius implet mandata.* Impletio igitur seu obseruantia mandatorum est quidem causa amplioris dilectionis, sed non prima primæ, *Quoniam ipse prior dilexit nos.* Hoc in sensu ait diuus August. tract. 47. in Ioa. *Quomodo mandata seruabimus, vt eum, id est, Spiritum Sanctum accipiamus; quem nisi habeamus, mandata seruare non possumus? Restat ergo, inquit, vt intelligamus, Spiritum Sanctum habere qui diligit, & habendo mereri, vt plus habendo, plus diligat.*

Nonne miraris Erudite Lector, quî Ecclesiæ lumen Augustinus, vbique quantum ad præsens negotium spectat, quasi vno ore loqui videatur cum Angelico Doctore, non existimante Sanctum Præsulem vel tantillùm à prioritate Diuini concursus, (quem solùm propugnamus) diffidere; vnde 1.2. q. 109. a. 4. ad 1. ait. *Dicendum quod sicut Augustinus dicit lib. de Spir. & Litt. non moueat quod naturaliter dixit eos quæ legis sunt facere: hoc enim agit Spiritus gratiæ, &c.* At, si agentem Spiritum gratiæ in ipsis quæ naturaliter fieri dicuntur, agnoscit Augustinus: profectò in nullo sentit creaturam in agendo esse à Deo independentem; vt Antithomistæ moliuntur suadere.

VII. Sed ne amplius aduersarij abutantur testimoniis præ se apparenter oppositũ ferentibus, rem prosequamur. Quomodo v. g. sit intelligendum, *Deum opt. non denegare gratiam facienti quod in se est?* Nonne prout vulgò ab imperitis accipitur, scilicet creatura ex se solâ faciens ex vna parte: & Deus ex altera, retribuens? Audi Angelicum Doct. 1. 2. a. 2. ad 2. vbi id ipsum. *Facienti quod in se est, &c.* exponit de homine, vt moto à Deo, & per hanc motionem operante Sed longè euidentius suam aperuit mentem in sequentibus: nam in cap. 15. Ioa lect. 1. explicans hæc verba, Sine me nihil potestis facere, ait. *In quo & corda instruit humilium, & ora obstruit superborum, & præcipuè Pelagianorum, qui dicunt bona opera virtutum & legis sine Dei adiutorio, ex se ipsis facere posse; in quo dum liberum arbitrium asserere volunt, illud magis præcipitant: ecce enim Dominus, hic dicit: quòd sine ipso non solùm magna, sed nec minima, imò nihil facere possumus. Nec mirum; quia nec Deus sine ipso aliquid facit, Ioa. 1 Sine ipso factum est nihil: Opera enim nostra, aut sunt virtute naturæ, aut ex gratiâ diuinâ: si ex virtute naturæ, cùm omnes motus naturæ sint ab ipso verbo Dei, nulla natura ad aliquid faciendum moueri potest sine ipso: Si verò virtute gratiæ; cum ipse sit Author gratiæ, quia & veritas per Iesum Christum facta est, vt dicitur suprà: manifestum est, quod nullum opus meritorium sine ipso fieri potest 2 Cor 3. Non quod sufficientes simus aliquid ex nobis cogitare: si ergo nec etiam cogitare possumus, nisi ex Deo, multò minus nec alia.* Hæc D. Thomas. Et rursum.

VIII. In cap. 13. Math Explicans prædicta verba 2. Cor. 3. Non sumus sufficientes cogitare aliquid, &c. ait. *Sed quod est prius principium quàm cogitatio? Et si cogitatio à nobis non est, ergo nec operatio: vnde qui plus conatur, plus habet de gratiâ: sed quòd plus conetur, indiget altiori causâ Thren 5. Conuerte nos & conuertemur: si autem quæris, quare vnus magis habet de gratiâ quàm alter? Dico quòd huius rei est causa proxima, & causa prima: proxima est maior conatus istius quàm illius. Causa prima est dilectio Diuina. Eccl. 33. quare dies diem superat, & lux lucem, & annus annum, & sol solem? à Domini scientiâ separati sunt.* Hæc ille. vbi egregiè prosequitur differentiam quæ est inter agens vniuersale & particulare: quod legendum præmoneo & notandum pro his quæ dicturi sumus lib. 3.

Si ergo cogitatio est principium & quidem prius quàm desiderium aut petitio, & huius principij sc. cogitationis est aliud principium sc. Deus; quis de mente Diui Thomæ possit dubitare non video, quominus vbique sentiat ille Deum opt. omnes nostras petitiones omneque bonum desiderium præuenire: ita de facto in cap. 4. Ioa. lect. 4. & 1. p. q. 23. a. 5.

IX. Cum igitur audis: v.g. quod dicitur de Diuina Sapientia. *Quæ præoccupat eos, qui se concupiscunt; non ideo dubites quominus Deus ipse sit, qui quod bonum est, priùs concupiscere facit.* Nam vt ait Diuus Fulgentius lib. de verit. præd. & gratiæ c. 15. *Illa gratia quam Deus vasis misericordiæ gratis donat, ab illuminatione cordis incipit, & hominis voluntatem non bonam inuenit ipsa, sed facit: atque vt eligatur, ipsa prius eligit: neque suscipitur aut eligitur, nisi hoc ipsa in corde hominis operetur: ergo & susceptio & desiderium gratiæ, opus ipsius est gratiæ .. Misericordia igitur quæ gratis hominem præuenit, vt mutet in melius, & ipsa quem bonum facit; subsequendo regit, ne mutetur in peius.*

Cumque illud Mathei sibi obiecisset D. Thomas 2. 2 q 24. a. 3. (Dedit vnicuique secundum propriam virtutem) *Ex quo videbatur inferendum (inquit) quòd in homine præcederet charitas naturalis:* Ad primum sic respondet. *Illa virtus secundum quam dona sua Deus dat vnicuique est dispositio vel præparatio præcedens siue conatus gratiam accipientis: Sed hanc etiam dispositionem vel conatum præuenit Spiritus Sanctus mouens mentem hominis plus vel minus secundum suam voluntatem: Vnde & Apostolus dicit ad Coloss. 1. qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine.* Profectò exscribendus esset totus Doct. Angelicus.

Nec aliter loquitur millies Sanctus Augustinus, nominatim lib. 4. contra 2. Epist. Pelag c. 6. *Nos quidem, inquit, ambulamus, verum est: nos obseruamus, nos facimus sed ille facit, vt ambulemus, vt obseruemus, vt faciamus, hæc est gratia Dei; bonos faciens nos: hæc misericordia Dei, præueniens nos.*

Item lib. 1. contra 2. Epist Pelag. c. 17. *Non est homo bonus, inquit Sanctus Antistes, si nolit; sed gratiâ Dei etiam ad hoc adiuuatur vt velit: Quoniam non inaniter scriptum est, Deus est qui operatur in vobis velle & operari, Philip. 2., Et præparatur voluntas à Domino, Prou. 8. secundum 70.* Quæ præparatio intelligenda est de ipsissimo conuersionis initio, vt idem testatur. De cor. & gra. c. 1. *Desiderare (inquit) auxilium gratiæ, gratiæ initium est, de quo ille.* (Et dixi nunc cœpi, hæc mutatio dextræ Excelsi.)

Quod efficacissimè confirmatur ex eod. lib. 2. contra. 2. Epist. Pela c. 9. vbi ait. *Si sine illo nihil possumus facere profectò nec incipere nec perficere: quia vt incipiamus dictum est.* (Misericordia eius præueniet me.) *Vt perficiamus.* (Misericordia eius subsequetur me.)

X. Non denique obscurius loquuti sunt sacri canones in fauorem sententię pro quâ militamus: Nam 2. Conc. Arausic. Can. 25. dicitur: *Hoc etiam salubriter profitemur & credimus, quod in omni opere bono, non nos incipimus.* Totaq. ferè sacra Synodus id fusissimè explicat. vt Can. 20. Et Can. 9. Alia verò Concilia suo loco referentur.

A quibus omnibus in nullo discrepat Sanctus Augustinus: vt patet. To. 7. contra 2. Epist. Pelag. c. 8, *Si sine Dei gratia*, inquit, *per nos incipit cupiditas boni, ipsum cœptum erit meritum, cui tanquam ex debito gratia veniat adiutorium, & sic gratia Dei, non gratis dabitur.*

Crederes ne, Erudite Lector, aliquos esse oppositum asserentes? Ita tamen est, teste eod. Sancto Antistite. Lib. 4. ad Bonif. c. 6. *Multùm*, inquit, *delectat impietatem superbam, vt etiam id quod cogitur confiteri à Domino datum, non sibi donatum videatur esse, sed redditum.*

Ex prædictis manifestè constat, in omnibus nostris actibus quantumvis exiguis, siue naturalibus siue supernaturalibus semper præsupponi Deum tanquam omnis entis basim & fundamentum, primamque radicem, ex quâ, quidquid est, siue naturæ, siue gratiæ, ab eo per se primò prouenit, velut ab vtriusque Authore, qui est causa rerum, non solùm in fieri, sed & in facto esse, vt fusius infra declarabimus. Sed de hoc non plura, quia vt ait prædictum Conc. Arausic. 2. Can. 25. *Cui pauca non sufficiunt, plura non proderunt.* Proderunt magis sine dubio nonnulla scripturæ testimonia, quibus incauti & rudes ludificantur; quæ cum apertius videantur nostris hâc in parte suffragari aduersariis: si prædeterminationi Thomisticæ probentur non nocere, sed fauere; sanè argumento erit, nihil causæ esse cur hæc, Authores oppositæ sententiæ Thomistis obiiciant: quia si quæ opposita videntur, iuuant: multò magis ea, quæ id ipsum exprimunt qualia sunt illa, quæ à nobis duobus vltimis libris subiicientur. Ne ergo vlla calliditate valeant aduersarij quædam scripturæ loca alienos in sensus detorquere, fit.

CAPVT VNDECIMVM.

Perperam ingeri vrgentiora (quibus libertas creata exprimitur) scripturæ sacræ testimonia, contrà præmotionem Thomisticam conuincitur.

I. Qvamuis in componendo alicujus controuersiæ negotio; nullum sit efficacius argumentum, quàm quod ex scripturâ diuinitùs inspiratâ educitur: 1. Ioa. 5. 9. *Testimonium enim Dei maius est.* Attamen quia calliditate infideli abutuntur eâ hæretici, vt dogmatum suorum effundant venenum, facilè apud nonnullos nutat hâc de causa, quæuis scripturæ sacræ authoritas. Quare hîc opportuno prouidendum est remedio, quo sanè nullum est rationi magis consentaneum quàm legitimos eius interpretes consulere, Sanctos Ecclesiæ Doctores, vt ab illis discamus, quid eâ significetur, quisue sit verus illius sensus, ne 2. Tim. 3. 7. *Semper discentes & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes.* Aut nihil omninò, aut aliud planè quàm id quod intenditur, probemus. Et quoniam inter sanctos Patres (Saluâ vnicuique eorum debitâ Reuerentiâ) velut duo luminaria magna in Ecclesiæ firmamento habentur D. Augustinus & D. Angelicus: quibus si cæteri Patres, vt de facto, suffragentur, non est qui iure contradicat. Illorum siquidem, hâc in re præsertim opus est authoritate, quia vt primùm auditur aliquod scripturæ testimonium, vbi libertas creaturæ exprimitur, aut eius facultas ad agendum excitatur: statim à quibusdam aut Deus creaturæ postponitur non sine crimine: aut ad summum in socium tantùm, iniuriosè inducitur: quin immò creatura non rarò independens à Deo & pœnitùs soluta prædicatur.

Fatetur equidem Doctor Angelicus 1. p. q. 22 a. 3. o. quòd Deus, *Propter abundantiam suæ bonitatis, dignitatem causalitatis etiam creaturis communicat.* Et. *Ita Gen. 1. Eas administrat*, inquit, *quod quantùm possibile est, sibi, illud quod potest, illis reseruat.*

Ex eo tamen non licet inferre, quod hinc agat creatura: & Creator inde: tanquam duæ causæ ab inuicem independentes: quia sicut fieri non potest, vt aliquid sit à Deo factum & non sit dependens & participatum ab eo Qui est ipsum esse: sic concipi nequit agens creatum à Deo virtutem participare causalitatis, & quidem majori dependentiâ, vt dicemus, quàm habeat radius à sole, Et ab illo non dependere actu in agendo: porrò agens quod ab alio dependet actu in agendo, semper illud præsupponit. Et hoc est certum ac in principiis veræ Philosophiæ indubitatum.

Quod si aliquod scripturæ testimonium significare oppositum videatur, verus sensus illius est sedulò inquirendus, non in litera quæ occidit standum, ex quâ hic pauca referam testimonia sed selectiora quibus ab aduersariis impugnatur prædeterminatio Thomistica, ita vt plura recensere penitùs superfluum iudicetur, cum nullum aliud afferri possit, cui in illis, non sit factum plusquam satis: de similibus enim simile debet esse iudicium.

II. Nec vnquam excidere debet è memoriâ id quod superius diximus, vnum scilicet effectum esse causam alterius, vt cum dicitur. *Quoniam fleuisti coram me, ego quoque exaudiui te, &c.* Sed hoc non impedit quominus Deus semper præsupponatur ipsi quoque primo effectui, v. g. vt ipsum hic tribuens donum lachrymarum. *Spiritus enim est qui postulat gemitibus inenarrabilibus.* Id est qui facit vt gemamus: Et hoc vnum pro mille aliis consimilibus deberet sufficere, si enim verè Deus efficit vt gemamus, vt quid nobis obiiciunt creaturæ gemitum tanquam à creaturâ sola effectum, vt superba mens exauditionem respiciat, seu id quod est à Deo obtentum per fletum, non tanquam donum à Deo donatum, sed vt loquitur D. Augustinus tanquam redditum?

Vnde conformiter ad hoc, cum D. Thomas sibi objecisset. In ps. 17. pag. 303. *Ego clamaui quoniam exaudisti me*, ait: *Conuenientius dici videtur, quoniam clamaui, exaudisti me.* Et respondet Doctor Angel. ex Diuo Gregorio. *Neminem exaudit Deus, nisi quem vt precetur, inspirat: animam scilicet per aliquam deuotionem: ps. 118. concupiui desiderare iustificationes tuas.* Vbi vt vides Deum opt. non excludit, sed supponit, tanquam primam causam.

Has ergo iam videamus scripturæ sacræ authoritates quibus ab aduersariis præmotio Thomistica in specie oppugnatur, si fortè ipsissimis, ritè, vt par est, intellectis, efficaciter propugnetur.

III. Primum quod objicitur, est illud Zacha. 1.

Conuertimini ad me & ego conuertar ad vos. En regula, inquit, do vt des.

Ad hoc respondet D. August. Lib. de gratia & Lib. arb. ad Valent. & Monach. c. 5. *Cùm dicit Deus: Conuertimini ad me, & conuertar ad vos: horum vnum videtur esse nostræ voluntatis, id est, vt conuertamur ad Deum: alterum verò ipsius gratiæ, id est, vt etiam ipse conuertatur ad nos. Vbi possunt putare Pelagiani suam obtinere sententiam, &c.* Talia, inquit, *de scripturis colligunt quale est hoc vnum, quod paulò ante dixi, Conuertimini, &c. Vt secundum meritum nostræ conuersionis ad Deum, detur gratia eius in quâ ad nos & ipse conuertitur. Nec attendunt qui hoc sentiunt, quia nisi Dei donum esset etiam ipsa ad Deum nostra conuersio, non ei diceretur: Deus virtutum conuerte nos. Ps. 79.*

Idem ferè ait Sanctus Præsul. Lib. 2. de cor. & gra. c. 5. Vbi comparatione Lucis factâ, sine qua videre non potest oculus quantumuis sanus, habet, *Si ab illo auertimur, nostrum est, & tunc secundum carnem sapimus, &c. Conuersos ergo Deus adiuuat, auersos deserit: sed etiam vt conuertamur, ipse adiuuat: quod certè oculis corporis lux ista non præstat: Cum ergo nobis iubet dicens Zach. 1. Conuertimini ad me, &c. Nos illi dicimus conuerte nos Deus sanitatum nostrarum Ps. 76. Et Deus virtutum conuerte nos Quid aliud dicimus, quàm, da quod iubes Et cum iubet, dicendo, intelligite insipientes in populo: Et nos illi dicimus: da mihi intellectum vt discam mandata tua.*

Item Cum Math. 23. dicitur, Quoties volui congregare filios & noluisti, Respondet Sanctus August. in Enchirid. c. 97. *Dicimus ergo*, inquit, *quod carnalis Ierusalem filios suos à Christo colligi noluit; sed eâ quoque nolente, filios eius collegit ipse quos voluit. Lege & eiusdem Epistolam* 106. Quare quando dicitur quod Iudæi Spiritui Sancto restiterint: non per hoc significatur; quod auxilij efficacis Dei effectum impediuerint (licet semper impedire potuerint) sed quod auxilio sufficienti abusi sint, Prophetas occiderint, &c. Et hoc iterim occasione dictum sit.

Prædictus exponendæ scripturæ modus Sancto Fulgentio, Lib. 1. ad Monim. c. 14. maximè probatur. *Loquens Deus per Prophetas*, inquit, *se ipsum facere confirmat quod fidelibus donat vt faciant: quid est enim, faciam vt faciatis, nisi, mei erit operis omne bonum quod operati fueritis; Ipse ergo facit vt faciamus, de quo dicitur ad Hebræos. Aptet vos in omni bono: quia quæcunque nobis facienda donat, sicut habere non possumus nisi nobis ipse largiatur, sic facere non possumus, nisi ipse in nobis quæ largitus est, operetur.*

IV. Secundò, Obijciunt Ps. 94. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, Ergo, inquiunt, non est necessarium, nos semper præueniri. Ad hoc respondetur ex D. Augustino. Lib. de gra. & lib. arb. ad Valent. c. 14. dicente. *Liberum à Deo quidem hominis arbitrium pulsatur, vbi dicitur, hodie si vocem eius audieritis, &c. Sed nisi posset Deus etiam duritiam cordis auferre, non diceret per prophetam: Auferam ab eis cor lapideum Ezec. 11. & dabo illis cor aliud, & spiritum nouum dabo eis, &c. Cor lapideum*, inquit, *non significat nisi durissimam voluntatem.* Et idem ibidem cap. 15. ait. *Ne autem putetur nihil ibi facere ipsos homines per liberum arbitrium, ideò dicitur Ezech. 18. facite vobis cor nouum, &c. Quomodo ergo quod dicit, facite vobis, hoc dicit, dabo vobis? quare iubet, si ipse daturus est? quare dat, si homo facturus est? nisi quia dat quod iubet cum adiuuat vt faciat cui iubet?* Quomodo verò adiuuet Deus: dicemus infrà.

Ne sic ergo, inquit ipse, lib. 2. de cor. & grat. c. 18. defendamus gratiam, vt liberum arbitrium auferre videamur: rursùs, ne liberum sic asseramus arbitrium, vt superbâ impietate ingrati Dei gratiæ iudicemur, &c. Nam si nobis libera quædam voluntas ex Deo est, quæ adhuc potest esse vel bona vel mala: bona verò voluntas ex nobis est, melius est id, quod à nobis, quam quod ab illo est: Quod absurdissimè dicitur. *Hoc nota etiam pro statu innocentiæ de quo infrà*, Quocirca, quod à Deo nos auertimus, nostrum est: quod verò ad Deum nos conuertimus, nisi ipso excitante atque adiuuante non possumus.

V. Hoc ipsum fusiùs explicat sanctiss. Præsul. Lib. de gratia & Lib. arb. ad Valent. cap. 16. Ps. 140. Pone ori meo custodiam, [Quare, *inquit*, non sufficit ei mandatum Dei & voluntas sua, quandoquidem si voluerit conseruabit mandata, &c. Certum est enim nos mandata seruare si volumus: sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est, vt tantùm velimus, quantùm sufficit, vt volendo faciamus, &c. Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit, faciam vt in iustificationibus meis ambuletis & iudicia mea obseruetis & faciatis, &c. Cum ergo dicit homo, Pone custodiam ori meo, hoc est enim dicere, fac vt ponam custodiam ori meo.] Et ibidem. Cap. 18. [Se extollentes cœperunt dicere, vt quid nobis præcipitur, nisi quia ex nobis habemus, vt inuicem diligamus. Sequitur Ioannes confundens eos & dicens quia dilectio ex Deo est, nisi quia præcepto admonitum est liberum arbitrium, vt quæreret Dei donum; quod quidem sine suo fructu prorsùs admoneretur, nisi prius acciperet aliquid dilectionis, vt addi sibi quæreret, vnde quod iubebatur, impleret: benedictionem enim dabit, qui dedit legem Ps. 83] Perpende hæc verba, [Nisi prius acciperet aliquid dilectionis, &c.] Vt scias Deum opt. semper incipere quia vt ait ibidem Sanctus Augustinus, cap. 17. [Sine illo vel operante vt velimus, vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus: vt autem velimus operatur incipiens, quia voluntas ab illo præparatur.]

Idem sapit D. Fulgentius, Lib. 2. de verit. præd. & gratia c. 4. [Dum, *inquit*, præcipitur nobis vt velimus, ostenditur quid habere debeamus: sed quia id ex nobis habere non possumus, admonemur vt à quo nobis datur præceptum, ab ipso petamus auxilium.

VI. Nec aliter loquitur sacra Synodus Tridentina, Sess. 6. de iust. c. 5. Vbi postquam expressit libertatem quę possit Dei inspirationem abiicere, ait [Neque tamen sine gratia Dei mouere se ad iustitiam coram illo libera sua voluntate possit; vnde in sacris litteris, cum dicitur, Conuertimini ad me & ego conuertar ad vos, libertatis nostrę admonemur: cum respondemus, Conuerte nos Domine ad te & conuertemur, Dei nos gratiâ præueniri confitemur.

Et ne quis ad confusum confugiat subterfugium, dicens necesse quidem esse vt Deus nos præueniat in arduis, non verò in minimis & facilioribus: præter ea quę suprà diximus, perpendat ea quę dixit Sanctus Præsul. Lib. suprà cit. cap 7. In hęc verba, Ecce iam delibor, [Primò ista bona opera, sc. Pauli, si non ea præcessissent cogitationes bonę, nulla essent: attende itaque quid de ipsis cogitationibus dicat: ait enim 2. Cor. 3. non quia idonei sumus cogitare aliquid à nobis, tanquam à nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, deinde bonum certamen certaui: quæro quâ virtute certarit? Vtrum, quę illi ex semetipso fuerit, an quę desuper data sit? Sed absit vt tantus Doctor ignorauerit legem Dei, cuius vox est in Deut. 8. Ne dicas in corde tuo, fortitudo mea & potentia manus meę fecit mihi virtutem magnam

hanc, sed memoraberis Domini Dei tui, quia ipse dat tibi fortitudinem.] Vbi aduertas Sanctum Præsulem non loqui de viribus & fortitudine, quę sunt permanenter in homine, nihil enim noui diceret, nullus siquidem est vel tam idiota quin sciat quòd, [Ipse fecit nos & non ipsi nos.] Sed de fortitudine quę hac vel tali occasione actu à Deo, tempore opportuno communicatur, quę in rebus naturalibus pręmotionis nomine à Thomistis exprimitur. Et hoc, vna pro centum vicibus repetitum velim habeatur.

Eodem semper tenore loquitur D. August. ibid. [Non poterunt, Filij Israël subsistere à facie inimicorum suorum. Quid est hoc, *inquit*, non poterunt subsistere? quare non subsistebant per liberum arbitrium, sed per timorem turbatâ voluntate fugiebant? nisi quia Deus dominatur & voluntatibus hominum, & quos vult in formidinem conuertit iratus.] Infirma enim eligit, vt confundat fortia, vocatque ea quę non sunt, vt ea quę sunt, & omnem altitudinem extollentem se aduersus scientiam Dei, destruat. 2. Cor. 10.

VII. Tertiò, obijciunt illud Isa. 1. 19 [Si volueritis & audieritis, bona terræ comedetis, &c.

Ad hoc respondetur ex D. August. tom. 7. lib. 4. contra 2 Epist. Pelag. c. 6. [Quid eis prodest (*inquit*) quandoquidem non tàm contra Manichæos defendunt, quàm contra Catholicos extollunt liberum arbitrium: Sic enim volunt intelligi quod dictum est: Si volueritis & audieritis me, tanquam in ipsa voluntate præcedente, sit consequentis meritum gratiæ: & sic gratia, iam non sit gratia, quæ non est gratuita, cum redditur debita: si autem sic intelligerent quod dictum est, si volueritis, vt etiam bonam voluntatem, Ipsum præparare confiterentur de quo scriptum est Prou. 8. Secundum 70. Præparatur voluntas à Domino, tanquam Catholici vterentur hoc testimonio: & non solùm hæresim veterem Manichæorum vincerent, sed nouam Pelagianorum contererent.

Quartò, illud Prou. 16. obijcitur, Hominis est præparare cor, & à Domino est responsio linguæ: Quid clariùs inquiunt?

Respondet D. August. tom 7 lib. 2. contra 2. Epist. Pelag. c. 9. [Ecce, *inquit*, Dominus admonet, vt præparemus voluntatem, in eo quod legimus (hominis est præparare cor) Et tamen vt hoc faciat homo, adiuuat Deus, quia præparatur voluntas à Domino.] Quis autem dicat, aliquid præparari, nisi per aliquid in ipso receptum? vt infra dicemus.

VIII. Hoc non ex proprio marte, sed ex Angelico Doctore, In 2. ad Cor c. 2. lect. 3. profero, [Ipsa, *inquit*, præparatio mentis humanæ est ex virtute Diuina, nam licet facilitas quâ mentes præparantur sit causa conuersionis, tamen ipsius facilitatis & præparationis causa est Deus. Thren. vlt. (Conuerte nos Domine ad te & conuertemur.) Porrò si Deus est causa ipsius facilitatis quâ mentes præparantur: Ergo præcedit ille: quia omnis causa est prior effectu: nihilque aliud præmotione defenditur quàm quod Deus opt. semper præcedat in omnibus agentibus.

Cumque aliud sibi obiecisset Sanctus Augustinus loco supra citato in Ps. 80. sc. (Aperi os tuum & implebo illud.) Respondet, [Aperit (sc. Deus) ita iubendo, vt nemo possit, nisi ipse faciat adiuuando, cui dicitur, Labia mea aperies. Citatque illud Exod. 4. [Ego aperiam os tuum & instruam te quæ debeas loqui [Si autem Deus aperiat, ergo est causa apertionis, & prior naturâ, quod solùm intendimus, & verum est etiam in iis quæ oppositum præ se ferre videntur, vnde & dicimus 2. Macha. 1. 4 [Adaperiat Dominus cor vestrum.

Hactenus Sanctissimum Præsulem Augustinum audiuimus, iam ad Angelicum Doct. accedamus, auditur quid de ipsis scripturæ sacræ testimoniis aut similibus sentiat, quibus eius doctrina vt nebulis hac in parte obtegitur ab aduersariis. Quòd si hæc duo Candelabra Lucentia ante Dominum fideique Collumina in vnum hic conueniant, Nullum fore existimo, qui proprij ingenij idolum ita colere statuerit, vt priuatam scripturæ expositionem tantorum Doctorum communi suffragio præferre audeat.

IX. Profectò satis mirari nequeo, quî fieri possit, vt quis adhuc anceps sit de mente Diui Thomæ hac in parte, si vel semel eius in libros inciderit: opus probemus. Expendens ille, Lib. 2. ad Anib. dist. 28. a. 4. ad 1. & 2. illud scripturæ, Conuertimini, &c. Et aliud Apo, 3. Si quis mihi aperuerit, &c. ait [Nos inducimur ad faciendum etiam ea quæ ex diuino auxilio possumus: quia quæ per amicos possumus, aliqualiter per nos ipsos possumus, ex 3. Eht. Et sic inducimur vt conuertamur ad Deũ, à quo tamen petimus vt nos conuertat, Thren. 5. *Conuerte nos Domine ad te*, Et ibidem ad 2.] Aperire, *inquit*, cor nostrum possumus Deo, sed non sine diuino auxilio, vnde ab ipso petitur 2. Macha. 1. Adaperiat Dominus cor vestrum. Diceresne, Candide lector, sanctos hos Doctores eodem spiritu afflatos, duplici ore loquutos esse, & non potiùs vnico?

Et vt videas quàm sibi sit constans hac in re Theologorum Princeps, missis innumeris locis, legat ipsum lib. 3. contra Gent. c. 149. Vbi ait [anima humana ordinatur sub Deo sicut particulare agens sub vniuersali, impossibile est ergo aliquem rectum motum esse in ipsa, quem non præueniat actio Diuina: Vnde & Ioa. 15. Dominus dicit: sine me nihil potestis facere, &c. Oportet quod ad benè volendum homo, Diuino præueniatur auxilio, &c. Non ergo per hujusmodi verba excluditur liberum voluntatis arbitrium, sicut quidam malè intellexerunt, quasi homo non sit Dominus suorum actum interiorum & exteriorum; sed ostenditur Deo esse subiectum: Et Thren. 5. Conuerte nos Domine ad te & conuertemur: per quod patet, quod conuersio nostra ad Deum, præuenitur auxilio Dei nos conuertentis. Legitur tamen Zach. 1. ex persona Dei dictum: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, Non quin Dei operatio nostram conuersionem præueniat, vt dictum est, sed quia conuersionem nostram, quâ ad ipsum conuertimur, adiuuat subsequenter eam roborando vt ad effectum perueniat, & stabiliendo vt finem debitum consequatur: per hoc autem excluditur error Pelagianorum; qui dicebant hujusmodi auxilium propter merita nobis dari, & quod iustificationis initium ex nobis sit, consummatio autem à Deo.

X. Causa prima, inquit D. Tho. q. q. disp. q 24. de lib. arb. a. 1. ad 4. Dicitur esse principalis simpliciter loquendo propter hoc quòd magis influit in effectum: sed causa secunda secundum quid principalis est in quantum effectus ei magis conformatur.

Ibidem, [Deus non dicitur, *inquit ipsemet*, q. q. disp. q. 3 de creat. a. 7. ad 12. Hominem reliquisse in manu consilij sui, quia in voluntate operetur, sed quia voluntati hominis dedit dominium sui actus, vt non esset obligata ad alteram partem contradictionis: quod quidem dominium naturæ non dedit, cum per suam formam sit determinata ad vnum. [Et a. 13. Voluntas dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem Causæ Primę, sed quia Causa Prima, non ita agit in voluntate, vt eam de necessitate determinet, sicut determinat naturam.] Quis autem oppositum vnquam asseruit nisi Caluinista aut Simonis Magi discipulus? Et prędictis

addas si lubet id quod ipse ait ad 5. *Est*, inquit, *de ratione virtutis inferioris vt sit aliquo modo operationis principium in suo ordine: id est, vt agat, vt instrumentum superioris virtutis: vnde seclusâ superiori virtute, inferior virtus operationem non habet.* Ex prædictis disce, quid sit hominem relinqui in manu consilij sui, nimirùm quòd non sit determinatus ad vnum per modum naturæ, & quod habeat dominium sui actus; non verò quòd sit filius Belial, id est, sine iugo aut vlla in agendo dependentia à Deo: nam, inquit D. Thomas, nihil potest agere homo, seclusâ superiori virtute, cui omne agens creatum est essentialiter tam in essendo, quàm in agendo, subordinatum.

XI. Secundò, Obijciunt illud Ioa. 14. [Qui diligit me, diligetur à Patre meo. Ergo, *inquiunt*, priùs diligit homo quàm diligatur.

Huic obiectioni satisfacit Doctor Angelicus. In 14. cap. Ioa. lect. 5 his verbis, [Sed hoc primo aspectu videtur absurdum: numquid enim Deus diligit, quia diligimus eum? Absit: dicitur enim Ioa. 3. (Non quasi dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, &c.) Ideò dicendum est, quod quis idcircò diligit Christum, quia diligitur à Patre, & non ideò diligitur, quia diligit,] Et hoc non obstante verum est, quod dicitur, Diligentes me, diligo: nec prædicto Ioa. testimonio, quis dubitare potest, quominus quis, Deum diligendo, dilectionis mereatur augmentum: sed tantùm per hoc probatur, quòd Deus nos mouendo, semper incipiat in quocumque bono, vt ait D. Thomas 1. 2. q. 109. a. 6. o. [Quod homo præparet se ad susceptionem hujus doni, sc. gratiæ, non potest præsupponere aliquod aliud donû habituale in anima, quia sic procederetur in infinitum: sed oportet presupponi aliquod auxilium gratuitum Dei interiùs animam mouentis, siue inspirantis bonum propositum: hoc enim duobus modis indigemus auxilio Diuino. Et cum Sanctus Doctor sibi objecisset illud Zacha. 1. Conuertimini ad me, & ego, &c. Ad primum ibidem respondet, [Conuersio hominis ad Deum, fit quidem per liberum arbitrium, & secundum hoc homini præcipitur, quod se ad Deum conuertat: sed liberum arbitrium ad Deum conuerti non potest, nisi Deo ipsum àd se conuertente, secundum illud Ierem. 31. Conuerte me, & conuertar: quia tu dominus Deus meus. Et Thren. vlt. Conuerte nos domine ad te, & conuertemur.

Nullatenùs alienum est ab hoc, Sardiense Concilium dum ait. [iubet Deus homini vt velit, sed Dominus operatur & velle; iubet vt faciat, sed operatur & facere: ac per hoc quoniam habet homo liberum arbitrium audit præcepta quæ faciat: sed ad implenda præcepta liberum arbitrium idoneum nullatenùs efficitur, nisi, diuinitùs adiuuetur: ita fit, vt se operari debere homo cognoscat, dum praeceptum accipit, Et Domino se semper sciat omne bonum debere quod vult ac facit, qui suis fidelibus hanc dignatus est gratiam promittere per Prophetam, dicens: Spiritum meum dabo in vobis & faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, &c.

XII. Et ne tibi sit scandalo, Ly non potest ad Deum conuerti, Reuoca in memoriam, quod suprà dixit D. Thomas Lib. 2. ad Anibaldum, [Nos posse id quod per amicos possumus, & maximè per Deum semper præsentem & paratissimum ac amicissimum: quod iterùm repetit Doct. Ang. 1 2. q. 109. a. 4 ad 2. vbi D. Hieronimum laudat qui, [Confitetur sic liberum nostrum esse arbitrium, vt dicamus nos semper indigere Dei auxilio.] Vnumque hic velim aduertas, quod ait Syluius [Obseruandum est, *inquit*, istam comparationem, sc. quæ per amicos possumus, aliqualiter posse dicimur, non per omnia posse accommodari: cùm enim aliqua possumus per amicos, distinctè designari possunt, quædam quæ sunt tantùm in nostra potestate, & non amici: possuntque à nobis sine ipso præstari, antequam ipse nos adiuuet; vt ad amicum ire, vel ab eo velle adiuuari, ab eo petere auxilium & interdum incipere opus nostrum, & vti auxilio quod ipse dedit: Cùm tamen quantùm ad ea quæ per Deum agimus vel possemus, nihil omninò sit nostrum & non Dei, dicente Apostolo; quis te discernit?

Ex hoc clarissimo Angelici Doctoris interprete, apparet euidentissimè: Id ipsum quod nostrum est, priùs esse ab illo, à quo, per quem, & in quo sunt omnia: Nec nostrum esset cujusquam operationis initium aut progressus, nisi priùs ab illo esset, qui operatur incipiens vt velimus, volentibusque cooperatur perficiens. Semperque præ oculis hic habeat lector quòd ait Innocentius Quintus in 2. sent. dist. 28 q. 1. a. 3. ad 2. *Secùs est in Deo & in homine, quia scilicet adiutorium hominis non semper est paratum seruis suis, & ideò iniquè præciperet, quod sine adiutorio eius non possint facere, sed adiutorium Dei semper est paratum seruis suis.* Et c. 2. a. 4. ad 1. *Deus*, inquit, *monet nos ad eum conuerti, non quia totaliter sit in potestate naturæ secundùm se, sed natura per gratiam gratis datam adiutæ, quæ nullis deest.*

Sic ergo, *Audiamus, inquit D. August. tract. 53 in Ioa. & præcipientem & opitulantem & iubentem quid facere debeamus, & adiuuantem vt implere possimus,* Nam, *Per gratiam, eodem teste, de gratia & lib. arb. c. 15. Fit, vt ipsa bona voluntas, quæ iam esse cœpit, augeatur; & tam magna fiat, vt possit implere diuina mandata quæ voluerit.*

XIII. Tertiò obijciunt illud Math. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata: ex quo, *inquiunt*, videtur inferendum, hoc ita constitutum esse in nostra potestate, vt saltem possimus velle per nosmetipsos.

Audiamus Angelicum Doctorem 1. 2. q. 109. a. 5. ad 1. *Homo*, inquit, *sua voluntate facit opera meritoria vitæ æternæ: sed sicut Augustinus dicit; Ad hoc exigitur quod voluntas hominis præparetur à Deo per gratiam.* Et vt nemo non videat, quam fideliter vbique Sanctissimo Præsuli Augustino adhæserit Doctor Angelicus, legat ipsum in vlt. opere contra Iul. c. 97. Vbi ait. *Cùm displicet tibi hominem non posse bonum velle, nisi adiuuetur ab eo qui malum non potest velle: nonne respicis, ei te contradicere, qui dixit, Sine me nihil potestis facere: & Scripturæ vbi legitur: Præparatur voluntas à Domino; Et vbi legitur; Deus est qui operatur in vobis & velle;* Cùm autem ibidem sibi obiecisset D. Thomas a. 6. illud Prou. 16 *Hominis est præparare animum*, Respondet ad 4. *Hominis est præparare animum, quia hoc facit per liberum arbitrium, sed tamen hoc non facit sine auxilio Dei mouentis,*

XIV. Quartò denique obijcitur illud Ephes. 5. (Exurge à mortuis; & illuminabit te Christus) Ex quo, inquiunt, manifestè infertur quòd, *Exurgere, ad creaturam spectet; sicut illuminatio ad Creatorem.*

Respondet D. Thomas 1. 2. q. 109. a. 7. ad 1. *Non est intelligendum*, inquit, *quod tota exsurectio à peccato præcedat illuminationem gratiæ, sed quia cùm homo per liberum arbitrium à Deo motum surgere conatur à peccato, recipit lumen gratuitæ iustificationis.* Vbi vides Dei motionem omnibus nostris conatibus ab Ang. Doct. semper præsupponi.

Cùmque ibidem 1. 2. a. 8. sibi obiecisset D. Thomas illud Eccles. 15. Ante hominem vita & mors; bonum & malum, quod placuerit dabitur illi.

Ad 3. Respondet, *Nunc etiam quodcumque vult homo, datur ei: sed hoc, quod bonum velit, habet ex auxilio gratiæ,*

Et q. 112. a. 3. Occurrens cuidam obiectioni ex Rom. 5. *Iustificati ex fide.* Vbi Glossa dicit, *Eum, qui ad se confugit, recipit Deus: aliter esset in eo iniquitas.* Ad 1. Respondet D. Thomas Scripturam loqui, *Secundum quod ipsum confugium hominis ad Deum est per motionem diuinam, quam iustum est non deficere.*

Porrò, vt nullus scrupulus supersit remouendus, audi D. Thomam, 1. 2. q. 112. a. 2. in o. & ad 1. *Quæcumque,* inquit, *præparatio in homine esse potest, est ex auxilio Dei mouentis animam ad bonum, & secundum hoc, ipse bonus motus liberi arbitrij, quo quis præparatur ad donum gratiæ suscipiendum, est actus liberi arbitrij moti à Deo: quantùm ad hoc dicitur homo se præparare, secundum illud Prou. 16. hominis est præparare animum: Et est principaliter à Deo mouente liberum arbitrium, & secundum hoc dicitur à Deo voluntas hominis præparari & à Domino gressus hominis dirigi.* Nota, *Ly, quæcunque præparatio in homine esse potest,* Cuius, etsi homo habeat rationem causæ principalis in suo duntaxat ordine, comparatiuè tamen ad Deum, ait Diuus Thomas, *Hoc esse principaliter à Deo,* Cuius, est velut instrumentum creatura, prius naturâ ab eo mota, agit enim Deus vt agat ipsa: vnde 1. 2. q. 109. a. 2. ad 1. Sanctus Doctor, *Mens hominis,* inquit, *etiam sani, non ita habet dominium sui actus, quin indigeat moueri à Deo, & multò magis liberum arbitrium hominis infirmi post peccatum, per quod impeditur à bono per corruptionem naturæ.* Nota hoc iterum, Erudite lector, pro concordia D. Augustini inferiùs in Synopsi faciendâ.

Sat superque satis, ostendisse me existimo, vrgentioribus Scripturæ sacræ testimonijs, quibus à nonnullis fuit impugnata hactenùs præmotio Thomistica, illam non destrui, sed astrui: Et si quæ sunt hominis, nemo nouit nisi spiritus qui in ipso est, Quis Christianæ humilitatis discipulus, tàm alta sapiat, vt sanctos Ecclesiæ Doctores, Augustinum, Doctorem Angelicum, Fulgentium, Innocentium V. &c. siue propriis in aperiendis mentibus, siue in exponenda sacra Scriptura (quæ est abyssus multa) hac in parte asserat fuisse sub caligine, suisque sub pedibus ipsam esse caliginem; vel audeat cogitare?

At omnia Scripturæ testimonia, quibus tanquam armis efficacioribus vsi sunt Thomistarum Æmuli, vt è medio Thomisticam aufferrent præmotionem, sunt ità contrarium in sensum ab illis vsurpata, vt hæc, vel sola, ritè intellecta (atqui ritè hæc intelligimus, quando illa accipimus, vt in præsentiarum, prout à sanctis Patribus & Conciliis exponuntur, illorum siquidem est, veram Scripturæ intelligentiam fidelibus tradere) sint ad præmotionem stabiliendam sufficientissima. Suppositis enim Philosophiæ Aristo-Thomisticæ principiis, & hoc præcipuè (quòd, scilicet, motio mouentis præcedat motum mobilis ratione & causa solo lumine naturali, notos ipsi lumini rebelles sunt, qui Thomistis hac in parte contradicunt.

Scripturæ sacræ assentimur, inquiunt, sed ipsi facimus satis, & quidem perfectissimè, relictâ præmotione physicâ, solo sc. Dei concursu simultaneo, quo ad singulas creaturæ operationes Deus optimus concurrere dicatur, vt ipsum concursus vocabulum satis indicare videtur.

Verùm enim verò, nonne cessabit tandem aliquandò contradicendi voluntaria cupido? sit ergo.

CAPVT DVODECIMVM.

Concursus Causæ Primæ cum secundis, maximè probatur: sed si solus sit sine præuio vt insufficiens reprobatur.

1. SI quid dicant, satis attenderent, qui dum orant, inquiunt Miss. Rom. dominica 16. post Oct. Pent. *Gratia tua nos Domine & præueniat, & sequatur, ac bonis operibus iugiter præstet esse intentos.* Non ita duo postrema admitterent, vt primum denegarent: sicut enim concomitatur Deus, vt iugiter simus intenti dum intenti sumus, & subsequitur, vt ad debitum finem perueniamus, ita in via iustitiæ præit, vt incipiamus.

Hic ergo tanquam de fide certum supponimus, Primò Deum Opt. immediatè in natura & voluntate operari, idque vt operentur illæ: Et hoc, vt ait D. Thomas, 3. contra Gent. c. 70. [Non ex insufficientia diuinæ virtutis, sed ex immensitate bonitatis ipsius per quam, suam similitudinem rebus communicare voluit, non solùm quantùm ad hoc vt essent, sed etiam quantùm ad hoc, quod aliorum causæ essent] Hæc veritas probatur, Isa. 26. [Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine] 1. ad Cor. 16. [Qui operatur omnia in omnibus.] Et Philip. 2. 13. [Deus est qui operatur in vobis velle & perficere.] Item Ioa. 15. *Sine me nihil potestis facere. Et tandem confirmatur ex Angelico Doct. 3. contra Gent. c. c. 67. 70. & 89. Et 1 p q. 105. a. 5. & q. 3. de potentia. a. 7.*

Secundò reuocandum est in memoriam id quod diximus cap. 6. huius libri: quid nimirùm præmotionis Physicæ seu præuij Dei influxus nomine à Thomistis intelligatur? vt nullum lateat concursus simultanei insufficientia, si præuius reijciatur.

II. Et licet nomen concursus & auxilij sæpè confundantur, tamen concursus, propriè magis significat concursum simultaneum Dei simul cum causa secunda in eius effectum: qui non datur ad præparandam causam inferiorem, aut defectum eius tollendum: infirmitatem illius roborandam: aut eam, ad actionem applicandam: sed hæc omnia supponit in causa inferiori, & simul cum ea tantùm influit in eius effectum, eo modo quo duo homines trahentes nauim, aut ingens pondus ferentes, quorum vnus, alteri non præbet vires: sed vterque tantùm partialiter influit in effectum: quod de Deo & creatura dici non debet, vt ait D. Thomas, *Patet, inquit quod sic, non idem effectus causæ naturali & diuinæ virtuti attribuitur, quasi partim à Deo, & partim à naturali agente fiat: sed totus ab vtroque secundum alium modum sicut idem effectus, totus attribuitur instrumento, & principali agenti etiam totus.*

Quod non minùs verè, quàm eleganter, longè anteà expressserat D. Bernardus tract. de gratia & lib. arb. his verbis, *Quod à gratia sola cœptum est, pariter ab vtroque perficitur, vt mixtim, non singillatim: simul, non vicissim per singulos profectus operentur: Non partim gratia, partim liberum arbitrium: sed totum singula opere indiuiduo peragunt.*

Diuinum

Diuinum verò auxilium seu influxus Dei præuius, qui à Philosophis Præmotio dicitur, aliquid ponit in creatura, vt illa agat; ideò eam præparat; eius defectum tollit: adiuuat & vltimò disponit, seu ad actum applicat; ita vt hominem ex nolente volentem efficiat, ex repugnante, consentientem; studiumque virtutis, voluntati etiam reluctanti (vt iam non reluctetur) immitat, cor immutet, &c. idque cum tanta suauitate, vt sine vlla coactione aut necessitate istud fiat.

III. Et quamuis concipi vix possit, quomodo in actionem causæ secundæ Deus influeret, eamque causaret prout est ab illa, si cōcursu tantùm simultaneo cum illa ageret, vt patet exemplo duorum hominum ferentium pondus, quorum vnus non influit in actionem alterius, sed tantum actione partiali simul in effectum, quod tamen est necessarium, vt vitetur hæresis Manichæorum, cui pateret aditus, si respectu actionis creaturæ ratio causæ Deo Op. Max. denegaretur, per hunc tamen concedimus Deum influere in actionem creaturæ & in eius effectum in principiis Diui Thomæ, id est, supposito præuio, quem efficacissimè probat R.P. Maibalt Ord. Præd. tom. 2. summæ, t. p. disp. 8. sect. 4. qui Clarissimorum Theologorum testimonio mentem Angelici Præceptoris perfectè assequutus est.

Probatur ergo primò: Omne agens, per se & immediate influit in proprium effectum, seu in illud omne quod sub primario illius effectu continetur: atqui omnis actio creaturæ continetur sub effectu primario Causæ primæ: ergo Causa prima immediatè influit in omnem actionem creaturæ. Maior est euidens; primarius enim effectus causæ alicuius, dicitur ille, qui per se primò & immediatè ab illa attingitur, quem proinde implicat reperiri à parte rei sine immediato eius influxu. Minor verò probatur: Primarius effectus Causæ primæ seu Diuinæ omnipotentiæ, est omne ens participatum & dependens: Causæ enim vniuersalissimæ respondere debet effectus vniuersalissimus, qualis est ille: atqui actio & effectus causæ creatæ est ens participatum & dependens: vt constat, cùm solus Deus sit ens per essentiam, independens, & à se: ergo, &c.

IV. Probatur Secundò In agentibus essentialiter subordinatis, inferius non causat nisi dependenter à superiori, actu concurrente: sed Deus est Causa prima cui essentialiter subordinantur omnes causæ creatæ: ergo nulla causa creata potest agere, nisi Deo actualiter cum ipsa concurrente. Major constat: subordinatio enim essentialis causarum in hoc sita est, quod causalitas inferioris essentialiter & indispensabiliter, à causalitate & influxu superioris dependeat. Minor verò non est minùs euidens nam sicut causæ creatæ essentialiter dependent à Deo in essendo, ita in causando: aliàs essent causæ independentes, atque adeò primæ: in illa enim dependentia consistit subordinatio.

Atqui hujus simultanei concursus sufficientiam tueri conati sunt quidam Moderni, ne quid admittere cogerentur, quod voluntatem creatam præueniret aut in ipsam influeret, falsò existimantes hoc ab ipso Deo fieri non posse, sine creatæ libertatis læsione.

Vnde & influxum Dei præuium (quem ob causas art. 6 hujus libri relatas, præmotionem nuncupare oportuit) è Scholis eliminare moliti sunt. Et licet non possimus hujus simultanei concursus insufficientiam probare euidentius, quàm apertâ necessitate præmotionis admittendæ (quod fauente Numine lib. 2 præstabimus) interim tamen hanc insufficientiam indigitabimus: tùm quòd Pelagiani hunc simultaneum concursum nullo negotio tandem admiserint: à quibus tamen Sancti Patres aliquid ampliùs exigebant, sc. præuium: tùm quòd per eum concursum, quo agens influit tantùm in effectum, nec vires infirmitati nostræ præbentur: nec Sanctorum Patrum aut Scripturæ sacræ testimonia probantur, quibus dicitur Deus, & duritiam cordis auferre: voluntatem præparare: ad actum applicare, &c.

V. Hìc tamen criminandi ausam nemo arripiat, quasi dixerim Pelagianos esse, solius concursus simultanei defensores: quod absit. hos enim amori & honori habeo tanquam viros doctos & Christianæ Religioni addictissimos, (quorum vberes pietatis & scientiæ fructus in dies colligit Ecclesia,) cum præter simultaneum concursum, aliquem præuium, sed indifferentem & indeterminatum admittant, quem tamen nondum sufficere euidentissimè, Deo fauente, demonstrabimus, sicut nec præmotionem moralem, præter quam profiteri physicam tenentur, si tàm re quàm nomine, velint haberi, Diui Thomæ disci puli.

Et ne pluries eadem repetere cogamur, reuocandum est in memoriam quod diximus cap. 4 hujus libri, à Pelagio sc. in suæ hæresis principio, omnem Dei concursum etiam ad actiones naturales esse negatum, vt patet tum ex locis ibidem citatis: tùm ex lib. 1. D. Hieronimi contra Pelagianos, qui Pelagium sic loquentem inducit, *Si absque Deo, & nisi ille per singula me iuuerit, nihil possum agere, nec me pro bonis operibus iustè coronabit, nec affliget pro malis, sed in vtroque, suum vel recipiet vel damnabit auxilium.* Postrà tamen Pelagius increpatus à fidelibus, varias suo errori de viribus & sufficientia liberi arbitrij adhibuit moderationes; vt ait suprà citato diximus. Ac tandem Concursum simultaneum à quoque alio influente in voluntatem distinctum admisit: quod probatur. Primò.

Influxus qui est tantùm cum voluntate in effectum illius, quo influxu voluntas in bono opere adiuuatur: non verò, quo voluntas ipsa, ita mouetur, excitatur à Deo, aut præparatur, vt ex nolente fiat volens, & ex repugnante, consentiens, est concursus simultaneus: Sed hunc Dei concursum quo homo iuuaretur in bono proposito, non verò quo in bonum opus excitaretur, studium virtutis immitteretur, duritia cordis auferretur, admisit Pelagius: Ergo, &c.

Minor probatur ex D. August. lib 1. contra 2. Epist. Pelag. c. 19 vbi ait [Vos autem in bono opere sic putatis adiuuari hominem Dei gratia, vt in excitanda eius ad ipsum bona voluntate, nihil eam credatis operari: quod satis ipsa verba tua, id est, Pelagij, declarant: cur enim non dixisti, hominem Dei gratiâ in bonum opus excitari: sicut dixisti, in malum diaboli suggestionibus incitari, tanquam suâ voluntate, nullâ Dei gratiâ in bonum opus aggressus, in ipso iam opere, diuinitùs adiuuetur pro meritis scilicet bonæ voluntatis.

VI. Probatur secundò, Influxus qui non præparat voluntatem vt agat, sed adiuuat tantùm bonum eius propositum, Non tamen voluntati reluctanti, vt iam non sit reluctans, studium virtutis immittit, est concursus simultaneus: Sed primum tantùm admiserunt Pelagiani, vt constat ex D. August. lib 2. contra 2. Epist. Pela. c. c. 5. & 6. *Hæc*, inquit, *vestra verba sunt: baptisma omnibus necessarium esse ætatibus confitemur, gratiam quoque adiuuare vniusque bonū propositum: non tamen reluctanti studium virtutis immittere.*

Itidem lib. 4. contra easdem Epist. c. 6. *Quod autem dicunt gratiam quoque adiuuare bonum cuiusque propositum, mox addiderunt: non tamen reluctanti studium virtutis immittere: posset benè intelligi, si non ab istis, quorum sensus notus est, diceretur: reluctanti enim prius aditus diuinæ vocationis ipsâ Dei gratiâ procuratur: & deinde in illo iam non reluctante, Spiritus virtutis accenditur: verumtamen in omnibus quæ quisque agit secundum Deum, misericordia eius præuenit eum.* Quibus verbis concursum simultaneum sic admittit sanctissimus Præsul, vt præuium semper præsupponat: in hoc ergo è diametro oppositus erat Augustinus Pelagianis, quòd illi concederent quidem, gratiam adiuuantem, quæ simul cum voluntate influeret in effectum (quo astruitur concursus simultaneus) non verò in ipsam voluntatem, vt illam præpararet. E contrà verò sanctus Præsul, necessitatem gratiæ, etiam in præparationem voluntatis ab ipsa factam reducit, licet non neget inde eius cooperationem nec consequenter (simultaneum concursum in opus) vt lib. de gratia & lib. arb ad Valent. c. 16. testis ipse est locupletissimus. *Certum est, inquit, nos mandata seruare si volumus, sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est, vt tantùm velimus, quantùm sufficit, vt volendo faciamus: Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit vt velimus dando vires efficacissimas voluntati; qui dixit, faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis.*

VII. Et hìc vel solam obtestor sinceritatem eorum, qui ex eo quod dixerit aliquando Sanctus Præsul, hominem Dei gratiâ adiuuari, vel eius, in bono perficiendo, indigere adiutorio; ex hoc possint aut debeant se ad solum concursum simultaneum recipere ac restringere? Quæro enim (hìc quippe quæstio est de mente Augustini) vtrum concursus simultaneus præbeat vires? An, v. g. Paulus fortissimus, qui cum Petro infirmiori simul fert ingens pondus (en concursus simultaneus) præbeat vires Petro? Certè nemo hoc dixerit; Nec ipsi concursus simultanei defensores hoc vnquam concedent. Ergo qui hunc sufficere contendunt, & à veritate discedunt, & à veritatis Doctore Augustino, sicut & ab Angelico eius interprete dissentiunt, asserentibus nos à Deo adiuuari, *Vires efficacissimas præbente, voluntati:* Qui facit, vt faciamus quatenùs, inquiunt, aufert cor lapideum, & dat cor carneum: quæ ad simultaneum Dei concursum nequaquam pertinent, sed ad præuium pro quo militamus.

VIII. Sed Angelicum Doctorem adeamus. Quid sibi vult, cum ait 3. contra Gent. c 149. *Anima nostra operatur sub Deo, sicut agens instrumentale sub principali Agente: non igitur potest se anima præparare ad suscipiendum effectum Diuini auxilij, nisi secundum quod agit ex virtute Diuina: præuenitur igitur Diuino auxilio, magis quàm diuinum præueniat, quasi merendo illud, vel se præparando ad illud.* Quibus si addas id quod suprà ex eodem diximus, sc. quod, *Motio mouentis præcedat motum mobilis ratione & causâ,* Quo prætextu hìc dubitare possint de mente D. Thomæ non video.

Atqui non aliud defendunt Thomistæ sub præmotionis nomine, quàm hanc Dei causalitatem, non quidem tempore, sed naturâ præcedentem, tanquam soli Deo propriam, *Quia sub eo, vt ait Doct. Ang 3. contra Gent. c 147. qui est primus intellectus & volens, ordinantur omnes intellectus & voluntates sicut instrumenta sub principali Agente.* Vbi Ly, *instrumentum,* non sumitur pro eo, quod merè passiuè se habet: sed latè pro omni quod ab alio mouetur, vt ipse ait q. 24. de lib. arb. a. 1. ad 5. q. 9 disp. Et hoc non impedit, quominus liberum arbitrium causæ principalis rationem in suo ordine sortiatur, vt patet locis citatis cap. præcedenti. Nominatim q. 9. disp. q 24. de lib. arb. a. 1. ad 4.

IX. Quod planè consonum est dictis Sancti Augustini lib. de cor. & gratia c. 2 [Intelligant si Filij Dei sunt, Spiritu Dei se agi; vt quod agendum est, agant: aguntur enim vt agant, non vt ipsi nihil agant.] Item lib. de gratia Christi c 25. *Quotquot enim, inquit, Spiritu Dei aguntur, Rom. 8. si filij sunt Dei; profectò vt agant quod bonum est, ab illo aguntur, qui bonus est*

Et ne quis inde suspicetur aliquid dictum in libertatis præiudicium, præter ea quæ diximus, & infrà dicturi sumus; legat Angelicum Doctorem in cap. 14. Ioa. lect. 3. *Hoc est opus, inquit, quod facit in nobis, sed non sine nobis, quia eadem facit, quicunque credit, quia quod fit in me per Deum, fit in me etiam per meipsum, scilicet per liberum arbitrium.*

Tota ergo controuersia in eo fuit posita, quod pro tuenda libertate, Aliqui necesse esse duxerint, vt Deus Opt. cum voluntate creata tantùm operaretur, non verò in ipsam, falsò existimantes hoc fieri non posse sine aliquo libertatis creatæ preiudicio & læsione. Quorum sententiæ vix, & ne vix quidem potest quadrare, vsitatus loquendi modus Scripturæ: v. g. [Ezech. 36. dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, &c. quibus aliisque pluribus euidentissimè demonstratur, Deum non solùm cum voluntate, concursu simultaneo, sed & in ipsam præuiè operari: vt enim ait Sanctus August. lib. 4. contra 2. Epist. Pel. c. 6. *Quid eis prodest, quod in laude ipsius liberi arbitrij gratiam dicunt adiuuare viniuscuiusque bonum propositum? Hoc sine scrupulo intelligeretur Catholicè dictum, si non in bono proposito meritum ponerent, &c. Sed intelligerent & confiterentur, etiam ipsum bonum propositum, quod consequens adiuuat gratia, non esse potuisse in homine, si non præcederet gratia: quomodo enim est hominis bonum propositum sine miserante prius Domino, cum ipsa sit bona voluntas quæ præparatur à Deo? &c.*

X. Mox addiderunt, inquit, *Non tamen reluctanti studium virtutis immittere: reluctanti enim prius aditus Diuinæ vocationis ipsâ Dei gratiâ procuratur: ac deinde in illo iam non reluctante Spiritus virtutis accenditur: verumtamen in omnibus quæ quisque agit secundum Deum, misericordia eius præuenit eum.*

Cùm ergo dicitur, v. g. Iudith. 10. 9 *Deus patrum nostrorum det tibi gratiam & omne consilium cordis tui, suâ virtute corroboret:* Non tantùm cum voluntate in aliquod opus, sed & in ipsam voluntatem agere Deus intelligitur, illam corroborando, vires præbendo: vnde Christus ipse loquens de Spiritu sancto à quo filij Dei aguntur, non est pollicitus quod cum illis ageret tantùm, sed quòd ab ipso acciperent vires, act 1. *Sed accipietis virtutem Spiritus sancti superuenientis, &c. Atqui concursus simultaneus non præbet vires, nec in voluntatem agit, sed tantùm simul cum voluntate, vnde & dictus est simultaneus: Ergo, &c.*

Præterea: Quid aliud precatur Apostolus, quàm quod hìc propugnamus dum ad Ephes 3. 16 ait. *Det vobis, sc. Deus, secundum diuitias gloriæ suæ virtute corroborari per Spiritum eius in interiorem hominem.* Nam cum oramus, v. g. pro aliquo peruerso, non solùm petimus, vt Deus agat, cum eius voluntate, sed etiam vt agat in eius voluntatem, illamque immutet: Nam vt ait sanctus Augustinus lib. 4 contra 2 Epist. Pela. c. 9, [Oramus non solùm pro volentibus, verùm pro repugnantibus & oppugnantibus? Quid

ergo petimus, nisi vt fiant ex nolentibus, volentes, ex repugnantibus, consentientes, ex oppugnantibus, amantes: à quo, nisi ab illo de quo scriptum est, præparatur voluntas à Domino?

Sic ergo concursum Dei simultaneum cum causis secundis propugnemus, vt præuium non oppugnemus, assiduisque precibus à Deo obtinere studeamus cũ Ecclesia Miss. Rom Dominica 15. post Pent. *Vt mentes nostras & corpora sic possideat doni cælestis operatio, vt non noster sensus in nobis, sed iugiter eius præueniat effectus.* Quia re verà, Primum Agens non solùm cum causis secundis, quibus cum simul influit in effectum, operatur: sed eas præuenit: quod verè dici non potest sine ope Præmotionis Physicæ.

Numquid, inquiunt Antithomistæ, exhortationibus ac minis, aliisque similibus, ad solam motionem moralem spectantibus, quotidie dicimur à Deo præueniri & corroborari ad agendum, vel etiam ab agendo retrahi? Quid ni ergo sufficiet sola præmotio moralis (de qua suprà) absque illo intolerabili iugo præmotionis Physicæ? Sic loquuntur filii Belial, qui iugum suæ naturalis dependentiæ frustrà moliuntur excutere, nec semetipsos existimant liberos, si vel ipsum Deum, vt ex Augustino dicemus, habeant Dominum. At quoniam & ipsis debitores sumus, sit:

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

Præmotio Moralis, si sola sit sine Physica, non sufficit.

I. QVanquàm à quinquaginta circiter annis, fuerit quibusdam Modernis, in Philosophia nomen Præmotionis, velut terriculum in vinea sturnis fugandis: iam iam tamen plurimi ad cor redierunt, & sese ab inani territos phantasmate erubuerunt: vnde & rationum momentis capite præcedenti relatis acti, præ concursus simultanei insufficientiâ, præuium agnouerunt, quem & Præmotionem nobiscum nuncuparunt. Sed quia de re, non de nomine solo, nobis est sermo: Hìc ita discutiendum est huius controuersiæ negotium, vt neminem lateat, quàm frustrà iaciatur rete ante oculos pennatorum hàc subdolà nominis æquiuocatione, quâ loco Physicæ seu Thomisticæ, Præmotionem Moralem substituere studuerunt, ne ab Angelico Doctore dissentire viderentur: quos hàc in parte, nemo probauerit magis ei adhærere: illis, quæ huic dicebant viro: tantummodò inuocetur nomen tuum super nos, auffer opprobrium nostrum.

Pro huius rei intelligentia sciendum est: duplicem esse voluntatis motionem: vna dicitur moralis: altera physica. Moralis, vt iam diximus, fit cum voluntati obiectum aliquod proponitur, cum vna vel pluribus rationibus, veris vel apparentibus, quæ eam ad agendum vel non agendum mouere possunt: cum commodo & vtilitate suadetur: periculis aut damnis deterretur voluntas: spe retributionis, siue æternæ, siue temporalis vitæ erigitur.

Physica verò voluntatis motio est: Cùm Deus directè & per modum causæ efficientis, aliquid intrà voluntatem infundit per modum actus, quo suauiter iuxta modum suum liberum voluntas mouetur ad operandum: quod est soli Deo proprium, vt est prima & radicalis causa ipsius voluntatis.

II. Status ergo controuersiæ est: vtrum ex eo quòd voluntati proponatur aliquod obiectum modo prædicto: ita sit illa sufficienter mota ex tali propositione sibi factâ siue per externam prædicationem, siue per internam illustrationem, vt illam effectiuè à Deo vltrà moueri necesse non sit; quod esset, voluntatem esse à Deo in hoc vel illo actu solutam & independentem physicè (non quidem in ratione entis, sed in ratione agentis) sicque eam non amplius actu, Deo subordinatam, nec magis ab eo dependentem in ratione principij actualis suę operationis, quàm dependeret filius, qui consilio, prece aut promisso patris, ad aliquid agendum excitaretur.

Fatentur ergo Thomistæ, voluntatem creatam ex deliberatione agentem: in actum non prorumpere quidem, nisi ex aliqua obiecti propositione & modo aliquo morali mota sit, quia est potentia cæca. Sed contendunt voluntatem creatam, non esse causam absolutè primam volitionis suæ actualis, sed tantùm in suo ordine: ideò necessarium esse, vt semper physicè præcedat ille, *Qui operatur & velle:* quia, vt ait D. Augustinus lib. de gratiâ Christi & lib. arb. ad Valent. c. 17. *Sine illo vel operante vt velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus: vt autem velimus, operatur incipiens.* Sicut ergo quod aliquis viderit lapidem, contigit quidem ex specie lapidis, quæ in eius recepta fit oculo: sed hoc non impedit, quominùs verum sit, quod dicitur Prou. 20. 12. *Aurem audientem & oculum videntem dominus fecit vtrumque.* Ille enim est, inquit Regius Vates, qui & aurem plantauit, & qui oculum finxit Ps. 93. 9. Ideòque Deus Opt. est vtriusque actus, prima & radicalis causa: species enim ab obiecto immissa recipitur & in speculo v. g. & in oculo: in speculo quidem merè passiuè se habente: in oculo verò, vt illâ informatus, visionem effectiuè eliciat, & tanquam causa, subordinata tamen animæ, & ipsi Deo maximè, qui in natura operatur & in voluntate, non exclusâ illarum operatione.

III. Et quia semper fuit in Ecclesia S. Præsul Augustinus, velut turris Dauidica, ex qua mille clypei pendent, ad ipsum potissimùm confugiunt aliqui, vt aduersus Præmotionem Thomisticam sese obtegant: quem nedum vt testem, sed vt supremum iudicem libenti animo recipimus, dummodò integrum & syncerum referant: nec ex vno fragmento, vt sæpius ipsi ludunt hæretici, rem totam definiant: Quasi verò vbi sanctus Doctor moralem voluntatis motionem expresserit, aut differentiam aliquam inter agens liberum & necessarium alicubi explicuerit, continuò sit inferendum, ab ipso negatum esse præuium Dei influxum, qui agentibus creatis tanquam subordinatis Agenti per essentiam, competit: quæ subordinatio non saluatur ex eo quòd creaturam Deus produxerit, aut eam in esse conseruet; Sed tertium modum quo res vna dicitur esse causa alterius requirit Doct. Angel. q. 3. de pot. a. 7 vbi ait. *Tertio modo dicitur vna res esse causa actionis alterius, in quantùm mouet eam ad agendum, in quo non intelligitur collatio aut conseruatio virtutis actiuæ, sed applicatio virtutis ad actionem, sicut homo est causa incisionis cultelli ex hoc ipso quod applicat acumen cultelli ad incidendum mouendo ipsum.* Vnde post pauca concludit D. Thomas, *Sic ergo Deus est causa actionis cuiuslibet, in quantùm dat virtutem agendi, & in quantùm conseruat eam, & in quantum applicat actioni, &c.* Et vt interim capias, quomodo Deus sit prima & radicalis causa cuiuslibet actionis, aut virtutis

agentis; prosequere quod in fine eiusdem art. legitur [Cùm, inquit, coniunxerimus his, quod Deus est sua virtus, & quod sit intra rem quamlibet, non sicut pars essentiæ, sed sicut tenens rem in esse, sequitur quod ipse in quolibet operante immediatè operetur, non exclusâ operatione voluntatis & naturæ.] Sustinet enim in esse Deus quodlibet esse creatum, sicut sol conseruat lumen in aëre per actualem influxum, vt infrà dicemus.

IV. Sed iam ad quem judicem prouocarunt accedamus, ne ab eius sententia declinare videamur. Primò ergo, inquiunt, alium modum Diuo Augustino incognitum, quo Deus operetur velle in nostra voluntate, præter eum qui fit suasione externa doctrinæ, aut interna illustratione: quæ omnia pertinent ad motionem moralem, quæ se tenet ex parte intellectus; idque probare se sufficienter existimant ex sancto Præsule lib. de Spiritu & litt. c. 34. *Non ideò, inquit, tantùm Deo tribuendam (scilicet voluntatem) quia ex libero arbitrio est, quod à Deo creatum est; sed quia visorum suasionibus agit Deus vt velimus & vt credamus, siue extrinsecùs per Euangelicas exhortationes, siue intrinsecùs: vbi nemo habet in sua potestate, quod ei veniat in mentem: sed assentire vel dissentiri, propriç voluntatis est.* Vbi modus quo Deus agit in anima vt velit & credat, videtur satis expressus, aut solis externis exhortationibus, aut visorum suasionibus, quæ omnia moralem non excedunt motionem.

Mirum profectò qui hic obiiciant partem pro toto, vt nobis intellectu & voluntate, velut duobus animæ brachiis, Deum amplecti conantibus, semper sit cauendum, ne à sua radice abscindatur alterum, voluntas scilicet, quç Deo tanquam palmes viti semper adhærere debet. [Vt (Concil. secund. Arauf. c. 24) inde accipiat, vnde viuat: sic quippè vitis est in palmitibus, vt vitale ministret eis, non sumat ab eis] Agnoscimus ergo cum D. August. motionem moralem, non enim agit voluntas vt res merè naturales, aut cæco naturæ impetu. Sed præter hanc motionem, dicimus cum eodem, necesse esse, vt voluntas creata moueatur Physicè à Deo: qui motus, rectè Præmotio dicitur, quia vt ait Doct. Angelicus 3. contra Gent. c. 149. [Motio mouentis, præcedit motum mobilis ratione & causà.] Omnis autem causa est prior effectu.

V. Nec ab alio, quàm à sanctissimo Antistite, hoc proferimus: ait enim loquens de motione morali lib. de gratia Christi c. 19. [Hæc gratia, si doctrina dicenda est, certè dicatur, vt altiùs & interiùs eam Deus cum ineffabili suauitate credatur infundere, non solùm per eos, qui plantant & rigant extrinsecùs, sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultus, ita vt, non ostendat tantummodò veritatem, sed impertiat charitatem.] Pondera hæc verba. [Per se ipsum, incrementum suum ministrat.

Cùm autem dicitur [Dissentire vel assentiri propriæ est voluntatis] Intelligendum est, non de voluntate nuda, sed dispotita & adiuta alio auxilio, illi à Deo immediatè impresso, quia nulla est animæ bona dispositio, quam non efficiat Dei operatio, vnde D. Thomas ait in 2. Cor. c. 2. l. 3 [Ipsa præparatio mentis humanæ, est ex virtute diuina, nam licet facilitas quâ mentes præparantur, sit causa conuersionis, tamen ipsius facilitatis & præparationis causa est Deus.] Idemque repetit ille 1. 2. q. 112. a. 2. o. *Quæcunque præparatio in homine esse potest, est ex auxilio Dei mouentis animam ad bonum.*

VI. Et vt nulla suspicione laboret lector de mente sancti Præsulis, circa insufficientiam motionis moralis, legat eundem lib. de Spiritu & litt. c. 3. [Nos, inquit, dicimus humanam voluntatem sic diuinitùs adiuuari ad faciendam iustitiam, vt præter quod creatus est homo cum libero arbitrio voluntatis, præter doctrinam, quâ ei præcipitur quemadmodùm viuere debeat, accipiat Spiritum sanctum quo fiat in animo eius delectatio, dilectioque summi illius & incommutabilis boni: nam neque liberum arbitrium quidquam, nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via: & cùm id quod agendum & quo nitendum est, cœperit non latere, nisi etiam delectet & ametur, non agitur, non suscipitur, non benè viuitur. Vt autem diligatur, Charitas Dei diffunditur in nobis, non per liberum arbitrium, quod surgit in nobis, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.

Et hoc ipsum, non minùs euidenter expressit idem Doct. lib. de gratia Christi c. 14. [Quis non videat, inquit, & venire quempiam, & non venire arbitrio voluntatis, sed hoc arbitrium, potest esse solum si non venit, non autem potest esse nisi adiutum si venit, & sic adiutum, vt non solùm quid faciendum sit sciat (En motio moralis) sed quod scierit, etiam faciat (Ecce id quod nomine præmotionis physicæ subintelligitur) Ac per hoc, quando Deus docet, non per legis litteram, sed per Spiritus gratiam, ita docet, vt quod quisque didiscerit, non tantùm cognoscendo videat, sed volendo appetat, agendoque perficiat. [Nam, vt ait D. Gregorius Magnus lib. 2. mor. c. 5.] Mutum est os omne quod loquitur, si ille intùs in corde non clamet, qui aspirat verba, quæ audiantur.

En quomodo cùm aliquis, Dei vocationem audit, eamque per intellectum percipit, venit per liberum arbitrium, non nudum, sed auxilio Dei suffultum, quod auxilium non in eo consistit tantùm, quod quis sciat, quid agendum sit: atque adeò non sufficit allicientia moralis ex parte cognitionis proueniens, sed præterea requiritur Spiritus gratia, vt agendo perficiat.

VII. Idem omninò sapit sanctus Prosper in Epist. ad Ruff. [Quis ambigat, inquit, tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis obedire, cùm in illo gratia Dei, affectû credendi, obediendique generauit, alioqui sufficeret moneri hominem, non etiam in ipso nouam fieri voluntatem, sicut scriptum est: Præparatur voluntas à Domino: & sicut ait Apostolus, Deus est qui operatur in nobis velle & operari.] Nec ab illis in hoc dissentit D. Bernardus serm. 3. de Pent. [Non solùm, inquit, moneri & doceri, verùm etiam moueri & affici ad bonum necesse est, ab eo vtique Spiritu, qui adiuuat infirmitatem nostram, & per quem in cordibus nostris diffunditur charitas quæ est bona voluntas.

Et hanc duplicem Dei motionem respectu liberi arbitrij creati, moralem scilicet & physicam, expressit sacra Synodus Tridentina sess. 6. c. 4. vbi dixit: [Liberum arbitrium motum & excitatum à Deo.] Cùm enim voluntas agit, non solum debet esse excitata, quod fit motione morali proueniente ex cognitione obiecti, eiusque conuenientiâ, (Nam quoties videmus bona, probamusque meliora, & deteriora sequimur?) sed & mota esse debet, quia vt ait suprà sanctissimus Præsul, Non sufficit, vt quid faciendum sit, sciat; sed etiam requiritur motus per Spiritus gratiam, vt fiat, agendoque perficiat. Nam si motus ille à Tridentino expressus, intelligeretur tantùm de motione morali, quando Concilium dixit, liberum arbitrium, *Motum & excitatum.* idem esset, ac si dixisset, *Excitatum & excitatum*: Quod nemo dixerit.

VIII. Vtraque igitur Dei motio voluntati creatæ necessaria est: Moralis ex parte intellectus, obiectum, eiusque conuenientias percipienti: & Physica ex parte primi principij effectiui, à quo est liberum arbitrium & eius operatio. Et vtraque adhuc euidentiùs ab eadem Synodo Tridentina exprimitur, vbi dicitur, *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus sancti inspiratione atque*

bius adiutorio hominem credere, sperare, &c. posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur: anathema sit.

Et ne quis, per *Ly adiutorium*, solum putet concursum Dei simultaneum; reuocet quod suprà diximus c. 3. ex sancto Augustino lib. de grat. & lib. arb. ad Valent c. 16. vbi ait, nos à Deo adiuuari, quatenus præbet ille vires voluntati: quod non fit nisi solo concursu præuio.

Eodemque spiritu loquitur Conc. Affric sub. Zozimo. *Quisquis dixerit eamdem gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, propter hoc, nos adiuuare tantùm ad non peccandum, quia per ipsam nobis reuelatur & aperitur intelligentia mandatorum, vt sciamus quid appetere, quid vitare debeamus (en Motio Moralis) non autem per illam nobis præstari, vt quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus & valeamus: anathema sit.* Valemus autem vt dictum est, ex eo quòd Deus Opt. vires præbeat voluntati. Idem docet Trid. sess 6. c 2.

IX. Vt autem intelligat lector, quàm perpetuus sit hac in sententia Augustinus, legat eundem lib. 1. de gratia Christi c c. 7. & 8. *Denique, inquit, Dei adiutorium multipliciter insinuandum putauit (sc. Pelagius) commemorando doctrinam & reuelationem, & oculorum cordis apertionem & demonstrationem futurorum, & apertionem diabolicarum insidiarum, & multiformi & ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminationem, &c.* Et cap. sequenti prosequitur D. Augustinus. *Hinc itaque apparet, hanc eum, sc. Pelagium, gratiam confiteri, quâ demonstrat & reuelat Deus, quid agere debeamus: non quâ donat atque adiuuat, vt agamus, cùm ad hoc potius valeat legis agnitio, si gratiæ desit opitulatio, vt fiat mandati præuaricatio: vbi enim non est lex; ait Apostolus Rom. 4. nec præuaricatio: & concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceba, non concupisces. Rom 7.*

Sentiamus igitur cum sanctiss. Præceptore lib. de cor. & gratia c. 2. circa princ. to. 7. vbi loquens de gratia quâ declinamus à malo & facimus bonum, ait, eâ homines indigere. *Non solùm vt monstrante ipsâ, quid faciendum sit, sciant: verùm etiam vt præstante ipsâ faciant cum dilectione quod sciunt, &c. non ait Apostolus, monemus, docemus, exhortamur, increpamus, sed ait, oramus ad Deum, &c. sciebat hæc omnia (sc. quæ spectant ad motionem moralem) non valere, quæ plantando & rigando faciebat in aperto; nisi eum pro illis exaudiret orantem, qui dat incrementum in occulto.* Qui autem dat incrementum in occulto, est radix illa portans omnia verbo virtutis suæ, de qua dicitur ad Rom. 11. 18. *Non tu radicem portas, sed radix te.* Et hoc modo ait D. Thom. q 3. de potentia a.7 *Deus est in rebus non sicut pars essentiæ, sed sicut tenens res in esse.*

Eodem semper spiritu loquitur D. Augustinus v.g. Epist. 107. to. 2. *Quomodo, inquit, dicitur quod per legem Dei atque doctrinam Scripturarum fiat quod eadem Scriptura dixit: Preparatur voluntas à Domino. 1 rou. 20. ac non potius per occultam inspirationem gratiæ Dei, quandoquidem, pro eis qui eidem doctrinæ contradicentes nolunt credere, ipsum Deum fide rectâ rogemus vt velint, &c.* Et ibid. *Non enim oramus hoc pro infidelibus, vt fiat eorum natura, id est, vt homines sint; aut vt doctrina eis prædicetur, quam malo suo audiunt, si non credunt, & plerumque pro eis oramus, qui cùm legant & audiant nolunt credere: sed oramus vt voluntas corrigatur, doctrinæ consentiatur, natura sanetur, &c.* Et quis dicet infirmum sanari ex eo quòd medicina ei ostendatur, aut quòd ad eam sumendam quis illum adhortetur?

Secundò obijciunt efficaciā Diuini auxilij reducendam esse ad quandam cogruitatem gratiæ, ad vocationem quæ se teneat ex parte intellectus cum dispositione, in qua voluntas tunc inuenitur vt vocationem sequatur: non autem ad aliquam applicationem, quæ immediatè immutet ipsum voluntatis affectum, idque probant ex lib. ad Simp q. 2 vltrà medium. vbi ait sanctus Præsul. *Cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, vt vocantem non respuat.*

Quod confirmant ex lib. 2. de dono pers. c. 14. to. 7. *Apparet, inquit, habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur, ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba vel signa conspiciant, &c.*

Ex quo inferunt Diuini auxilij efficaciam, reducendam esse ad dispositionem suppositi operantis; quæ posita sit in quadam, etiam ordinis naturalis congruitate, quâ ei vel verba, vel signa proponuntur: non verò ad dispositionem quam immediatè in voluntate ipsa, efficiat Dei gratia

XI. Verùm ad hæc peruia & facilis est responsio: nam licet vocatio ex parte intellectus quâ multi vocantur, possit esse vna; & affectus seu dispositio voluntatis, dispar & varia; attamen si hæc est bona & sequens vocationem, non est ex solo libero arbitrio, cum sola morali suggestione aut congruitate naturali præsupposita in voluntate: sed facta per ipsam gratiam & subministrationem Spiritus; quam etsi semper non exprimat sanctus Augustinus, ne sit in repetendo exosus, semper tamen supponit, vt ex locis à D.Thoma citatis hoc cap in 12. Cor & 1 2. q. 112. colligi potest. Quod si ex Angelico Doctore, nullæ sint dispositiones corporis aut animæ, quas non efficiat Deus; & naturales seu intrinsecæ, quas non efficeret gratia, ad conuersionem essent insufficientes, vt de facto sunt; Nec à fortiori quidquam prodessent externæ temporis aut alicuius alterius circonstantiæ. Ita D August. to 2. Epist.107. *Preparatur voluntas à Domino, & Deus est qui operatur in nobis & velle: & multa eiusmodi, quibus commendatur vera Dei gratia; hoc est, quæ non secundum merita nostrâ datur, sed dat meritâ ipsa cum datur: quia præuenit hominis voluntatem bonam, nec eam cuiusquam inuenit in corde, sed facit: Si ergo ita pararet atque operaretur Deus hominis voluntatem, vt tantummodò legem suam atque doctrinam libero eius exhiberet arbitrio, nec vocatione illâ altâ atque secreta, sic eius ageret sensum, vt eidem legi atque doctrinæ accommodaret assensum; procul dubio, eam legere vel intelligere legendo, vel etiam exponere ac prædicare sufficeret: Nec opus esset orare, vt Deus ad fidem suam, infidelium corda conuerteret, & conuersis proficientem perseuerantiam eiusdem gratiæ suæ largitate donaret.* Quid ad hæc erudite lector, vllusne est dubitandi locus de mente sancti Præsulis circa insufficientiam motionis moralis?

XII. Et ne existimes te minùs Deo debere pro huiuscemodi circunstantiis loci aut temporis, ad quas confugiunt aduersarij, & quas non expectat Deus, sed facit, vtpote, *Cui tempus agendi semper adest quæ gesta velit.* Vt ait sanctus Prosper. Nam teste sancto August. tract 104. in hæc verba Ioa. *Pater venit hora. Omne tempus & quid & quando faceret, vel fieri sineret, ab illo est dispositum, qui tempori subditus non est; quoniā quæ futura erant per singula tempora, in Dei sapientia causas efficientes habent, in qua nulla sunt tempora.* Quod pro cæteris dispositionibus animæ aut corporis non facilè prætereas: sed perpende attentiùs & quod ait sanctus Præsul hom. 23. c 6. *Hoc tibi dicit*

Deus tuus, Regebam te mihi, seruabam te mihi, vt adulterium non committeres: suasor defuit; & vt deesset, ego feci: locus & tempus defuit; & vt hæc deessent, ego feci: adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus; vt non consentires, ego terrui: agnosce gratiam eius, cui debes, & quod non admisisti. Prædictam insufficientiam motionis moralis agnoscit quoque D. Thomas in cap. 4. Mat. in hæc verba: (Faciam vos fieri, &c.) *Frustrà, inquit, Laborat Prædicator exteriùs, nisi adsit intùs gratia Redemptoris.* Pro quo semper præ oculis habeto, quod ait sanctus Augustinus. Lib. de pec. mer. c. 17. *Nullius proinde culpa humana in Deum referas causam, quia vt ait D. Bonauentura in 1. dist. 47. a. 1. q. 1. Deus paratus est iuuare, ita quod salus non deficit per defectum ex parte Dei.*

XIII. Sed vt videas quàm perpetuus sit D. Thomas in sententia de insufficientia motionis moralis; perpende adhuc quæ sequuntur; Nam in cap. 8 Ioa. lect. 4. ait. *Solus Christus potest aperire aurem intelligentiæ: Lucæ vlt. Aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas. Isa 50. Dominus aperuit mihi aurem,* Quod si non fit, culpa est in solis hominibus, non in Deo: etenim vt ait sanctus Augustinus lib. 2. de pecc. merit. c. 17. *Vt innotescat quod latebat, & suaue fiat, quod non delectabat, gratia Dei est, qua hominum adiuuat voluntates, quâ vt non adiuuentur, in ipsis itidem causa est, non in Deo.* Qui innumeris peccatis & negligentiis gratiæ præstant impedimentum. ita D. Tho. in cap. 17. Ioa. lect. 2. in hæc verba: *Non pro mundo rogo. Dicendum, inquit, quod Christus, quantùm est de se ipso, pro omnibus orauit, quia oratio sua, quantùm est de se, est efficax vt valeat toti mundo, sed tamen non in omnibus sortitur effectum, nisi in Sanctis & Electis Dei, & hoc propter impedimentum mundanorum.* Et ne quis dubitare possit de mente Angelici Doctoris, notet adhuc in prædictorum confirmationem, quæ scripsit in hæc verba, *Ille vos docebit omnia,* in cap. 14. Ioa. lect. 6. *Quæcunque, inquit, homo doceat extra, nisi Spiritus sanctus interiùs det intelligentiam, frustrà laborat: quia nisi Spiritus adsit cordi, otiosus erit sermo Doctoris: Iob. 31. Inspiratio Omnipotentis dat intelligentiam, & in tantùm quod ipse filius organo humanitatis loquens, non valet nisi ipsemet interiùs operetur per Spiritum sanctum.*

XIV. Iterumque sanctus Doctor 1. 2 q 6. a. 1. ad 3. *Deus, inquit, mouet hominem ad agendum, non solùm sicut proponens sensui appetibile (en Motio Moralis) vel sicut immutans corpus: sed etiam sicut mouens ipsam voluntatem, quia omnis motus tam voluntatis, quàm naturæ ab eo procedit, sicut à primo mouente: & sicut non est contra rationem naturæ, quod motus naturæ sit à Deo sicut à primo mouente, in quantum natura est quoddam instrumentum Dei mouentis, ita non est contra rationem actus voluntarii, quod sit à Deo, in quantum voluntas à Deo mouetur.*

Quibus omnibus si quod dixit Doct. Ang. 3. contra Gent. c. 149. adiunxeris, *Impossibile est, esse aliquem rectum motum in anima, quem non præueniat actio diuina.* Vide quæ fides habenda sit iis, qui in doctrina D. Thomæ, loco Præmotionis Physicæ, Moralem substituere moliuntur. Oppositum cuius adeò certum est, & apud D. Thomam compertum, vt motio moralis quantumuis perfecta, & qualis erit in sola patria, quando illum qui videbit Deum nihil latebit ex iis omnibus quæ pro statu, conditione, & meritis desiderare poterit, non excludat Physicam seu Thomisticam quia in genere causæ efficientis, tàm impossibile est, vt creatura non dependeat à Deo, quàm quòd non sit ab eo facta: ideoque ait Doctor Angel. 1. 2. q. 109. a. 9 ad 1. & meritò. *Etiam in statu gloriæ quando gratia erit omninò perfecta homo Diuino auxilio indigebit*, Et hoc expressit Conc. 2. Arausic. can. 2 his verbis. *Homo nulla facit bona, quæ non præstet Deus, vt faciat homo.* Vbi non ait, quæ non monstret Deus, hoc enim non sufficit; sed quæ non præstet; quia ille facit vt faciamus.

Ex his omnibus licet inferre quàm tutò & rectò tramite procedant Thomistæ sacris inhærentes Conciliis, etiam Tridentino, quod ait, Sess. 6. can. 4 *Liberum arbitrium à Deo esse motum & excitatum,* Vbi non solam agnoscit motionem: nec solam excitationem, sed vtramque. Et hoc est medium quod tenuere beati, à quo non est recedendum: nam sublatâ excitatione, motio superueniens, solùm esset motio per modum naturæ, sicut mouetur equus, aut lapis, quod tanquam hæreticum damnat Ecclesia, idque ad mentem D. Thomæ 3. contra Gent. c. 88. *Illud, inquit, quod mouet voluntatem per modum agentis, & non per modum finis, mouet violente & tanquam principium extrinsecum.*

XV. Hactenùs Candide lector ad satietatem vsque probata est Præmotionis Moralis insufficientia. vnde necessitas Præmotionis Physicæ etiam cæcis deberet apparere; sed quia pauci sunt, qui quod semel dixerint reuocare velint; adhuc vnum excogitarunt aliqui subterfugium. Fatentur quidem Deum Opt. cum agentibus liberis nedùm moraliter concurrere, sed & directè & per modum causæ efficientis: verùm concursu tantùm indifferenti & indeterminato, non quo faciat Deus hominem ex nolente, volentem: aut ex repugnante, consentientem: sed tantùm influxu vago, qui eius consensum expectet. Et quamuis, talis concursus indifferens non possit impugnari efficaciùs, quàm ex eius opposito, id est, appertà necessitate Præmotionis Physicæ, quâ efficaciter, & tamen liberè Deus in nobis operatur & velle; tamen ne vlla subsit nubecula obscuritatis, quæ non dissoluatur, iterim sequens caput præmittitur: quare sit:

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

Vtrum concursus Causæ Primæ, quo in Agentibus Liberis operatur vt velint, sit solùm indifferens & indeterminatus?

I. NVsquam à semetipso diuisus Doctor Angelicus, nec subinde vnus in eorum mentibus, qui tàm diuersimodè ipsum interpretantur aut intelligunt; si tamen intelligunt: ex quibusdam enim scriptorum eius fragmentis, vbi aliud planè (ab eo quod sibi fingunt) ait sanctus Doctor; concursum Dei Physicum, in indifferentem & indeterminatum commutare moliuntur; quo totius Præmotionis Diuinæ ruit œconomia, quâ in agens liberum tanquam essentialiter sibi subordinatum, iuxta conditionem eius & modum Deus ita operatur, vt ipsum ad agendum prædeterminet: quæ Prædeterminatio, cum substantiam actus includat & modum eius liberum, vt fauente Deo manifestum fiet ex Doctore

Angelico, libertati creaturæ non officit, sed proficit, eamque non angustiorem reddit, sed augustiorem.

II. Hic non negamus, quin voluntati humanæ proponat Deus id quod agendum voluerit, vt tota clamat Scriptura. Eccl. 15. *Deus reliquit hominem in manu consilij sui.. Apposui tibi ignem & aquam, ad quod volueris porrige manum tuàm, &c.* Sed hæc & similia Scripturæ testimonia non excludunt Dei causalitatem Physicam, immò exigunt, vt cap. 2. huius lib. ex D. August. & Doct. Angelico fusissimè ostendimus: nam cum ad bonum, quod est ex integra causa, plura requirantur, quàm ad malum, quod est ex quocumque defectu. Ad malum sibi sufficit creatura, & quidem sola, quæ mali formaliter sumpti est causa prima, quia tunc illa non efficit, sed deficit, nec huius defectus causa vllatenùs potest esse Deus, iuxta illud, *Perditio tua ex te Israël, tantummodò ex me auxilium tuum.* Ideò D. Augustinus lib. de gratia Christi cap. 14. loquens de vocatione ait, *Hoc arbitrium potest esse solum si non venit, non autem potest esse nisi adiutum si venit* Deus enim est, qui, *Dat voci suæ vocem virtutis Ps. 67. 34.* Et rursùm exponens hæc verba, *Et ne nos inducas in tentationem*, ait lib. de natura & gratia c. 18. *Vt præterita expientur, & vt futura vitentur, licet non fiat, nisi voluntas adsit, tamen vt fiat, sola non sufficit.* Laude ergo dignissimum dicimus, quod homo eligat bonum quod sibi à Deo quocumque modo proponitur, idque credimus ac prædicamus, in eius libera potestate positum, vt ad id quod virtuti consentaneum est se se determinet: sed huius determinationis seu recti motus prima causa est Deus, vt patet ex Diuo Thoma supra citato 3. contra Gent. c. 149. vbi ait, *Impossibile est, esse aliquem rectum motum in anima, quem non præueniat actio Diuina.* At libera determinatio, quà voluntas se se determinat ad bonum, est motus rectus: ergo præuenitur à Deo, & consequenter est causa illius. Nemo igitur in littera (quæ occidit) decipiatur; nec de se ita præsumat, vt priuatam Scripturæ expositionem, ei quam nobis hæreditario iure tanquam filiis Sancti illi Ecclesiæ Patres reliquerunt, præferre audeat: Deus enim in quo viuimus, mouetur, & sumus, & dicitur Act. 7. obiecta quidem nobis offert eligenda; sed hoc non impedit, quominus intimè in nobis existens, vt prima causa rerum, radix omnis entis, & principium omnium operationum, continuò non subministret esse & virtutem, quà causa secunda suam eliciat operationem, quoties benè agit, sicut non obstante hominis libertate voluntas est semper radicata in anima, vt propria eius passio: & sic tàm voluntas quàm anima ipsa, habent pro primo principio Deum ipsum [Qui portat omnia verbo virtutis suę, Rom. 2. à quo voluntas magis pendet, quàm ab ipsa anima, cum propria passio possit virtute diuina separari à suo subiecto, secùs verò ens per participationem ab ente per essentiam: Vnde ait Doctor Angelicus 1. p. q. 83. a. 1. ad 3 *Licet voluntas sit causa sui motus, non tamen est causa prima, & ideò priorem causam se mouentem supponere potest quæ non lædit, sed causat motus voluntarios sicut & naturales.*

Libera autem voluntatis creatæ determinatio, qua hoc bonum amplectitur, ad illud se se determinando, est motus maximè liber: quòd si ex ipso D. Thoma motus voluntarios causat Deus, sine libertatis læsione (aliàs falsò dicerentur voluntarij) hos ergo non supponit aut expectat, vt volunt aliqui, ab alio producendos, ad hoc, oblato tantùm aliquo concursu indifferenti: quia quod est indifferens & indeterminatum, semper remanet tale, si nihil ei fit superadditum nisi indifferens & indeterminatum: sicut id quod est frigidum, si ei nihil nisi frigidum superaddatur, semper frigidum, remanebit.

III. Verùm, ne difficultatem dissimulare videamur: ponderanda sunt, quæ nobis obijciuntur, ex quibus concursum causæ primæ indifferentem esse & indeterminatum probare conantur: ita vt, v. g. concursus ad amorem, vel odium indeterminatus, per voluntatem creatam ad amorem determinetur, sicque Deus hanc determinationem non efficiat tanquam Causa Prima, sed à voluntate creata eam expectare teneatur.

Primò ergo obijciunt, id quod ait D. Thomas 3. contra Gent. c. 66. rat. 5. *Secunda agentia determinant actionem Primi Agentis.* Itidem, id quod 1. 2. q. 9. a. 6 ad 3. ait, *Deus mouet voluntatem hominis, sicut vniuersalis Motor, &c. Sed homo per rationem se ad volendum hoc vel illud determinat, quod est verè bonum vel apparens, &c.* Ex quibus inferunt aliqui, Deum concurrere tantùm cum voluntate creata influxu vniuersali, qui pro diuersa voluntatis dispositione, ad hunc vel illum effectum determinatur, sicut sol eodem calore indurat lutum & liquefacit ceram secundum diuersam materiæ dispositionem.

Sed vt aduertat lector, quàm aliud intendat Angelicus Doctor locis suprà citatis; pro primo non prætereat, ab ipso ibidem inquiri in titulo, vtrum voluntas moueatur à solo Deo? Pro cujus resolutione docet potentiam quambilet dupliciter moueri: Primò quantùm ad specificationem: & hoc habet naturaliter à solo Deo, v. g. quod hominis voluntas feratur in bonum, oculus in lucem, & auris in sonos. Licet enim homo operationes possit suspendere, si tamen velit operari, necesse est vt quælibet potentia feratur in obiectum, ad quod est naturaliter determinata, non enim videbit auris, aut audiet oculus: ita D. Thomas de verit. q. 2. 2. a. 9. *Si consideretur, inquit, actus voluntatis ex parte obiecti, sic inuenitur voluntatis duplex obiectum, vnum ad quod de necessitate, naturalis inclinatio determinat: & hoc quidem obiectum est voluntati inditum & propositum à Creatore qui ei naturalem inclinationem dedit ad illud.* Secundò, Mouetur, inquit, potentia quoad exercitium: v. g. ad hoc vel illud. [Et de hoc secundò prosequitur ibidem, *Non tamen ex hoc obiecto, voluntas de necessitate immutatur, &c.*

IV. Quando igitur ait Doctor Angelicus loco suprà citato: quod, *Deus mouet voluntatem hominis sicut vniuersalis motor. Et homo per rationem determinat se,* Vult tantùm stabilire discrimen quod est inter hanc vtramque prædictam motionem, rursùmque ostendere hominem non merè passiuè se habere sicut voluit Lutherus: quia seipsum mouet, & per rationem se determinat. Sed huius motionis & determinationis, homo non est absolutè prima causa, sed tantùm in suo ordine, vt ait D. Tho. 1. p. q. 83. a. 1. ad 3. & 3. contra Gent. c. 149. *Licet voluntas sit causa sui motus, non tamen est causa prima, sed tantùm in suo ordine, & ideò priorem causam se mouentem supponere potest, quæ causat motus voluntarios & naturales.* Licet ergo voluntas in suo ordine dicatur, primum mouens: quia se, cæterasque potentias, quibus imperat, mouet: tamen illud mouens non est ita vniuersale, quin aliud supponat. Deus autem simpliciter & absolutè, non tantùm in omni genere, sed supra omne genus, est Primum Mouens: Et hoc tantùm discrimen voluit indicare D. Thomas locis in obiectione citatis; ideò enim dicit Doctor Angelicus in 2. dist. 25. q. 1. a. 3. ad 3. *Determinatio finis & actionis in potestate liberi arbitrij consistit, vnde remanet sibi dominium sui actus, licet non ita sicut primo Agenti*: Sed de hoc fusiùs lib. 3. in solutionibus argumentorum.

V. Nec iterùm aliud intendit Doct. Ang. loco citato, contra Gent. c. 66. nam vt ibidem ait Ferrariensis hoc

intelligendum est, *Secundum quod actio Diuina mediantibus causis secundis ad effectum determinatur* : v. g. per oculum ad videndum, per aurem ad audiendum, per ignem ad conburendum, & per solem ad illuminandum : proprius enim sensus loci huius est, quod causæ secundæ agunt limitato modo, & non vniuersaliter vt causa prima, cuius vniuersalissimam virtutem ad certam actus speciem causa secunda limitat, quia hæc causa particularis, solùm potest hanc speciem effectus producere, Non verò quòd determinet concursum aliquem sibi indifferenter oblatum ad hunc vel illum actum.

Quod si liceat in confutando concursu indifferenti & indeterminato (quem pro præmotione Physica conantur supponere) vibratum rejicere telum ex eodem art. 6. citato q. 9. 1. 2. efficaciter impugnabitur, id quod ab eis principaliter intenditur scilicet à Deo voluntatem creatam non moueri nisi tanquam à Motore vniuersali, quasi verò ad bonum particulare voluntas sine illo se se determinet, & non possit ab illo determinari ad hoc, sine aliquo suę libertatis præiudicio, Ait namque D. Thomas ibidem, *Sed tamen interdum specialiter Deus monet aliquos ad aliquid determinatè volendum, quod est bonum. sicut in his quos mouet per gratiam.*

Ex quo licet inferre primò quòd quamuis Deus moueat aliquos determinatè, non vt vniuersalis motor, vt volebant : sed speciali modo & ad aliquod bonum particulare, creatura rationalis remanet nihilominus libera, vt ipsi tenentur fateri cum D. Thoma citato : aliàs cum per gratiam mouetur, non mereretur cum non esset libera : ergo vt saluetur libertas, non est necesse vt à Deo voluntas moueatur, tanquam ab vniuersali motore tantùm : quod intendebat argumentum ab aduersariis obiectum.

VI. Secundò, Eadem est ratio præmotionis in ordine naturæ, & alicuius gratiæ ex se efficacis in ordine supernaturali, hâc enim de causâ præmotionem è medio tollere conati sunt aliqui, vt viam sibi sternerent ad gratiam aliquam ex natura sua efficacem, quæ liberum arbitrium directè moueret, denegandam. Nec major in vno est difficultas quàm in altero, vtpote quæ iisdem stabiliuntur rationibus & fundamentis, ex eo nimirùm quòd virtus Diuina quatenùs efficacissima attingat, & substantiam actus, & modum eius : ita D. Thomas 1. p. q. 19. a. 8.

Atqui, si concursus quo Causa Prima agit in secundam vt illam compleat, sit tantùm indifferens & indeterminatus, & per voluntatem creatam determinabilis; Non est major difficultas in eo quod incompræhensibile & inscrutabile asserit D. Augustinus, id est, in componenda gratiæ efficacia cum libertate creata, quàm facillimè possit muliercula explicare. At quis hoc aduersus sanctum Augustinum asserere audeat ? *Ista, inquit, lib. 1. de gratia Christi contra Pela. & Celest. c. 47. quæstio, vbi de arbitrio voluntatis & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, vt quando defenditur liberum arbitrium negari Dei gratia videatur : Quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.*

Iterùm de Spiritu & litt. c. 38. in fin. to. 3. [Iam si ad illam, inquit, profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, cur illi ita suadeatur, vt persuadeatur : illi autem non ita ? Duo solùm occurrunt iterim quæ respondere mihi placeat. O altitudo diuitiarum ! Et numquid iniquitas apud Deum ?

Iidem to. 7. lib. 4. contra 2. Epist. Pela. c. 6. in fin. *Non itaque, ait, istam scrutari audeant inscrutabilem quæstionem, qui meritum ante gratiam, & ideò iam contra gratiam defendentes, priores volunt dare Deo, vt retribuatur eis : priores vtique dare quodlibet ex libero arbitrio, vt sit gratia retribuenda pro præmio : & sapienter intelligant, vel fideliter credant, etiam quod se putant priores dedisse, ab illo, ex quo sunt omnia, per quem sunt omnia, in quo sunt omnia percepisse.* (Quis prior dedit illi, & retribuetur ei ? Rom. ij. v. 3. 6.) *Nec miremur, inquit, lib. de cor. & gratia c. 8. nos inuestigare non posse, inuestigabiles vias eius.*

Quibus omnibus si addideris quæ idem sanctus Doctor lib. 2. de pec. merit. c. 17. loquens de gratia quâ adiuuantur homines, ait, *Si ex me quæritur, quare nolint, imus in longum : verumtamen hoc etiam sine præiudicio diligentioris inquisitionis breuiter dicam. Nolunt facere homines, quod iustum est, siue quia latet, an iustum sit, siue quia non delectat, &c. vt autem innotescat, quod latebat, & suaue fiat, quod non delectabat, gratia Dei est, qui hominum adiuuat voluntates, quâ vt non adiuuentur, in ipsis itidem causa est, non in Deo.*

VII. Ex iis manifestè infertur, in hoc mysterio non facile credendum esse, sub pedibus eorum esse caliginem, qui hac in re, lumen Ecclesię sanctum Augustinum dicunt, *Fuisse sub quadam caligine*, Si enim nullo gratiæ auxilio vtitur Deus in obduratis peccatoribus conuertendis, nisi indifferenti & indeterminato, voluntati humanæ subiecto, eodem modo quo calamus est in manu scribentis, vt à multis asseritur, & vt ego audiui propriis auribus. Iam nullâ opus est exclamatione, ad quam in hoc & Trinitatis mysterio confugit sanctus Præsul. Nec difficile erit respondere Apostolo quærenti. Quis te discernit ? facillimum enim erit vnicuique, semetipsum discernere : Nihilque superrerit causæ, cur ea, quæ suprà retulimus, asserta dixerit Augustinus, *Sine præiudicio deligentioris inquisitionis.* Cuius oppositum tanquam in fide periculosum & humilitati Christianæ prorsùs aduersum esse existimo, quæ nos 1. Petri 5. v. 6. *Sub omnipotenti manu Dei vult humiliatos*, In timore & tremore salutem nostram operantes ; & hîc præsertim, vbi, *Ex parte cognoscimus, & ex parte Prophetamus.* 1. Cor. 13. 9.

Nec in hoc ad latebras confugiunt tantorum Doctorum discipuli, vt ipsorum æmuli, cum in principiis D. Thomæ, vt infrà Deo dante patebit, omnia perfectè explicentur, & argumenta quæ in oppositum afferuntur, manifestè dissoluantur, qui Apostoli mentem, assequutus est vt idem testatus est Apostolus prout legitur in Historia Diui Thomæ Romano approbata officio. Porrò Doctor Angelicus, toties fuit B. Virginis sanctorumque Apostolorum apparitione dignatus, vt meritò cantet de eo Ecclesia. *Petrus, Paulus fauent obsequio, Dei Mater mulcet alloquio.* Non ergo ex proprij cerebelli prurigine, aut ex nimio gloriolæ cuiusdam aucupandæ desiderio, nouis humanæ mentis adinuentionibus via aperiatur, spreto sanctorum tuto tramite, qui Spiritu sancto afflati, dixerunt : prauum & inscrutabile cor hominis : & vias Dei inuestigabiles. Quis autem inscrutabile, inquit Augustinus, scrutari valeat ? Nemo igitur sapiat, plusquam oportet sapere, sed sapiat ad sobrietatem, quia non euacuanda mysteria, vt ea imbecillitatis humanæ ratiunculis probare tentemus, quæ vobis suprà sensum & rationis humanæ captum ostensa sunt, ob causas ab Angelico Doctore relatas 1. p. q. 32. a. 1. o. Nam vt sap. 9. 14. dicitur. *Cogitationes mortalium timida, & incerta prouidentia nostra.* Quod verum esse potissimùm, in componendâ Diuinæ gratiæ efficaciâ cum liberi arbitrij indifferentia, toties testatus est D. Augustinus, quem asserere, vt à quibusdam temerè assertum dicitur, in hoc ad rem non attendisse, speciem arbitror blasphemiæ.

VIII Et hoc tantò fidentius profero, quòd in nonnullos,

nullos, qui sancti huius doctrinam in hoc floccifacerent (quod viris pietate & doctrinâ illustribus, potiùs per calumniam affingi credere maluero, quàm de eorum doctrinæ sanctitate, vel leuiter dubitare, cùm plures ex ipsis non semel protestati sint se sancto Præsuli & Angelico Doctori adhærere) Celeberrima Louaniensis facultas in quadam censura hæc verba protulerit, *Sententia hac, Dei bonitatem obscurat, iustitiam eneruat: Scripturis illudit: Patrum testimonia alienos in sensus detorquet: humanæ rationis corruptioni applaudit: humilitatis fundamētum euertit præcandi necessitatem non magnam relinquit: propriam virium fiduciam ingenerat: in salutis negotio quod præcipuum est, homini donat; quod minus Deo: gratiam libero arbitrio subijcit: & in summa à Pelagio non procul abscedit: hæreticorum nostrorum sententiam stabilit.* Hæc, sacra Louaniensis facultas; eadem Duacensis.

Quare optimum (inquit Caietanus 1. p. q. 22. a. 4) & salubre consilium est, hac in re inchoare ab ijs, quæ certò scimus, & experimur in nobis, scilicet quòd omnia quæ sub libero arbitrio continentur euitabilia à nobis sunt, & proptereà digni sumus pœnâ vel præmio: quomodo autem hoc saluo, Diuina saluetur prouidentia ac prædestinatio, &c. credere quod Sancta Mater Ecclesia credit: scriptum est enim: Altiora te ne quæsieris: plurima enim sunt tibi suprà sensus hominum reuelata.

Eodem ferè modo loquitur Bellarminus lib. 4. de gratia & lib. arb c 14. *Potest contingere, inquit, vt aliquid ex vna parte manifestè constet: & ex altera sit maximè obscurum: & tunc non est vnum negandum propter alterum.*

XI. Et si sint, qui his acquiescere nolint, saltem ignoscant, nec criminentur, aut tàm parui pendant quos summâ reuerentiâ tota veneratur Ecclesia; nec calomniis afficiant tantorum Doctorum discipulos, qui nec numero, nec fortè (si qua verbo sit venia) merito sunt illis inferiores. Et hoc tantùm precor; non enim mea interest vtrum sanctum Augustinum & Angelicum Doctorem sequantur, nec ne: sed solùm vt malè cœpta, non prosequantur, in alienâ innocentum famâ lacerandâ; vbi nullus vtilior profectus (præter Dei offensam & proximi iniuriam) quàm anceps animorum suspensio, errotisque non parua occasio, quòd vel ex eo solùm conijcias, vt quos ab Angelico Doctore Vnanimiter reperias dissentientes; in infinitum à se inuicem cernas discrepantes: qui hoc solo indicio, vehementi præiudicio semper habebuntur de veritate suspecti. Sed concursum Dei indifferentem & indeterminatum, quem substituere loco Præmotionis Physicæ aliqui conati sunt, iam palàm traducamus.

X. Si detur concursus Dei indifferens, expectans consensum nostrum & determinationem voluntatis nostræ; sequitur quod Deus expectet aliquid à creatura, quod suæ omnipotentiæ non subsit, & quod ab eo causari non possit, saltem ita absolutè, sicut subest & deriuatur à potentia creata; scilicet liber ille consensus, quem Deus expectat & supponit, & super quem non habet Deus tantam efficaciam, quantam habet ipsa creatura, id est, antecedentem illam prædeterminationem, quam tamen habet creatura, quæ causat hunc liberum consensum seipsam liberè determinando ad hunc vel illum actum, quam determinationem Deus ita expectare tenetur, vt hanc ipse non possit causare, quin libertatem destruat, vt volunt Authores oppositæ sententiæ. Explicatur: Si Deus offert voluntati concursum indifferentem ad vtrumque sc. velle & non velle; velle hoc vel illud: hoc non determinat voluntatem ita efficaciter, sicut ipsa se determinat oblato illo concursu indifferenti: nam si quid vltrà Deus moliretur antecedenter in voluntate præter concursum hunc indifferentem, læderet libertatem, vt volunt aduersarij: quod tamen facit creatura circa seipsam se efficaciter ad vnum determinando: Deus autem minimè, vt volunt. Quasi verò Deus qui non minus est primum principium, radix & causa agentis liberi, quàm necessarij; aliquid agenti libero communicarit, quod eius subterfugiat supremum dominium; ita vt illud non possit tangere, quin lædat, libertatemque destruat: quod tamen virtus creata ab ipso deriuata, & tota ab ipso participata optimè efficere potest, scilicet voluntas creata, quæ suum consensum liberum elicit, seque efficacissimè ad quamcumque voluerit partem determinat; Deus autem qui est radix & principium illius virtutis, omnis motus & determinationis voluntatis, de quo Apostolus ait Rom. ij. *Non tu radicem portas, sed radix te.* Et ad Hebræ. 1. *Portans omnia verbo virtutis suæ*: hanc libertatis determinationem cogatur excipere, & illam à voluntate creatâ ita expectare; vt si per se cum illa hanc causare voluerit, statim lædat libertatem. Quod quàm sit absurdum, nemo est quin videat. Nam sicut illa determinatio libertatis est à voluntate creatâ tanquam à causa particulari, sic est à primo principio & prima libertatis radice scilicet à Deo, aliàs non diceretur suprema illius causa: ad cuius rationem necesse est, vt sit principium omnium entium, modorum, motuum, omniumque formalitatum realium, non minùs in agentibus liberis, quàm in necessariis. Cumque modus libertatis sit maxima perfectio, hanc ab illo immediatè causari necesse est, non obstante propriâ voluntatis causalitate, quæ sub Deo tanquam sub causa vniuersali etiam tunc principaliter in suo dumtaxat ordine, operatur: ita D. Tho. 3. contra Gent c. c. 147. & 149 & q q. disp q 24. de lib. arb a 1. ad 5. vt iam diximus cap. 12. huius libri. Et 1. p. q 22. a. 3. o. & ad 2. & q 44. a. 1. o.

XI. Dices: Deus est causa determinationis voluntatis, quia vocat voluntatem vel per interiora, vel per exteriora, excitat, suadet, & proponit obiecta: Et præter hæc, nihil amplius requiritur, vt verè dicatur causa determinationis voluntatis.

Contrà: Primò, quia totus hic modus non excedit motionem moralem, cuius insufficientiam suprà cap. 13. traduximus. Secundò, Quia omnes illæ motiones suasoriæ & morales, nihil nisi precariò agunt, eo modo quo possit etiam agere Angelus vel homo, negotiando blandiciis, minis, &c. Et cum voluntas sit his omnibus modis superior, efficaciter ad vnum per huiusmodi non determinabitur.

Si autem sic Deus determinat voluntatem talibus mediis creatis tantùm, eam rationibus inclinando, ambiendo, alliciendo, terrendo, eius studendo inclinationibus, dispositiones explorando, &c. Certè modo valdè imperfecto ne dicam indigno, agit Deus, mouens non vt Deus creaturam, sed vt homo mouere potest hominem, sicque modo agendi sibi proprio priuatur Deus, quem infrà ex D. Thomâ ostendemus. Et mirum sanè, quòd Deus qui rebus creatis hanc contulit perfectionem, nempe virtutem inclinandi voluntatem, eam moraliter mouendo: In se ipso non habeat vim aliquam maiorem, mouendi liberè voluntatem efficaciùs, nec vllâ erga voluntatem creatam vti possit actione Diuinâ, sed tantùm allicientiâ supradictâ, quâ creaturæ omnes voluntatem mouere possunt.

Sed id quod omnem admirationem excedit in eorum sententiâ qui Thomisticæ prædeterminationi aduersantur, est, quòd Deus qui voluntati creatæ virtutem contulit, se se physicè & effectiuè, nedum moraliter determinandi ad quodcumque voluerit, sine vlla suæ libertatis læsione hanc sibi virtutem non reseruarit, aut certè illi (quod nullus sanæ mentis dixerit, nemo enim dat quod non habet) aliquam dederit perfectionem, quam ipse non habuerit. Audiat ergo saltem hac vice Diuum Thomam voluntarius ille Diui Thomæ Defensor qui si non indiligenter legit ipsum, vt loquitur, certè dissimulauit quod docet sanctus Doctor de verit. a. 8. o. *Sicut voluntas potest immutare actum suum in aliud, ita & multò amplius Deus.* At apud Fuliensem hoc erit falsissimum.

XII. Secundò: efficaciter impugnatur concursus ille indifferens & indeterminatus vice præmotionis Physicæ excogitatus. Quia ex solo concursu indifferenti quo solùm Deus nobiscum operatur; sequitur Deum non habere tantum dominium respectu voluntatis humanæ, quantum habet respectu aliarum actionum & effectuum, qui vel procedunt à solo Deo, vel ab aliis causis non liberis. Consequens est absurdum, cum Deus opt. qui, *Pusillum & magnum fecit.* Sit æqualiter potens creator omnium. Sequela probatur, quia in quamlibet rem creatam, ex eo quod sit ens creatum, Deus habet summum dominium, & res creata summam dependentiam: ita vt in ipsa faciat Deus quidquid, quando, & quomodo voluerit, vtpote nihil habens quod à Deo originem non ducat, aut quod eius æquet aut superet virtutem. Sed consensus liber, formaliter vt liber, & vt est à voluntate creatâ, est quid creatum; Et tamen in opinione eorum qui concursum Dei in voluntatem, dicunt esse tantùm indifferentem & indeterminatum, Deus non est principium, radix & causa illius consensus quasi antecedenter mouens voluntatem liberam; sed illam tenetur expectare, offerendo concursum indifferentem in vtramque partem donec voluntas elegerit, & se se determinauerit. Cùm tamen respectu causarum naturalium sic Deus illis dominetur, illæque sic ab eo dependeant, vt earum determinationem non expectet Deus, sed illam efficiat ac causet, etiam antecedenter, vt fatentur etiam oppositæ sententiæ Authores. Ergo quantùm ad aliquid voluntas creata est à Dei iure exempta, nec in eam Deus tantum habet dominium quantum habet alias in res naturales, quibus vti potest, quandocumque & quomodocumque voluerit, nihil ab eis expectando.

Nec aliunde, iuxta authores oppositæ sententiæ, à voluntate Dei, immediatè deriuatur resolutio indifferentiæ voluntatis creatæ, sed eam Deus ab illâ expectare tenetur, cùm illius resolutionis Deus ipse non sit causa, aliàs Dei concursus iam non esset indifferens & simultaneus sed efficax & præuius, cum omnis causa sit prior effectu, proportionata & efficax respectu illius.

XIII. At aduersus prædicta aduersariorum subterfugia reclamat D. Augustinus lib. de cor. & gratia c. 14. asserens quod, *Deus habeat magis voluntates hominum in sua potestate, quàm ipsi suas.* Quomodo autem magis haberet, si id, quod voluntas creata facit, scilicet, se effectiuè determinando, sine vllo libertatis suæ detrimento, Deus facere non posset, quin (vt volunt) eam destrueret: sed determinationem à voluntate creatâ teneretur expectare Deus, vt eius libertatem seruaret intactam? Certè homo longè maioris & expeditioris esset dominij & iuris, quàm Deus ipse; cùm posset quomodocumque & quando vellet suam determinare indifferentiam; Deus verò minimè. Quod sancto Præsuli repugnat & rationi, ne & ipsi dicam propriæ cuiusquam experientiæ. Quoties enim fluctuamus, ac ancipiti animo suspensi hæremus, vtrum hoc vel illud eligere debeamus? id sequamur, nec ne? vnde & ad Deum fœlici necessitate confugere tenemur; non solùm vt innotescat, quod latebat, aut vt suaue fiat, quod non delectabat, sed etiam vt confirmet quod operatus est in nobis, quia vt ait D. Augus. loco cit. cap. 14. *Habet Deus humanorum cordium quò placet inclinandorum, omnipotentissimam potestatem: si enim, inquit, lib. 1 retract. c. 22. Hominis est mutare voluntatem, & in eius potestate, Potestas illa nulla est, nisi detur à Deo, de quo dictum est; dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Cui dicimus cum Prophetâ; Perfice gressus meos in semitis tuis vt non moueantur vestigia mea: quia sine illo, nec bonum incipere, nec vllam in bono suscepto firmitatem habere valemus.

XIV. Absolutissimo igitur Dei dominio non parum detrahitur, quo, omnia extra se posita summo iure ei subduntur, si in liberæ voluntatis determinatione non potest Deus suâ omnipotentiâ causare per modum causæ primæ, id quod causat virtus creata, siquidem illa determinatio, fit à voluntate nostra, & non à Deo (vt volunt) Quis autem non iudicet inconueniens, quod aliquid ita sit sub dominio causæ creatæ, vt eius determinatio à se, quando & quoties voluerit incipere possit; Deus autem absolutissimo suo dominio minimè, sine læsione libertatis creatæ: quod tamen virtus creata efficit, saluâ propriâ libertatis indifferentiâ. Vnde sic formatur argumentum. Dominium diuinum ita est perfectum, vt quidquid potest creatum dominium, virtusque creata, hoc possit Deus, multaque plura: sed virtus creata potest incipere suam determinationem tanquam causa principalis, in suo dumtaxat ordine, & hoc absque libertatis suæ læsione: ergo id ipsum poterit Deus potiori iure, sine vllo eiusdem libertatis creatæ præiudicio, cuius est prima radix: etenim, *Est Dominus Filius hominis etiam volũtatis humanæ*, Falsòque diceretur, *Solus Dominus, & Dominus dominantium*, Cui semper subest, *cùm voluerit, Posse.* Si excellentiori non potiretur dominio, quàm polleat ipse homo.

XV. Sed hic vnum velim diligenter iterim annotatum; quod sicut ex iis, quæ vt certa exprimuntur in Scriptura, nullatenùs creatæ libertatis læditur indifferentia, vt cum 3 Reg ij. dicitur, *Certissimè auertent corda vestra.* Ita cùm in eadem Scriptura aliquid sub dubio aut conditione enuntiatur, nulla incertitudo aut dubium in Deo poni debet: sed hoc loquendi modo vtitur Spiritus Sanctus propter nos; ne miseri mortales ex falsa cuiusdam securitatis præsumptione, in superbiam elati, in iudicium incidant diaboli. Vt ex D. Augustino lib. de cor. & gratia c. 13. colligitur, *Quis enim, inquit, ex multitudine fidelium quandiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædestinatorum se esse præsumat, quia id occultari opus est in hoc loco, vbi sic cauenda est elatio, vt etiam per satanæ angelum, ne extolleretur, tantus collaphisaretur Apostolus? hinc & Apostolis dicebatur, si manseritis in me, illo dicente, qui illos vtique sciebat esse mansuros. Et per Prophetam, si volueritis & audieritis, cum sciret ipse, in quibus operetur & velle.*

XVI. Ex quibus colligi potest, & quanto se se exponant periculo, qui Scripturam sacram, in priuato tantùm, & non in sanctorum Patrum intuentur lumine: Et quàm perperàm agant nonnulli, qui ex eo

quod ex præmotione thomisticâ, quandam audiant promanare certitudinem, suadere moliuntur ex illa libertatem non esse illæsam: quòd vtique suscipiati possent, si Deus optimus non esset causa efficacissima & vniuersalissima totius entis, quę ipsos contingentiæ & libertatis modos immediate producit, non minus in agentibus liberis, quàm necessarios in agentibus necessariis. Nec in re tàm singulari, vllum quærendum est exemplum. Hic ergo tantùm ab extremis cauendum moneo: nam sicut Pelagius non errauit ponendo liberum arbitrium, quod est de fide, sed ipsum gratia non indigere, asserendo: sic nec Caluinus in deceptionis fraudem abreptus est, dicendo Diuinum auxilium habere efficaciam ex omnipotentia Dei & supremo in voluntatem nostram Dominio. Sed in eo, quod ex hoc principio, tàm erroneè quàm falsò intulerit liberum arbitrium non posse resistere efficaciæ Diuinæ gratiæ; asserens voluntatem se habere merè passiuè, vel ad summum agi velut equum à sessore.

XVII. Thomistæ verò media via, eaque tutissima incedentes Deo tribuunt supremum Dominium in voluntatem salua eius indifferentia, cum libera agendi facultate ex eo quod eam moueat Deus iuxta conditionem suam; per ipsam & in ipsa producendo vt causa prima & substantiam actus voluntarij, & modum eius, cor immutando & eius duritiam auferendo, vt ex D. Thoma loco suo dicemus, sicut si lapidi tantùm daretur leuitatis, quantùm habet grauitatis, motus sursùm iam non esset ei violentus sed connaturalis. Sic ille à quo auffertur cor lapideum, & cui datur cor carneum, efficacissimè, & tamen liberrimè, fertur in id ad quod pręmouetur à Deo, qui attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.

Iam iam nihil superesse arbitrabar, Candide Lector, quod impedire posset ne stellam Cassiopeyę, physicam intelligo pręmotionem, clarè intueri liceret, dissolutis vsquequaque omnium suspicionum nebulis, quibus hactenùs apud incautos aut minus perspicaces hac arte multiplici obducta esset, dum subitò ex hoc miserię lacu, tetrę sunt denuò exortę exhalationes, ex quibus velut duo ingentia efformata sunt monstra, à quibus tantus esset terror incussus, vt nemini ferè liceret sursùm respicere, sed ne hìc quidem inter homines tutò sibi consulere putarent.

Primum igitur est, quod prędicta prędeterminatio physica, fortassè posset coincidere cum Caluini opinione, ex qua tot mala in Remp. Christianam promanarunt.

Alterum, quod hęc ipsa, non multùm differat à noua quorumdam recentiorum doctrina, qui, vt ferunt, in statu naturę corruptę, nullum agnouerunt Diuinę gratię auxilium, pręter efficax, quod voluntati necessitatem imponeret. Pro primo immensa extant volumina, quę ab 80. annis, edita sunt, eęque de industria, nulla arte pretermissa, preter injurias, idque genus alia, nihil intentatum reliquerunt, vt à scholis hanc pręmotionem, sua mole stantem, prorsùs eliminarent: & quidem frustrà, cum euidentius nusquam apparuerit, quàm hac suborta rixantium æmulorum contradictione, nubecula, in qua velut in Speculo è regione posito manifestissimè splendeat. Huic igitur primo occurramus speciosò inconuenienti: vt alterum posteà, tanquam innane & vanum phantasma, voluntariè & fraudulenter à nostris Æmulis confictum cap. sequenti dissoluamus.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

Tantâ facilitate à calumniâ conuenientiæ cum errore Caluini & Lutheri purgatur Prædeterminatio Thomistica; quantâ difficultate à verâ suspicione dogmatis Manichæorum liberatur eius à Philosophiâ, eliminatio.

I. SI ex eo quod res est vel non est, oratio dicitur vera vel falsa: miror quòd à quibusdam confictum sit quoddam verisimilitudinis monstrum inter præmotionem physicam & Caluini & Lutheri opinionem, à qua, quàm semper alieni fuerint Thomistæ, tot hactenùs edita volumina, plurium ex ipsis proprij sanguinis effusione, consignata, in hac nefandâ hæresi profliganda, ita sufficerent, vt impietate videatur non carere, hoc, vel in dubium reuocare.

Ad huiusmodi tamen hìc libenter quærerem, an ideò calcandum aurum, quia ipsi simile sit auricalcum? aut vsus mellis & saccari continuò proscribendus sit, quia & fel & alumen vtriusque similitudinem gerunt? quid ad rei præstantiam refert, si rudis auricalcum v. g. pro auro acceperit? Quod si ita in præsenti contingeret, an meritò reijcienda præmotio Thomistica quia aut Antithomistæ hanc malè explicant, aut hæretici ea abuti solent: eadem de causa vix quisquam in sacris litteris superesset quibus mercenarij in vestimentis ouium in Christi ouile toties ascenderunt aliunde: quod idcircò nemo sanæ mentis præstandum dixerit. Separandum ergo pretiosum à vili, verumque à falso discernendum, ne & ipsi à veritate cadamus, verisimilitudine decepti.

II. Semper ergo extrema fugienda, nec propter vnum quod quis non capit, alterum est continuò denegandum more hæreticorum; nam quia Sabelliani v. g. Diuinæ naturæ vnitatem cum personarum multiplicitate conciliare nequiuerunt, sic vnitatem confessi sunt, vt personarum Trinitatem denegarint. Ariani verò è contra, quia vnitate naturæ destrui personarum pluralitatem putarunt, sic tres personas confessi sunt, vt vnitatem naturæ diuiserint. Duas esse in Christo personas Nestoriani dixerunt, eo quod personæ vnitatem cum naturarum diuersitate coniungere non potuerunt. Eutichiani in oppositam hæresim, simili causa prolapsi sunt, sic enim vnam in Christo personam docuerunt, vt duas miscuerint naturas. Denique ne ab illa controuersia abeamus, quæ his temporibus maximè agitatur liberi arbitrij cum gratia componendi, summam difficultatem fatetur Augustinus, qua tamen non obstante, Ecclesia sic gratiam confitetur, vt liberum non neget arbitrium: Sic liberum agnoscit arbitrium, vt gratiæ in illud pariter agnoscat imperium. Pelagiani & Caluinistæ, quia hac animi demissione non fuerunt, in oppositos errores, sed ex eodem fonte profectos, impegêre. Illi gratiæ necessitatem & imperium negarunt: Hi, sub imperio gratiæ liberam non manere voluntatem putarunt. Vtrumque damnat Ecclesia, quia & gratiæ necessitatem agnoscit, & gratiâ liberum arbitrium non adimi sed liberari sentit. [Nec enim (ait D. Prosper contra Collat. cap. 12.) periculum est libero arbitrio ex gratia Dei: nec voluntas aufferetur, cum in ipsa, benè velle generatur.] Seu vt ait D.

Thomas 1. p. q. 1. a. 1. ad 1.[Gratia supponit naturam, sicut perfectio perfectibile.

Sed pinguis est & crassa nimis hæc aduersariorum industria, in obijcienda Thomistis Doctrinæ conuenientia cum illis hæreticis: simili enim sagacitate olim, sed frustrà quoque vsi sunt Pelagiani aduersus sanctos Patres, Augustinum, Ambrosium, &c. quos hæresi Manichæorum dicebant infectos: Contra quos hæreticos sanctus Augustinus lib. 1. Contra Iulia. c. 4. innehitur [Quid, inquit, nomen dilaniare meum miteris, & Ambrosium facis, tacito eius nomine Manichæum ?] Et lib. 2. Contra 2. Epist. Pelag. c. 1. ait, [Nihil aliud nitentes nisi vt hac horribili hæresi (sc. Manichæorum) obiecta: cuius se aduersarios confingunt, lateant inimici gratiæ, sub laude naturæ.

III. Vt ergo iam neminem lateat, quantùm ab omni specie mala, in præmotione propugnanda abstineant Thomistæ, dicimus præmotionem Thomisticum ab errore Caluini & Lutheri (quantùm ad liberum pertinet arbitrium, sicut & in cæteris) toto Cœlo differre, nec posse nisi summam per calomniam, ne apparenter quidem, vel solam erroris vmbram, horum hæreticorum affingi Thomistis. Quod vt meridiana luce euidentius appareat, nulla alia arte opus est, quàm, tàm opposita, iuxta se ponere, & quid hæretici illi circa gratiæ efficaciam, & liberi arbitrij infirmitatem dixerint, quid verò sentiant Thomistæ simpliciter exponere.

Quantùm igitur ad præsens spectat institutum, dogma Lutheranorũ & Caluinistarum est, hominem non esse verè liberi arbitrij: sed in eo liberum arbitrium esse titulum sine re: aut rem de solo titulo. ita Lutherus in assert. ad Leonem decimum a. 36. *Liberum arbitrium, inquit, post peccatum, res est de solo titulo, & quando facit quod in se est, mortaliter peccat: liberum arbitrium est figmentum in rebus seu titulus sine re, quia nulli est in manu suâ quidpiam cogitare boni aut mali, sed omnia, de necessitate absolutâ eueniunt.* Et in libro qui inscribitur (operationes in Psalmos super ps. 5. ait) *Ecce, inquit Ierem. 8.) sicut lutum in manu figuli, ita vos domus Israël in manu mea: quid obsecro, inquit, actiuitatis habet lutum, quando figulus ei formam affingit, nonne mera passio ibi cernitur?*

Huic subscripsit Caluinus lib. 2. insti c. 3. parag. 7. est tamen inter Lutherum & Caluinum differentia, quod asseruerit Lutherus liberum arbitrium nullam habere in bono opere interno actiuitatem, sed concurrere merè passiuè recipiendo motum à solo Deo productum, vt eius verba superius citata satis indicant. Caluinus verò moderatus vtcumque errorem Lutheri, fatetur liberum arbitrium non se habere tantùm passiuè tanquam inanime quoddam, sed concurrere motu spontaneo, non verò liberè, vnde lib. 2. inst. c. 5. parag. 14. *Extranea est (inquit) illa similitudo, (sc. Lutheri) qua nos inuidiosè grauat, quis enim ita desipit, vt hominis motionem à iactu lapidis nihil differre autumet.*

IV. Quod si in oppositũ videatur alicubi quidpiam aliud ab illis assertum, hoc tantùm fraudulenter dictum pro certo habeat lector, quod ex vno eorum facilè conijciet. nomine Melanc. Epist. 2. ad Luther. vbi ait. *Quotidie multa mutamus, subindè enim mutanda sunt, & ad occasiones accommodanda.* Omnes ergo in hoc conueniunt, vt libertatem indifferentiæ denegent, sicut ipse lib. 2. lo:. commu. cap. de lib. arb. fatetur. *Quid igitur, inquies, nulla est in reb. humanis contingentia? Nihil casus? nihil fortuna? omnia, inquit, necessariò euenire docent scriptura, esto videatur tibi in reb. humanis contingentia; iudicio rationis, hic imperandum est.* Voluit infœlix ille iudicio rationis imperare, ne ipsa ratio quæ tot aliis scripturæ testimoniis, veram esse libertatem in homine docet, imperaret.

Vt autem in infinitum ab his hæreticis doctrinam Thomistarum differre comprobemus, eosque à tam atroci calomniâ purgemus: non plura hic congeremus testimonia, quia præter illa quæ iam diximus, vix vllum toto sequenti libro referemus Diui Thomæ argumentum, quod de opposito fidem non faciat: iterim ergo vnum vel alterum adferre sufficiat: Ait Doct. Angelicus q. disp. q. 24. de lib. arb. *Esse de fide liberum arbitrium in homine esse*: probatque in sed contra: *præcepta, inquit, & prohibitiones fieri non debent nisi ei qui potest facere & non facere, alias enim frustrà fierent: sed homini fiunt diuinitùs prohibitiones & præcepta: ergo in hominis potestate est facere & non facere, & ita est liberum arbitrium.* Idem ait 1. p. quest. 83. a. 1. & 3. En Candide Lector vno verbo quid sentiant & tueantur assertores præmotionis physicæ, cum eius Authore, Diuinæ voluntatis interprete Angel. Doct. Non obstante quod cõmuniter dicitur ab omnibus de efficaciâ gratię, quæ prout prouenit à causâ vniuersaliss. & efficacissin. à habet ex se quod sit efficax, non à creatâ voluntate, quæ per gratiam consequitur libertatem, quia Deus non minus est causa modi libertatis, quàm substantiæ actus, cum causalitatem causæ vniuersalissimæ, nihil possit subterfugere id est, nihil esse, quod non sit ab ea productum vt ait D. Thomas 1. p. q. 19. a. 8. o. *Cum voluntas diuina sit efficacissima, non solùm sequitur, vt fiant ea, quæ Deus vult fieri, sed quòd eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult.*

V. At quis iam non videat hoc non minus discrepare ab his hæreticis quàm ipsum lumen à tenebris? Oppositionum enim maxima, est contradictoria, qualis hic cernitur. Quod si in ore duorum, stet omne verbum: iam ex parte apparet fundamentum doctrinæ Diui Thomæ etiam apud Diuum Augustinum lib. 2. de cor. & grat. c. 18. *Si, inquit, nobis libera quadam voluntas ex Deo est, quæ adhuc potest esse bona vel mala: bona verò voluntas, ex nobis est: melius est id quod à nobis, quàm quod ab illo est, quod absurdissimè dicitur.* Quis autem non dicat melius, pecuniam positam esse ad mensam, quàm in sudario tantùm repositam, id est, gratiam fructificare, suumque effectum habere, quàm sine illo esse? vt autem effectum habeat, cooperatur quidem creatura, sed Deus vt causa prima semper priùs, saltem naturâ, operatur, & nihil facit palmes à semetipso nisi manserit in vite. *Sic quippe, inquit 2. Conc. Aransic. cañ. 24. vitis est in palmitibus vt vitale ministret eis, non sumat ab eis.* Et hoc est Sacramentum, non solùm hæreticis, sed & quibusdam Christi fidelibus absconditum de quibus ait Diuus August. tome. 2. Epist. Epist 120. in fine. *Habet gratia Christi aduersarios, qui eius profunditate turbati, non Deo tribuere, sed potius sibi volunt arrogare quod boni sunt: nec tales sunt, quos facile contemnas, sed continenter viuentes, atque in bonis operibus laudabiles &c. ignorantes Dei iustitiam, & suam constituere volentes Rom. x.*

Fundamentum doctrinæ prædictę reperies apud Doctorem Angelicum q. q. disp. q. 24. de lib. arb. a. 1. ad 4. & 5. *Causa prima, inquit, dicitur esse principalis simpliciter loquendo, propter hoc, quod magis influit in effectum: sed causa secunda, secundum quid principalis est in quantùm effectus magis ei assimilatur.* Et ibid. ad 3. ait. *Per hoc quod Deus est causa operans in cordibus hominum, non excluditur quin ipsæ humanæ mentes sint causa suorum motuum: vnde non tollitur ratio libertatis.*

VI. Accedant alia eiusdem sancti Doctoris testimo-

nia q. 22. de verit. a. 5. in o. vbi postquam modum expressit D. Thomas quo fertur voluntas in beatitudinem ait; *Ad alia verò non de necessitate determinatur naturali inclinatione; sed propriâ dispositione, absque necessitate.* Et ibidem a. 6. o.

Item quodl. 1, a. 7 ad 2. *Deus, inquit, mouet omnia secundum modum eorum: & ideò diuina motio à quibusdam participatur cum necessitate: à naturâ autem rationali cum libertate, propter hoc, quod virtus rationalis se habet ad opposita, & ideò sic Deus mouet humanam mentem ad bonum, quod potest huic motioni resistere.* Iterumque & quidem formalissimè q. de malo quæ est de electione humana q. 6. & vnica ad 3. *Deus mouet, inquit, voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis mouentis quæ deficere non potest; sed propter naturam voluntatis motæ quæ indifferenter se habet ad diuersa, non inducitur necessitas sed manet libertas: sicut etiam in omnibus prouidentia diuina infallibiliter operatur: tamen à causis contingentibus proueniunt effectus contingenter in quantum Deus omnia mouet proportionaliter vnumquodque secundum suum modum.* Hæc D. Thomas & cum eo omnes Thomistæ, ne quis deinceps iam sit anceps, quid illi sentiant de libertate.

Præter hæc, aliaque id genus innumera Diui Thomæ testimonia, nihil superesse arbitror, pro prætensa doctrinę conuenientia à formidolosis illis nescio quo animo conficta, nisi illud Apostolorum Principis, *Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini. 1. Pet. c. 3. v. 14.* Etenim nihil adeò sanctum, quo humana non possit abuti nequitia, vt patet in Scriptura sacra, ex qua errorum suorum occasionem tot hæretici sumpserunt, facta creatura, *In muscipulam pedibus insipientium. Sap. 14. ij.* quod si secùs faciendum esset, id est, abstinendum ab omni eo, quo posset inordinatus abuti animus; certè, nec de prædeterminatione Physica esset litigandum in Philosophia, nec de quocumque alio, in rerum natura, sed vt ait Apostolus, *Iam dudum debueramus de hoc mundo exisse 1. Cor. 5.*

VII. Non nisi igitur per summam calomniam, vllum conuenientiæ specimem cum doctrina Caluini & Lutheri potest ex prædeterminatione Physicâ Thomistis attribui; vel ex eo maximè (vt innumeros Christianæ professionis doctores, tùm ex florentissimis totius Orbis vniuersitatibus, tùm ex aliis Religionum ordinibus qui in omnibus Angelici Doctoris vestigia sectantur, quòd ex vnâ Prædicatorum familiâ, Centum & sex supra mille edita reperiam volumina pro defensione sanctæ Romanæ Ecclesiæ, potissimùm hos aduersus miseros Hæresiarchas Caluinum & Lutherum, idque vnico currente seculo 1500. quæ & horum Authorum nomina, Cognomina, dignitates, officia, &c. quiuis intueri poterit apud Petrum Louuet Diuionensem, suis in tabulis Cronologicis, Parisiis ex Typographiâ Augustini Taupinart viâ Iacobæâ an. M. D. C XXX.

Falso timore propulso, Physica ex præmotione exorto; non spernendum manifestamus oriri scrupulum ex eius à Philosophiâ, eliminatione: non rarò enim qui à trita sanctorum semitâ recedunt, cupientes vitare Charybdim, in Syllam incidunt; vt patet in hæreticis cæcorum ducibus qui dum errant & in errorem mittunt, eorum malum serpit vt cancer, viresque acquirit eumdo, de quibus ait D. Augustinus, lib. 2, contra 2 Epist. Pel. c. 2. *Confligunt dissimili voluntate, simili vanitate: separati opinione diuersâ, sed propinqui mente peruersâ.* Et *Sicut (inquit ibidem c. 1. sanctiss. Præsul) Medicus corporis non continuò pronuntiasset à mortis periculo liberum, quem negasset hydropicum, si alio lethali morbo perspexisset ægrotum: ita istis non ideò veritas gratulatur quia Manichei non sunt, si alio peruersitatis genere insaniunt.*

VIII. Sic profectò in præsenti dicendum existimo, non ideò illis qui prædeterminationem Thomisticam reijciunt, veritas gratulatur, quia Lutherani aut Caluinistæ non sunt; si hoc negato Christianæ Philosophiæ principio, præmotione scilicet; Et hæresi Pelagianorum (à qua vix & ne vix quidem se vnquam sine Physica præmotione purgabunt, vt patet ex dictis in hoc 1. lib) Et peruersitati Manichæorum viam sensim, & si præter, immò vt arbitror, contrà suam intentionem, aperiunt.

Quod vt manifestum fiat, sciendum est, dogma fuisse Manichæorum res corporales eò quòd ad malum prouocarent non esse à Deo opt. factas. Pro cuius intelligentia, rem hìc referam scitu dignissimam ex D. Augustino de quodã Manichæo, qui cum differeret cum Catholico, vix tandem ab eo extorsit suis falsis rationibus & argumentis apparentibus Muscam non esse à Deo factam, ex eo quod esset animal ignobile, molestum hominibus, inutile, &c. Et paulatim procedendo à minori ad majus gradatim ascendit à musca ad Elephantem; vt tandem ab Elephante, quod intendebat probaret sc. totam rerum visibilium molem non esse à Deo factam: sicque facile decepit illum rudem Christianum.

IX. His tanto facilius fidem adhibeo, quòd afferat Doct. Angelicus Manichæos sui erroris occasionē sumpsisse, ex Ioa. cap. 1. vbi (nihil) affirmatiuè sumebant quasi aliquid positiuum, quod à Deo non esset factum: non verò negatiuè: hæc sunt verba D. Thomæ ibidem, *Postquam Ioannes dixerat, inquit Manichæus, omnia per ipsum facta sunt, ne crederent verbum esse corruptibilium rerum causam, statim subiunxit, & sine ipso factum est nihil, id est, corruptioni subiecta, quà nihil esse dicuntur, quia eorum esse, est continuè transmutari in nihil.*

Ex his manifestè infertur, quod si rem vel minimam, non esse à Deo factam concederemus; iam hæresi Manichæorum pateret additus, & ex hac musca ad Elephantem, ab eoque rursùm ad totam rerum corporalium molem facilis esset progressus, cum sit vna, eademque ratio omnium quæ habent esse per participationem, ab eo quod est ipsum esse per essentiam vt ait D. Tho. 1. p. q. 8. a. 1. o. Atqui ex negatione præmotionis Physicæ hoc ipsum infertur, sc. entitatem aliquam realem non esse immediatè à Deo quod manifestè constabit, si hic aduertat lector, nos non loqui de præmotione morali, (*quâ, hac in parte non rarò abutuntur Antithomistæ*) quæ est ex propositione obiecti, & quam nullus vnquam negauit, quia (nihil volitum, nisi præcognitum) sed de præmotione effectiua, & quæ est per modum agentis, iuxta quam Deus est prima omniū Causa, non solùm in fieri (vt loquitur D Tho.) sed etiam in facto esse. Quæ vniuersalis causalitas totius entis creati, omniumque modorum eius explicari nequit, nisi præsupposito concursu Dei præuio, quem præmotionem physicam & prædeterminationem indiscriminatim vocant, ad tollendum abusum Antithomistarum Thomistis illudentium in exprimendâ Dei agentis certitudine.

X. Ratio prædictæ animaduersionis est, quia in genere causæ efficientis, elimitato concursu præuio physico, nullus superest (vt etiam fatentur aduersarij) nisi concursus Dei simultaneus: sed hic non sufficit pro vniuersalissima Dei causalitate propugnanda: quia concursus simultaneus quo vnum agens si-

mul cum alio operatur, non influit in actionem alterius: ergo illa actio (quæ est quid reale, vt omnes fatentur) non est à Deo immediatè tanquam à causa; quod cum opinione Durandi suprà reprobata, coincidit; Et præsertim contra D. Thomam in locis innumeris: quod sufficit nobis; agimus enim contra prætensum defensorem D. Thomæ. At aliquid non esse à Deo immediatè, hoc est intolerabilius Thomistis museâ Manichæorum: ergo, &c.

Secundò, Concursus simultaneus non efficit consensum aut determinationem voluntatis; sed ita eam supponit aut expectat à creata voluntate vt simul cum illa tantùm influat in effectum; vt volunt nostri hac in parte aduersarij. Ergo huius consensus & determinationis Deus opt. non est causa, quia omnis causa est prior effectu: si autem hic Dei concursus sit prior voluntatis creatæ consensu & determinatione; iam non est simultaneus, sed præuius: nihilque aliud intendunt Thomistæ in defensione præmotionis physicæ.

XI. Quod si dixerint huius liberi consensus & determinationis creatæ voluntatis, Deum non esse causam, iam ipsi viderint, quomodo citra fidei periculum hoc proferre possint, ex ipso enim, per ipsum: & in ipso sunt omnia: seu vt dicitur Act. 18. Deus est, *Qui dat vitam & inspirationem & omnia.*

Ne quis tamen existimet illis à me imponi, hic verba cuiusdam ex ipsis, fideliter referam, qui commentaria in primam partem Diui Thomæ edidit q. 23. a. 4. & 5. disp. 1. n. 6. pag. 317. col. 1. tit. 6. *Concedendum est, inquit, dari aliquid quod sit à nostro arbitrio, & non aliter ea præcisè consideratione à Deo, nisi tanquam à natura, ipsiusque liberi arbitrij Authore, qui eam facultatem nobis contulit.* Et hæc est ipsissima Durandi sententia quam vt falsam, scripturis, patrumque testimoniis & rationi repugnantem reiicit Bellarminus, & à qua tanquam ab Origenis errore declinat Doct. Angelicus vt iam diximus cap. 7. huius libri ipsissimam dixi sententiam Durandi, quod non in toto, sed solùm ex parte intelligendum moneo: sicut enim asseruit Durandus nullum requiri Dei concursum ad actiones causarum secundarum, sed satis esse illarum naturas, earumque virtutes à Deo conseruatas: ita dicunt isti de libero arbitrio, quantùm ad eius determinationem & consensum, ad quem non dicunt Deum concurrere, nisi quatenus, *Eam facultatem nobis contulit*, Licet facta determinatione à solo libero arbitrio, fateantur Deum simul cum illo ad agendum concurrere, quod non necessarium putabat Durandus.

Quid modo sentis Candide lector? vlla ne rationis vmbra physicæ prædeterminationis non recipiendæ ab aduersariis, omnibus eorum sipariis, nedum reductis, sed ita detractis, vt eorum iam nihil quidquam appareat? dubio procul, animo minimè præoccupato, hoc vel solum quod dictum est, sufficientissimum esset, pro confutanda Fuliensi defensione, contra quam hic laboramus. Sed, inquiunt, nobis superest scrupulus, ne scilicet coincidat in aliquo, hæc doctrina de prædeterminatione Physica cum placitis Domini Iprensis, libertatem nouo modo definientis, gratiam sufficientem reiicientis, &c.

Respondeo valde importunum esse, sapere plusquam oporteat sapere; & vix vnquam sapere ad sobrietatem: Non ignoro, factione inimicorum familiæ Dominicanæ, hoc prætextu quantumuis falso, parùm abfuisse quin Biterris anno 1661. lapidibus opprimerentur innocentissimi Dominicani, quos nullus vnquam minus sibi asciuit hac in parte quàm prædictus Iprensis, qui apertè fatetur doctrinam quam conabatur stabilire, stare non posse in principiis præmotionis Thomisticæ, præsertim quantum ad statum innocentiæ: sed de hoc infrà. vbi Deo dante euidenter demonstrabimus sanctissimum Præsulem Augustinum & Doctorem Angelicum, vno Spiritu & ore loquutos; vindictam Deo relinquamus, & iterim scrupulosis faciamus satis, nam & ipsis debitores sumus; in illorum ergo gratiam caput sequens instituatur, *Vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo.*

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Hoc ipsum prædeterminationis Physicæ sapiunt Assertores circa libertatis indifferentiam, gratiam sufficientem & efficacem, quod omnes qui sapiunt.

I. SI vnquam in aliquo vnanimis consentionis æqua fuerint vota, in eo maximè quod ad Dei honorem, animarumque salutem pertinere dignoscitur: quare Apostolus sic orat 1. Cor. 1 10. *Obsecro per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, vt vnanimes vno ore honorificetis Deum Rom. 15.* Ex cuius opposito tot oriuntur perturbationes in Ecclesia, totque in populis commotiones & scandala. Quod in præsentiarum tanto magis necessarium existimo, quantò plus temporibus istis agitata quæstio de præmotione Thomistica, & in supremo Dei dominio propugnando, & in defensione moralis disciplinæ tota sit posita: nam sublata aut Dei omnipotentia, fidei nostræ fundamentum nutat, aut læsa libertatis indifferentia, meritum exulat.

Et licet sit hoc vtrumque in confesso apud omnes, quia tamen in hanc ætatem deuenimus, vt data occasione, & non raro accepta, statim calumniandi ansam nonnulli arripiant, aut saltem sinistra interpretatione synceritatem doctrinæ peruertant. Priusquam prædeterminationis naturam libro sequenti exponamus; quàm falsò cum quorundam Modernorum placitis, hanc conuenire putarint (qui nullum gratiæ auxilium, præter illud agnoscerent, quod tanta polleret efficacia, vt suo nunquam careret effectu) operæ pretium duxi, manifestius aperiendum (quod vel ab ipsis excogitatum, eorum pluribus oppositum asserentibus non facilè crediderim.)

II. Quid igitur in hoc sentiam, apertius profiteri teneor, iterumque beneuolum monere lectorem nullatenus velle me ingredi auxiliorum diuinæ gratiæ Sanctuarium; sed tantùm ob oculos ponere id quod sine controuersia & cum ipsa prædeterminatione Physica ab omnibus est receptum; ne, si quid hic breuitatis causa reticeatur, mihi ipsi; id quod nunquam venit in mentem, imponatur: aut ex gratiæ efficacis vocabulo, sufficientis necessitatem non agnoscere me suspicentur: In quo sanè, vt vult Apostolus, *Idipsum dicemus omnes, nec inter nos vlla erunt schismata.* Nisi fortè cum illis, qui pacem oderint,

quibuscum, vel ipsis iudicibus, ero pacificus.

III. Tota ergo difficultas est, vtrum Prædeterminatio Physica quam ad omnem pietatis actum Thomistæ dicunt necessariam, cum gratia sufficienti, quæ dat tantùm *posse*, compatiatur: cui non solùm possumus resistere, sed & sæpius de facto resistimus, præter quam, aliam requirunt Thomistæ ex natura sua efficacem, quæ iuxta libertatis modum, ipsam efficiat operationem: sine qua gratia nihil boni fit, licet fieri possit. Per hanc autem efficaciam, licet auferatur resistentia voluntatis, fiatque volens ex nolente, tamen in ea semper manet resistendi liberrima facultas, & tantò magis libera, indifferens & soluta, quantò fuerit efficacior gratia.

IV. Hęc est Ecclesię doctrina communis, vixque vllus reperitur, qui iam pro opposita Patronum se palàm profiteatur. Hanc ergo viam sequi regiam mihi liceat, iamque de semita minùs trita prętextu prędeterminationis Thomisticę nemo me suspicetur. Et quia vt ait Sanctus Fulgentius lib. de verit. pręd. & gratię c. 15. Peronij testimonio alter Augustinus, [Dignum est vt singulis quibusque sententiis, in quibus nubilo cuiusdam obscuritatis ambigimus, Sanctorum Patrum definitionibus hęreamus quos pręueniens misericordia Dei gratis illuminauit, vt crederent, & sequens instruxit spiritualiter vt docerent.] Nihil hìc sine duce proferam, Sanctorum Doctorum tritis ac tutioribus insistens vestigiis, quod vt meliùs fiat & efficaciùs, rem adhuc paulò fusiùs aperiam.

V. Dico igitur cum Aluarez lib. 8. de aux. disp. 71. n. 2. [Nullum Catholicum dubitare posse de diuisione gratię in sufficientem & efficacem. Sufficientemque approbat ipse, vt Sacris Litteris, Conciliis, Patribus & Scholasticis Doctoribus expressam, ipsique Angelico Doctori sub, *Excitantis & præuenientis*, nomine satis cognitam: sicut & efficacem, sub nomine *Adiuuantis*.

Et de hac gratia sufficienti ait sanctus Doctor 2. Cor. 3. lect. 1. in fin. [Licet non simus sufficientes cogitare aliquid à nobis, tanquam ex nobis, tamen habemus aliquam sufficientiam, quâ scilicet bonum possimus velle & credere incipiamus: & hoc à Deo est, 1. Cor. 4. Quid habes quod non accepisti?] Et hæc gratia sufficiens, si pro sola interna agendi potestate sumatur (vt multis placet) non abs re dicitur sufficiens, quia nulla alia gratia requiritur ad tribuendam virtutem & potentiam agendi, per hanc siquidem gratiam facultas naturalis eleuatur & fit potens, sicut aqua dicitur per calorem eleuata ac potens ad calefaciendum, quod naturaliter præstare nequibat. Si verò cum ipsa actione comparetur, alia adhuc requiritur gratia scilicet efficax ad mouendam seu applicandam potentiam ad actum.

De hac gratia sufficienti, cui non semper homo consentiat, intelligendus est sine dubio D. Anselmus in Math. c. 6. *Deus vult, inquit, per misericordiam de aliquo prauo quod sit iustus, & confert ei gratiam suam: & tamen ille per liberum arbitrium contradicit, nec gratiæ consentit.*

Atqui alia est gratia potentior, scilicet efficax, constringens Cedros Libani, quæ consensum certò ac liberè quandoque efficiat (liberè dixi, aliàs non esset consensus, vt infrà dicemus) quæ cordis duritiam auferat, ex nolente volentem efficiat, &c. Quî ergo priorem hanc gratiam vocabis? Excogites vocabulum; per me licet, dummodò Thomistis non tàm grandi vertatur vitio, quod consueto gratiæ sufficientis vsi sint vocabulo, sapientes quidem cum Angelico Doctore, loquentes verò vt multi.

VI. Quod si de diuisione ista gratiæ in sufficientem & efficacem, nullam expressè mentionem fecerit D. Thomas 1. 2. q. iij. a. 2. ratio forsitan esse potest, quod sufficienter intellexit illam exprimi sub nomine excitantis & operantis. Nisi dicere malueris hoc nomen *sufficiens*, quod dupliciter sumitur, teste Medina ex Caietano 1. 2. q. 109. a. 10. de industria omissum esse ab Angelico Doctore, ex eo quod frequentiùs ex communi modò loquendi vsurpetur pro eo, præter quod nihil est amplius necessarium. Et de facto, in hoc sensu supponit sæpè D. Thomas aliquam causam non debere dici sufficientem, quam effectus non sequitur, eamque perfectè esse sufficientem v. g. ad credendum, quâ positâ creditur: sic q. q. disp. de verit. q. 27. quæ est de gratia. a. 5 ad 12. ait, *Dicendum est, quod auditus non est causa sufficiens fidei, quod patet ex hoc, quod multi audiunt, qui non credunt: sed causa fidei (quæ simul est sufficiens & efficax) est ille qui facit credentem assentire his quæ dicuntur.* Item 2. 2. q. 6. a. 1. o. ait D. Tho. *Quantùm verò ad 2. sc. ad assensum hominis in ea quæ sunt fidei, potest considerari duplex causa: vna quidem exteriùs inducens, sicut miraculum visum, vel persuasio hominis inducentis ad fidem, quarum neutrum est sufficiens causa: & ideò oportet ponere aliam causam interiorem.* Vbi ly *sufficiens* sumitur pro eo præter quod nihil superest desiderandum.

VII. Et hanc veram esse causam existimo ob quam D. Thomas in diuisione gratiæ, nomine *sufficientis* non sit vsus, ne scilicet inde subreperet abusus, quasi præter hanc (quæ dicitur sufficiens) nulla alia sit necessaria: prout à multis etiam nunc falsò accipitur. Et in hoc sensu, id est, pro complexione eorum omnium quę sunt necessaria ad agendum, non esse sumendum. *Ly sufficiens* cum de gratiâ sufficienti loquimur, docet ipsius gratiæ efficacis necessitas, sed tantùm pro eo, quod dicitur sufficiens, ex parte virtutis operatiuæ, prout sumitur à Thomistis. Ita Zumel. t. 3. d. 5. sect. 1. *auxilium sufficiens, ait, non dicitur sufficiens, vt nomen grammaticale sonat quasi de se ipso solùm & omni alio repulso, nō solùm habeat vim agendi & operādi sed etiā exerceat: sed solùm dicitur sufficiēs theologicè, quia dat homini vt possit agere tribuitque ei vim ad volendum, sed non completè omninò, quia est necessaria gratia efficax intrinseca & determinans voluntatem per modum actus primi, & tunc est homo completè potens.* Et hoc si aduertissent quidam Moderni, fortasse non in derisum accepissent nomen gratiæ sufficientis, ex eo quod præter illam requiratur efficax, quæ secundum plurium Thomistarum sententiam non dat aliquam volendi virtutem antecedenter ad ipsum velle, ab eo distinctam, sicut nec qui securim ad secandum impellit, dat securi nouam secandi virtutem, quam ante non haberet, sed eam quæ securi iam inerat, ad opus applicat.

VIII. At præter prædictam hanc gratiam efficacem, sunt nonnulla gratiæ auxilia, quæ non omninò voluntatem conuertant, sed tantùm bona desideria in animâ excitent, quibus plerumque non consentiatur, quibusque resistimus in effectu ad quem ex naturâ suâ tendunt, nam vt ait D. Thomas 1. 2. q. 112. a. 2. ad 2. *Deus aliquando hominem mouet ad aliquod bonum, non tamen perfectum: & talis præparatio præcedit gratiam: sed quandoque perfectè mouet ad bonum, & subitò gratiam homo accipit vt contigit in Paulo.* Et 2. 2. q. 24. a. 3. ad 1. ait. *Spiritus Sanctus mouet mentem hominis vel plus vel minus, secundum suam voluntatem.*

IX. Quod si gratiæ habituali in iustis, nomen gratię sufficientis à quibusdam tribuatur, quia per hanc voluntas sufficienter eleuatur in ratione potentiæ, vt actus

supernaturales producere possit; sine qua illos non posset producere, sicut nec ferrum calefacere, nisi calefiat ab igne: Tamen ad agendum præter illam requiritur adiutorium actuale, quod datur ad singulos actus, quia agens liberum aliquando agit, aliquando non, vt voluntatem applicet ad agendum Prędeterminationis vocabulo à Thomistis expressum, ita D. Thomas 1. Cor. 15. lect. 1. *Deus non solùm gratiam infundit, quâ nostra opera, grata fiant & meritoria, sed etiam mouet ad benè vtendum gratia infusa.* Iterumque in cap. 3. ad Ephes. Lect. 2. Ipsemet ait, *Facultatem dat Deus infundendo virtutem & gratiam per quas efficitur homo potens & aptus ad operandum: sed ipsam operationem confert in quantum operatur in nobis interiùs mouendo & instigando ad bonum, & est donum gratiæ de quo Apostolus: secundum operationem virtutis eius, idest, quam Deus efficit in quantum virtus eius operatur in nobis velle & perficere pro bona voluntate, &c.* Et ante præmiserat, in hæc verba (Secundum donum gratiæ Dei) *Tangit, inquit, auxilium sibi, præstitum ad ministerium executionem, huiusmodi autem duplex auxilium fuit; vnum quidem ipsa facultas; illud, ipsa operatio siue actualitas.* Et in cap. 9. ad Rom. lect. 3. *Diuinum auxilium, inquit, non solùm extendit se ad infusionem gratiæ, quâ homo iustificatur, sed etiam ad gratiæ vsum, sicut etiam in rebus naturalibus non solùm Deus causat ipsas formas in rebus, sed etiam ipsos motus & operationes formarum, eò quod Deus est principium omnis motus, cuius operatione cessante à mouendo, ex formis nullus motus vel operatio sequitur: sic igitur ipse vsus gratiæ est à Deo, nec propter hoc superfluit habitus gratiæ.*

X. Et ne de modo motionis possit ambigere aliquis, vtrù sc. moueat Deus agens liberum concursu simultaneo, vt illusoriè moliti sunt suadere recentiores aliqui. An verò præuio, quem disputationis causâ, & vitandæ æquiuocationis gratiâ, Prædeterminationem vocare coacti sunt Thomistæ: præ oculis habeat quod ait D Thomas 1. p. q. 105. a. 1. *Deus mouet res ad operandum quasi applicando formas & virtutes rerum ad operationem, sicut etiam artifex applicat securim ad scindendũ.* Quo nihil efficacius aut euidentius pro Prædeterminatione physica ex Angel. Doct. stabiliendâ.

Porrò, de prædicto gratiæ adiutorio ad singulos actus necessario, legi potest Cœlestinus Papa, Epist. ad Episcopos Galliæ c. 8. & 9. qui refert Zozimum Papam asserentem in epistola ad totius Orbis Episcopos, *Quod in bonis voluntatis humanæ singulis motibus magis illius valere non dubitemus auxilium, quodque omnis sancta cogitatio, omnisque motus bonę voluntatis ex Deo sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.*

XI. Per præfatum igitur auxilium sufficiens, cui aliquando resistimus, verè dicimur posse: nam vt ait Nauarreta, contro. 19 parag. 11. *Cum tale auxilium non participet rationem potentiæ ab auxilio efficaci, fit vt ex se ipso sit potens operari. Cui, inquit, si homo non resistat, Deus ex sua liberalitate confert auxilium efficax tanquam complementum actuale.* Et quamuis in hoc differant Thomistæ, quod eorum aliqui dicant, auxilium efficax communicare agentibus liberis solam operationem, seu aplicationem ad opus; alij verò etiam ipsum posse vltimatè completum; nihil ad rem, quantum ad præsens, quia vt præmonui, stu in lumine auxiliorum Dei seu controuersiis tot clamoribus hactenùs agitatæ. Sed hîc tantùm indicare intendo quo pacto à communi doctrina non dissideant prædeterminationis physicæ Assertores, pro quibus audiendus est vnus Aluarez disp. 18. n. 18. *Motio actualis Dei, inquit, confert voluntati & omnibus causis secundis vltimum complementum actus primi; vt docet Sanctus Thomas. Et cum arguitur: Talis concursus supponit in voluntate quidquid ad agendum necessarium est, ex parte actus primi; Respondetur supponere quidem quidquid est necessarium ex parte actus primi per modum potentiæ vel operatiuæ virtutis; non tamen supponit applicationem seu vltimum complementum actus primi, sed illud tribuit voluntati.*

XII. Quomodo verò per auxilium sufficiens quis verè dicatur posse, *absolutè & simpliciter*, hoc est, sine addito, sicut cum asserimus hominem per potentiam visiuam posse videre, quia videlicet quantum est ex parte potentiæ per quam constituitur in actu primo ad videndum, non requiritur, vt verè dicatur posse videre, quòd superaddatur illi aliqua potentia aut virtus, &c. Legendus est ibidem Aluares disp. 97. n. 2. cum Cajetano & Medina in 1 2. q. 109. art. 10. Ferra. lib. 3. contra Gent. c. 155. vt videas non vnius aut duorum priuatorum Doctorum esse sensum, sed celeberrimorum totius scholæ Thomisticæ vnanimem consensum.

Rursumque hic adhuc vnum ex prædicto Aluarez ibidem disp. 79. n. 3. notandum existimo, *Potentia visiua, inquit, est sufficiens principium ad videndum, etiamsi actualis visio nunquam fiat, nisi accedente lumine & causâ vniuersali eam mouente: ergo similiter auxilium sufficiens ad credendum, est verè sufficiens in suo genere, quamuis vltra illud sit simpliciter necessarium auxilium efficax, quo Deus efficit, vt homo credat.*

Nec aliter sapit Cardinalis Bellarminus lib. 2. de gratia & lib. arb. c. 12 [Nam tametsi, inquit, piè credamus omnibus dari pro loco & tempore auxilium sufficiens, quo possint credere: tamen Scriptura docet, re ipsa non credere, nisi illos qui habent auxilium efficax, quo fit vt homo, non solùm possit credere, sed etiam credat.] Et idipsum iam insinuarat, parte altera tom. 1. controu. fidei lib. 2. c. 31. de Monachis pag. 549. his verbis. [Sicut circa fidem, pœnitentiam, perseuerantiam, aliosque actus bonos; ita etiam circa continentiam duplex gratia seu auxilium distingui solet: vnum sufficiens, quod omnibus datur saltem pro loco & tempore, quo auxilio non tàm fit vt operemur, quàm vt operari possimus. Aliud autem efficax, quo re ipsa operamur. Atque hoc posterius est donum singulare, quod non omnibus datur, soli enim illi, qui habent donum perseuerantiæ, qui re vera perseuerant; soli illi, donum fidei habent, qui re ipsa credunt: soli illi donum habent continentiæ, qui re ipsa continent, quos notum est non esse multos, nedum omnes: & de hoc dicitur (Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.) Et simul verum est, omnes qui volunt, posse continere, quia sufficiens auxilium ad continendum, aut ad gratiam impetrandam nulli denegetur: sicut enim de fide scriptum est (Non omnium est fides) 2. Tess. 3. & tamen omnes credere possunt, qui volunt, cùm prædicatur Euangelium, alioqui non peccarent, qui non crederent.

XIII. Nec subinde dicendum est, superfluum esse auxiliũ sufficiens, licet ex se solo sine efficaci non habeat operationem, sicut nec vllus dixerit, superfluum esse, securim accuere, aut nouaculam disponere, licet operationem non habeant sine artificis applicatione: quia operatio semper supponit potentiã naturâ aut tempore, quę sit principium actus: sicut nec potentia visiua est superflua in eo, qui est in tenebris, licet videre non possit sine obiecto & lumine, vt ait Cardinalis Cajetanus 1. 2. q. 109. a. 10. Ratio huius est, quia cùm major sit distantia inter ordinem naturalem & supernaturalem, quàm inter duas res naturales, & nequeat ferrum v. g. calefacere, nisi priùs ipsum calefiat igne: sic non potest homo actus supernaturales producere, nisi aliquo principio supernaturali

perna-

pernaturali eleuetur, seu velut suprà se euehatur, vt de potentia proportiona in actum reducatur aliquo fortiori auxilio.

Fatemur igitur cum S. Augustino de præd. sanct. c. 5. *Natura esse hominum v.g. posse habere fidem.* Quam potentiam vocare debes remotam: quatenus, inquit Doctor Angelicus 2. 2. q. 10. a. 1. ad 1. *in natura humana est, vt mens hominis non repugnet interiori instinctui, & exteriori veritatis prædicationi.* Sed præter hoc cum eodem sancto Antitiste dicimus, *quasdam esse fidei inchoationes*, in quibus Deo auxiliante & aspirante, proficere possumus: vnde & cum Apostolis dicere tenemur: *Domine adauge nobis fidem.* Et id genus auxilia, dicimus sufficientia, modo superius explicato, ex quibus *iustorum semita crescit vsque ad perfectam diem*, nisi fuerint ipsi, vel negligentes, vel rebelles lumini, & sic aliquem huic gratiæ ponant obicem. Ergo citra omne dubium est, hominem duplici auxilio semper indigere, & maximè in statu naturæ corruptæ, scilicet gratiæ habitualis, quâ natura sanetur, & sanata ad vitæ æternæ opera edenda proportionatè eleuetur: Secundò indiget alio auxilio, quo à Deo moueatur ad agendum & opus perficiendum ita, D. Thom. 1. 2. q. 109. a. 9.

XIV. Et quia frequentius Sancti Patres, & præsertim Augustinus, comparatione lucis vtuntur (sine quâ non potest videre qui in tenebris est constitutus etiamsi velit) vt gratiæ efficacis necessitatem exprimant: in quo claudicet hæc comparatio, est accuratiùs aperiendum; ne idem omninò putetur dicendum, de eo qui caret gratia efficaci, qui vt diximus, verè dicitur posse, si velit: quod nequit dici de eo, qui est in tenebris. Ait enim S. Præsul. l. de na. & gra. c. 26. *Sicut oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adiutus, non potest cernere: sic homo etiam perfectissimè iustificatus, nisi æterna luce iustitia Diuinitus adiuuetur, non potest rectè viuere.* Quadrat ergo hæc lucis comparatio in eo, quod gratiæ efficacis necessitatem exprimat quidem: sed in eo discrepat, quòd qui lumine caret videre non potest, etiamsi velit. At, qui gratia efficaci caret, benè quidem ageret si vellet: Deus autem operatur & velle, in iis qui ipsi non contradicunt. Quare (inquit sanctiss. Præsul lib. de grat. & lib. arb. c. 15. *Oret quisque vt tantam habeat voluntatem, vt Diuinæ obtemperet voluntati: sic enim adiuuatur, vt impleat quod iubetur.* Quia complebit Deus opus suum si obicem creatura non ponat, confirmans quod operatus est, & perficiens vsque in diem Christi, tribuens ex sua liberalitate infinita (vt suprà dixit Nauarreta) auxilium efficax.

XV. Nihil hic dicendum superesse existimo, nisi quod ait Cælestinus Papa Epist. ad Episcopos Galliæ: *Profundiores verò & difficilliores partes incurrentium quæstionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere: quia ad confitendum gratiam Dei, cuius operi ac dignitati nihil penitùs substrahendum est, satis sufficere credimus quidquid secundum prædictas regulas Apostolicæ Sedis, nos scripta docuerunt.* Nam vt ait Cyrillus Alexandrinus lib. thes. apud Turrecr. lib. 2. summæ de Eccl. c. 7. *à Romano Pontifice quærere nostrum est, quid tenere teneamur, quoniam ipsius solius est, reprehendere, corrigere, statuere, disponere &c.*

Quòd si Hieronimus ipse Epistola. 25. apud August. (quem Doctorem maximum vocat Ecclesia) summum Pontificem in hunc modum precetur. *Obtestor tuam beatitudinem, vt mihi Epistolis tuis, siue tacendarum, siue dicendarum hypostaseon detur authoritas.* Quis Christianæ humilitatis Alumnus, in negotio haud minus intricato, gratiæ scilicet cum libero arbitrio componendæ, & in ipso loquendi modo tantum Magistrum, Hieronimum intelligo, non imitetur.

XVI. Nunquam igitur in communi modo loquendi dicatur ille qui solum habet auxilium sufficiens (non posse) ex eo quod nondum habeat auxilium efficax: quia (Ly non posse) communiter sumitur apud omnes pro eo quod est impossibile (loquendum autem vt multi, & sapiendum vt pauci) quod vel sentire in his quę Deus præcipit, nedum falsum est, sed & impium & blasphemum: *Quia Deus impossibilia non præcipit, sed præcipiendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat vt possis, Adiutor in opportunitatibus Ps. 9.* Etenim vt ait D. August. lib. de natura & gratia c. 69. *Eo quippè ipso, quo firmissimè creditur Deum iustum & bonum, non potuisse impossibilia præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Ratio esse potest, quia qui bonum semen seminauit in agro cordis nostri per gratiam sufficientem, tribuendò, *posse*, dabit & perficere, per efficacem, si non ponamus obicem. Ideò ait D. Augustinus & meritò. Serm. 3. de verbis Apost. c. 10. *Volo vt velis, sed non sufficit vt velis, adiuuandus es vt plenè velis, & impleas quod velis.*

At si rursùm quęras *quare non sufficit vt velis?* Audi ipsummet lib. 2. de pecca. merit. & remiss. c. 5. *Ad nonnulla superanda, vel quæ malè metuuntur, vel quæ malè cupiuntur, magnis aliquando & totis viribus opus est voluntatis.* Quod vt fiat necesse est vt succurrat ille, quia eodem teste lib. de grat. & lib. arb. c. 15. *Per gratiam fit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit malæ: per hanc etiam fit vt ipsa bona voluntas, quæ iam esse cœpit, augeatur, & tam magna fiat, vt possit implere Diuina mandata quæ voluerit, cum perfectè, valdéque voluerit.* Nec quidquam proferimus sine Diuino Antistite, nam lib. 2. ad Bonif. c. 8. hęc habet. *Dominus ait, Sine me nihil potestis facere: hoc vno verbo initium & finem comprehendit dicens, Quoniam qui in vobis bonum opus cœpit, perficiet vsque in diem Christi Iesu.* Idque confirmat lib. de gratia Christi cap. 19. *Non tantum (inquit) vt homo sit arbor bona, sed etiam vt faciat fructus bonos, eâ gratiâ necessarium est vt adiuuetur, sine quâ nihil boni facere potest: ipse quippe in bonis arboribus cooperatur fructum, qui & forinsecùs rigat atque excolit per quemlibet ministrum, & per se dat intrinsecùs incrementum.*

XVII. Homines ergo per gratiam sufficientem verè possunt si velint: sed vt ait D. Augustinus lib. 1. retra. c. 22. *Præparatur voluntas à Domino, & tantùm augetur munere Charitatis vt velint.* Quod si aliqui Doctores, gratiæ efficaci quandoque, etiam rationem potentiæ tribuant, & non solam operationem seu aplicationem, vt diximus: hoc discutiendum non suscipio vt potè alienum à proposito Deus enim cui facile est, subitò honestare pauperem, potest auxilium conferre adeò potens & efficax, vt citò disponat causam secundam, vt per eam & cum eâ operetur, teste D. Thomâ 1. 2. q. 112. a. 2. ad 2. Et ita dicerem, saluo meliori iudicio, eum qui in hoc casu nondum habet tale auxilium efficax, quo subitò conuertetur, vt contigit in Paulo, posse nihilominus pœnitere &c. sed eo tantùm modo, quo superiùs cum D. Augustino dicimus, *Natura esse hominum posse habere fidem.* Vide suprà num. 13.

Sicque intelligendos existimo Theologos asserentes non esse necessarium fidei habitum ad eliciendos

fidei actus qui debent præcedere iustificationem omninò primam in adultis, ad quos vt pote valdè imperfectos intra propriam lineam, actualia diuinæ gratiæ sufficiunt auxilia, quibus eleuatur intellectus, & fit potens ad credendum per modum causæ principalis; quamuis non ita connaturaliter ac per habitum. Hinc inferendum est, quod cum adulti qui iustificantur ex propria dispositione, seu per actus quos eliciunt ex præuenientibus Diuinæ gratiæ auxiliis, non merentur iustificationem de condigno (sola quippè gratia sanctificans cum charitate est principium meriti de condigno) sed illam tantùm de congruo exigunt; etenim congruum est, ac Deum decens (cuius perfecta sunt opera) vt opus quod incœpit, ipse perficiat.

XVIII. Ex prædictis licet inferre, vt iam præmonui, nusquam in modo loquendi illos esse audiendos, qui dicerent eum qui habet solum sufficiens auxiliũ ad aliquid operandum, *non posse*, ex eo quod nondum habeat efficax, quod dat vltimum complementum seu exercitium actus. Quia semper cauendum est, ne in verbo offendamus & proximo simus scandalo: etenim vt iam dixi, Ly *non posse*, in vsitato ac communi modo loquendi pro eodem sumitur ac *Impossibile*: Atqui falsum est dicere, impossibile esse hominem bene agere, cui solum deest auxilium Dei efficax ab eo solo conferendum; nam vt ait D. Thomas in q. q. disp. quęst. 24. de verit. a. 11. ad. 5. *Quando natura inferior potest aliquid disponere vel qualitercumque operari, non dicitur impossibile simpliciter, quamuis non possit perfici nisi diuinâ operatione, sicut non dicimus impossibile esse simpliciter prolem in materno vtero animari animâ rationali.* Similiter ergo in præsenti; sicut enim mater verè dicitur posse prolem generare, licet ad hoc indigeat auxilio illius à quo est virtus pariendi, modò generationi non præstet impedimentum: Ita verè potest benè agere qui habet gratiam sufficientem, cui non ponit obicem; licet præter eam, necessarium sit aliud adiutorium efficacius, quod non minus sit à Deo, quàm ipsius animæ rationalis creatio, seu fœtus concepti animatio, si sic loqui fas est.

XIX. Porrò de gratiâ sufficienti Thomisticè intellectâ, hæc habet ipse Iancenius lib. 3. de gratia Salu. c. 1. *Quod si verò sic accipiatur, vt sufficiens dicatur, sicut à quibusdam, scilicet à Thomistis, dicitur: quod satis est, vt homo dicatur posse operari, quamuis aliud adhuc necessarium sit, vt de facto operetur: de huiusmodi gratiâ sufficienti, non est hic nostra controuersia: talem enim sufficientem fortasse non difficulter Sanctus Augustinus admitteret.*

Vt quid igitur vellicant Thomistas quidam Moderni, aut illos cauillis impetũt, ęquiuoco, *Sufficientia quæ non sufficiat*, illudentes vocabulo: quod nunquam sic est à Thomistis vsurpatũ quin præter illud quod sufficiens dicitur (eo tantùm modo quo statim dicemus) sit & aliud necessarium ad actu operandum. Quod dicunt Thomistę non solùm cum Angelico Doctore vt patet ex locis suprà citatis; sed & cum D. Augustino lib. de grat. Christi c. 5. *Deus adiuuat, inquit, non tantùm in eo, quod operari possumus: sed in eo etiam quod operamur.* Et cap. 47. concludit. *Per illud adiutorium, ipsam quoque volitionem & actionem, quæ non sunt in homine, nisi quando vult & bene agit, ipsum diuinitus adiuuari.* Primum adiutorium dicitur, *possibilitatis*, quod quamtumuis crescat, nunquam sic ab illo exit ordine, vt se solo actum secundum efficiat (pertinet enim ad rationem potentiæ quę non reducitur ad actum, nisi per id quod est actu) Alterum verò dicitur adiutorium actionis, quod qui habuerit, continuò vult & agit.

Verum enim verò, si vt trito fertur adagio, *loquendum est multi.* Nunquid & in communi modo loquendi, dicitur, semen arboris v. g. *sufficiens*, ad arborem producendam? Licet præter virtutem in ipso naturaliter inclusam, necessaria ei sit virtus solis &c. Quis igitur irrisioni locus hac in parte aduersus Thomistas communem loquendi modum sequutos? Nullus sanè, nisi fortè, quòd nouæ grammaticæ cusores non fuerint; quod non spectat ad Theologos, quibus sic loquendum incumbit, *Vt ex iis quæ animus nouit, surgat ad incognita quæ non nouit*, vt ait D. Gregorius: Quod si alij, ly *sufficiens*, male intelligant, immò & illo abuntantur: quid ad me benè intelligentem & rectè vtentem ipso aduersariorum iudicio? inquiebat aliàs Hieronimus in occasione non dissimili.

Lege D. Thomam & disce; discipulos non esse supra Magistrum: Ille autem sic loquutus est vt de verit. q. 27. quæ est de gratia a. 5 in o. *Per eam (sc. gratiam habitualem) homo ordinatur ad vitam æternam sufficienter.* Et ibidem ad 16. loquens de gratia operante in paruulis, ait: *Illa enim gratia operans quam acceperunt; sufficiens erit cooperari libero arbitrio, quando ipsius vsum habere poterunt.* Quibus verbis non negatur, quominus ipse vsus voluntatis liberæ, sit quoque à Deo, sed per aliud auxilium sc. actuale, realiter distinctum à gratia habituali, quæ tamen dicitur *sufficiens*. Ita D. August. lib. 1. retract. c. 9. *Quia omnia bona, & magna, & media, & infima à Deo sunt; sequitur vt à Deo sit & bonus vsus liberæ voluntatis, quæ in magnis numeratur bonis.*

Non est igitur insolitum apud Doctorem Angelicum aliquid dici *sufficiens*, in suo dumtaxat ordine; quamuis præter id, aliud quoque, scilicet pro exequutione, necessarium sit.

Prædicta fortasse de causa Doctor Angelicus 1. 2. q. 114. a. 3. ad 3. loquens de gratia habituali (cui in iustis sæpius nomen gratiæ sufficientis tribuitur) comparat illam semini arborum, *Dicendum, inquit, quod gratia Spiritus Sancti, quam in præsenti habemus, & si non sit æqualitas gloriæ in actu, est tamen æqualitas in virtute, sicut & semen arborum, in quo est virtus ad totam arborem: Et similiter per gratiam inhabitat hominem Spiritus Sanctus, qui est sufficiens causa vitæ æternæ, vnde & dicitur: pignus hæreditatis nostræ, 2. Cor. 1.* Et alibi idem docet gratiam habitualem, *Quantum est de se, sufficienter disponere ad gloriam*, de qua communiter loquuntur, vt ait q. q. disp. q. 24. de lib. arb. a. 4. in o.

XX. Itaque sicut in ordine naturæ quosdam Deus paulatim sanat: alios verò repentè & miraculosè, vt ait D. Tho. 1. 2. q. 113. a. 10 Ita fieri existimo in ordine gratiæ: quosdam enim subitò sanauit Deus opt. vt Saulum, de quo ait D. Augustinus lib. de præd. Sanctor. c. 2. [Auersus quippe à fide, quam vastabat, eique vehementer aduersus, repentè est ad illam & gratiâ potentiore conuersus] Alios verò, non tàm citò curat Deus, sed confert illis auxilium sufficiens, vt sensim cum illo proficiant, quo, Spiritu Dei animato, immarcessibilis bonorum operum fructus à creatura producitur. Ait siquidem Sanctissimus Præsul lib. 1. ad Simp. q. 2. [Fiunt quædam fidei inchoationes, conceptionibus similes: non tamen solùm concipi, sed etiam nasci opus est, vt ad vitam perueniatur æternam.] A quo igitur est fidei nostræ inceptio, vt ipsemet ait lib. de prædest. sanctorum cap. 2. est & eius augmentum atque perfectio: quia vt docet princeps Apostolorum 1. Pet.

5. v. 10. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet, confirmabit, solidabitque, &c.*

Et in prædictorum confirmationem notare licebit id quod ait Sanctus Antistes Conc. 8. in ps. 118. vbi exponens hæc Dauidis verba, Concupiuit anima mea desiderare, &c. hæc habet [Quis est iste mirabilis atque ineffabilis langor, &c. Ægrotus qui fastidio laborat & vult euadere hoc malum, concupiscit vtique desiderare cibum, dum concupiscit non habere fastidium: sed hoc fastidium morbus est corporis. Concupiscentia verò qua concupiscit desiderare cibum, hoc est carere fastidio, in animo est, non in corpore, &c. Sæpè enim quid agendum sit videmus, nec agimus: quia non delectat vt agamus: & concupimus vt delectet: non enim aliquid impedit, quominus habeantur iustificationes Dei, nisi quia non desiderantur, dum non in eas charitas feruet quarum claritas lucet, &c. Sed quibusdam quasi gradibus ad eas perueniatur, ostendit: prius est enim vt videatur quàm sint vtiles & honestæ: deinde vt earum desiderium concupiscatur: postremò vt proficiente lumine atque sanitate, delectet earum & operatio, quarum sola ratio delectabat.

XXI. Hoc autem teste Augustino fieri modo mirabili & ineffabili ab illo, qui nouit in cordibus hominum operari, non vt homines, nolentes credant, sed vt ex nolentibus volentes fiant, vt iam non semel insinuauimus. Qui verò hunc modum quærit comprehendere, modum hac in re, ipse excedit: nam si aut ratione quis posset hunc comprehendere, verè non iam diceretur mirabilis, aut si verbis valeret exprimere, minimè esset ineffabilis. Quis quæso non videat in hoc mirabili & ineffabili diuinæ gratiæ cum libero arbitrio conciliandę mysterio, sicut & in cæteris Christianæ Religionis, aliquid esse, pro quo tota ratio facti, sit potentia facientis: quæ Dei omnipotentia principium est, ac primum totius fidei nostræ fundamentum teste Angelico Doctore in cap. 3. Math. Iob. Scio quia omnia potes. Nosse ergo sufficiat, nos nihil boni posse, nisi iuuet ille qui malum non potest velle, cuius auxilio fretus ait Apostolus, *Omnia possum in eo qui me confortat.*

Quomodo autem hoc fiat? Audi Augustinum in re non dissimili [Quid à me quæris, inquit, quo sit factum modo, cum videas factum esse quocumque modo, si Apostolo credis aliquo modo, qui mentiri potuit nullo modo lib. 6. contra Iul. c. 9.

Et hoc de corde humano, quod Diuina testante Scriptura prauum est & inscrutabile, tantò fidentius profero, quod modum quo Deus operetur in rebus comprehendi non posse asserat Doct. Angelicus ad Rom. ij. lect. 5. [Etsi, inquit, ipsæ creaturæ sint homini notæ, tamen modi quibus Deus operatur in creaturis comprehendi non possunt: in mari viętuę & semitę tuæ in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur.] Quod si in rebus, quas præ manibus habemus, hoc verissimum esse conspiciatur, quantò magis in his, quæ suprà sensus hominum reuelata sunt, vt in præsenti? Sique in intricato hoc gratiæ negotio, pro quo ad Diuinæ sapientiæ arcana confugit Augustinus ipse, iisdem vtens exclamationibus, quibus & Ecclesia in adorando & incomprehensibili Trinitatis mysterio vti sit solita, quis absque aliqua temeritatis nota hos audeat transcendere terminos, quos à Sancto Antistite & Angelico Doctore constat esse positos?

Sicut ergo non licet ignorare, Filium Dei esse natum v. g. licet huius natiuitatis modum comprehendere non possimus; ita & Diuinę gratiæ auxilium dissimulare aut in eius præiudicium de viribus liberi arbitrij arroganter præsumere non licet, etsi modum quo fiat illud non possemus omninò perfectè comprehendere. De hac namque ineffabili natiuitate ait Doctor Angelicus in cap. 1. Math. Si aliquo modo dicimus Filium genitum, sed modum quo gignitur nec homo nec Angelus potest comprehendere.] Et ne hoc esse tantùm de æterna generatione intelligendum putes, non verò de temporali, quæ magis familiaris videtur, audi subtilissimum Ecclesiæ Doctorem Augustinum de Incar. Domini contra Iudæos [Dicat, inquit, mihi Iudæus incredulus quemadmodum arida virga frondruit, floruit & nuces protulit: & ego dicam illi quomodo virgo concepit & peperit: sed profectò Iudæus nec virgæ poterit explicare conceptum, nec ego virginis partum.] Et in hoc igitur partu spirituali Filiorum Dei, quos Diuina eius gratia concipit & parit, nemo ipsius gratię detrahat dignitati ex eo quod modum concipere non valeat, quo Deus opt. max. in illis opus suum operetur & perficiat.

XXII. Quid hic vltra supersit non video, nisi vt breuiter aperiam quid de prædicta sufficienti gratia siuè intellecta sentiam: quam tùm ex possibilitate mandatorum Dei quoad finem præcepti, quæ est charitas, fusissimè probant nonnulli. Tùm ex innumeris Scripturæ Sacræ testimoniis, vt sunt hęc: Venite ad me omnes qui, &c. Vocaui & renuistis, &c. Inuoca me in die tribulationis, &c. Quę exhortationes alięque similes, inquiunt, inanes essent & irrisoriæ, si Deus non offerret auxilia, quibus hęc pręstare possent homines, sat in malum proni, & ad excusandas excusationes in peccatis aliunde procliues: quod de Deo opt. (qui fidelis est & absque vlla iniquitate, iustus & rectus) vel suspicari, indignissimum est.

Sed hoc prius argumentorum genus de possibilitate mandatorum Dei, hìc non suscipio discutiendum, qui non tàm probare gratiam sufficientem quàm vt rem certissimam & indubitatam supponere intendo. Nec vt arbitror audiendi sunt, qui dicunt, hunc solùm esse gratię sufficientis fructum, vt scilicet homini factum aliquod possit imputari: quia etsi hoc sequatur positâ hac gratiâ: non tamen per se, & ex vi ipsius, sicut nec pręuaricatio ex lege, quę sancta est: sed ex praua hominum voluntate. Hęc enim gratia datur, vt per eam possint homines, quod non possunt per naturam, & peccatores in viam redire iustitię, & iusti in ea proficere. Alterum verò probationis modum scilicet ex Scripturę testimoniis, ex quibus in immensum hoc volumen intumesceret, aliis percurrendum, non grauatè etiam relinquo.

XXIII. Dico igitur tantùm, ne prętextu Prędeterminationis à me vt potui propugnatæ, quis me suspicetur priuatę alicuius opinionis aut nouitatis notâ singularem Fidelibus & iustis pręter externa quibus plena sunt cœli & terra, quibusque velut tot vocibus ad diligendum Deum homines inuitantur, semper adesse internum Dei auxilium, siue illud sit, aliqua motio actualis habitui consentanea: siue sit habitus fidei, gratiæ & charitatis quæ rectè dicuntur gratię sufficientes, non modo quia eleuant animam, tribuuntque potentiam proximam ad credendum, sperandum & ad petendas opitulationes proximas ad perseuerandum necessarias; sed etiam quia Spiritus Sanctus per hos habitus animam inhabitans, eam sæpius ad bonum incitat, quibusdam saltem imperfectis motibus.

Iniustis autem & infidelibus, præter externa Dei auxilia, arbitror ex parte Dei, etiam interna non deesse, sed vt diximus cum D. August. nullum ita esse peruersum in cuius conscientia Deus non loquatur: quia Deus illis sæpius offert, quæ sunt ad salutem necessaria; & quæ ipsi pro sua nequitia vel oblata respuant, vel accepta abijciant.

Quod si rebellibus & obduratis, qui exultant in rebus

pessimis, & lætantur cum malè fecerint; vt de Anthiocho & similibus qui mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibili hominis, & volucrum & quadrupedum & serpentium contumeliis afficientes corpora sua in semetipsis vt loquitur Apostolus 1. Rom. 23. Aut qui Filium Dei conculcauerunt & sanguinem testamenti pollutum duxerunt: Specialia & quæ amicis suis Deus seruauit gratiæ suæ auxilia deneget, Non est cur illi aut Deum iniustum causentur, aut ipsi apud Deum & homines vllâ ratione excusentur. Legendus D. Tho. de malo q. 16. a. 5. Prædicta ex Diuo Augustino & Sancto Thoma depromo: ex hoc quidem in ps. 6. post medium, asserente. Quod sicut nunquam iustum deserit Deus, quin prius ab ipso deseratur, ita, *Ab interiori luce nemo pœnitùs, cum in hac vita est, secluditur*, Ex illo verò dicente liberum hominis arbitrium, quandiu in hac vita sumus posse verti ad bonum: Et ipsum peccatum in Spiritum Sanctum (quod secundum suam naturam irremissibile dicitur) sic explicante, *Per hoc tamen*, *inquit*, 2. 2. q. 14. a 3. o. *in fin. non præcluditur via remittendi & sanandi omnipotentiæ & misericordiæ Dei, per quam aliquando tales quasi miraculosè spiritualiter sanantur*. Vnde & omnium miserrimi, qui de sua salute desperant; Nec fortè minus miseri qui inde male sperant ex misericordia Dei & ex multa ipsius patientia occasionem sumunt, aut liberius peccandi, aut fidentius in peccatis perseuerandi.

XXIV. Posset ex iisdem Sanctis Doctoribus gratia sufficiens efficaciter confirmari primò quidem ex D. Thoma 1. 2. q. 106. a. 2. ad 2. vbi ait, *Si quis post acceptam gratiam noui testamenti peccauerit, maiori pœna dignus est, tanquam maioribus beneficijs ingratus, & auxilio sibi dato non vtens: nec tamen propter hoc dicitur quod lex noua iram operatur quia quantum est de se, sufficiens auxilium dat ad non peccandum.*

Rursùm: quo aptiori vocabulo, quàm gratiæ sufficientis nomine vocarentur hæc gratuita Dei beneficia omnibus proposita, de quibus Doctor Angelicus in 1. dist. 46 q. 1. a. 1. vbi loquens de voluntate Dei ait, *Huius voluntatis*, (*sc. antecedentis*) *effectus, est ipse ordo naturæ in finem salutis, & promouentia in finem omnibus communiter proposita, tàm naturalia, quàm gratuita.*

Itidem ex Sanctissimo Præsule Augustino lib 2 de serm. Domini in monte c. 9. vbi ait, *Nullam esse animam quantumuis peruersam in cuius conscientia non loquatur Deus.* Et in Ps. 57. *Hoc & antequam, inquit, lex daretur, nemo permissus est ignorare vt esset, & vnde iudicarentur, & quibus lex non esset data: sed ne homines aliquid sibi desuisse quærerentur, scriptum est, & in tabulis, quod in cordibus non legebant; non enim & scriptum non habebant, sed legere nolebant.*

Quod ex altiori principio repetens Sanctus Præsul de gen. ad litt. lib. 1. cap. 5. ait, *Principium quippè creaturæ intellectualis est æterna sapientia quod principium manens in se incommutabiliter, nullo modo cessat occultâ inspiratione vocationis loqui ei creaturæ cuius principium est, vt conuertatur ad eum ex quo est, quòd aliter formata ac perfecta esse non possit: ideò interrogatus Dominus, quis esset? Respondit, principium qui & loquor vobis: inest enim Deo benignitas summa, & Sancta & iusta, & quidem non ex indigentia, sed ex beneficentia veniens, amor in opera sua.* Hoc autem voca quo placuerit nomine, per me licet. Certè occultam hanc Dei inspirationem, tanquam quoddam semen Diuinum concipio, ex quo oriri posset fructus vitæ æternæ, non interueniente impedimento ex parte creaturæ.

XXV. Sanctissimo Præsuli vbique adhæsit Doctor Angelicus & maximè in explicatione horum verborum in Euang. Ioa. c. 1. lect. 2. (illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum) *Ostendit, inquit, omnes homines per verbum illuminari; Primò lumine naturalis cognitionis: & secundò quantùm est de se, lumine gratiæ: quod si aliquis non illuminatur, ex parte hominis est auertentis se à lumine illuminante.* Item ibidem lect. 6.

Nec omittatur id quod ait Sanctus Doctor in cap. 12. ad Hebræ. lect. 3. *Gratia nulli deest, sed omnibus quantùm in se est se communicat sicut nec sol oculis cæcis. Quia Deus, inquit, voluntate suâ liberalissimâ dat eam omni præparanti se*, Lege eundem lib. 3. contra Gent. c. 159.

Quod rursùm confirmari potest ex eo quod ait Sanctus Doctor de verit. q. 14. a ij ad 1. de nutrito in Syluis vel inter bruta animalia, *Hoc enim ad Diuinam prouidentiam pertinet, vt cuilibet prouideat de necessarijs ad salutem, dummodo ex parte eius non impediatur si enim aliquis taliter nutritus ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni & fugâ mali, certissimè tenendum est quod ei Deus vel per internam operationem reuelaret ea quæ sunt ad credendum necessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum diriget, sicut misit Petrum ad Cornelium Act. 10.*

Numquam magis sibi ipsi consentiens idem D. Thomas quam hac in re, vt iterùm videri potest ad Rom. ij. lect. 3. in med. *Numquid ergo, inquit, illi ad quos non peruenit (sc. prædicatio verbi Dei) vtpotè si fuerint nutriti in syluis excusationem habent de peccato infidelitatis? Ad hoc, dicendum est, inquit, quod secundum sententiam Domini quæ habetur Ioa. 17. Illi qui loquentem Dominum per se, vel per discipulos non audierunt excusationem habent de peccato infidelitatis: non tamen beneficium Dei consequuntur vt scilicet iustificentur ab aliis peccatis, vel quæ nascendo contraxerunt, vel quæ malè viuendo addiderunt, & pro his meritò damnantur. Si qui tamen eorum, fecissent quod in se est, Dominus eis secundum suam misericordiam prouidisset, mittendo eis prædicatorem fidei, sicut Petrum Cornelio Act. 10. & Paulum Macedonibus vt habetur Act. 16. Sed tamen hoc ipsum, quod aliqui faciunt quod in se est, scilicet se conuertendo ad Deum, ex Deo est mouente corda ipsorum ad bonum Then. vlt. Conuerte nos Domine ad te, &c.*

XXVI. Vtrum autem voluntaria gratiæ huius pluuia, quam segregauit Deus hæreditati suæ, semper infundatur: an tantùm temporibus suis, vt Leuit 26. 3. dicitur, quæ tamen sic verè semper adesse dicatur, quia datâ quacumque occasione nusquam defuisse perhibetur Adiutor in opportunitatibus: Ex animo & de industria doctiorũ & audaciorum calculo definiendum relinquo: sufficit mihi indigitasse, nullo singularitatis vitio, in propugnanda prædeterminatione physica Thomistas laborare. Et in antecessum ostendisse quàm falsum sit quod à Fuliensi dictũ est in sua prætensa defensione D. Thomæ, gratiæ sufficienti nullum à Thomistis locum relinqui. Cum enim non possit ferrum v. g. calefacere, nisi virtutem hanc participet ab igne: & aliunde, major sit distantia inter ordinem naturalem & supernaturalem, quam inter duas res naturales, putà ferrum & ignem: Si nequeat ferrum naturaliter calefacere, à fortiori non poterit creatura rationalis ea quæ sunt ordinis superioris efficere, nisi à Deo eleuata fuerit aliquo gratiæ auxilio. Et cum non omnis gratia semper habeat in nobis effectum quem habere posset ac deberet (aliàs numquam peccaremus aut in vacuum, gratiam Dei reciperemus) necessariò dicendum est præter auxilium efficax (quod suum sortitur effectum, quodque à nullo corde duro respuitur, cum detur à Deo vt cordis duritia primitùs

auferatur) Aliam esse, vt diximus gratiam minus perfectam, sufficientem tamen vt per eam causa libera disponatur & eleuetur, fiatque potens & proportionata actibus supernaturalibus producendis. Hanc autem gratiam dixerunt sufficientem; Porrò iis, quibus sufficientia eius non sufficit; iure an iniuriâ conquerantur, penes ipsos sit: vel si malint tantam à Deo suis precibus obtinere nitantur pro se ac nobis, vt iam nihil in communi desiderandum supersit. Quare sentio cum Sanctiss. Antistite, quando de re constat, non esse litigandum de nomine.

XXVII. Sed, inquiunt, sola gratia efficax sufficit, & ideò superflua ac inutilis est hujusmodi gratia sufficiens?

Respondeo non esse inutilem: nam si per eam intelligamus gratiam habitualem in iustis (vt diximus) quis ipsam dicat inutilem, quamuis suum non habeat effectum absque actuali seu efficaci auxilio Dei? Quis potentiam visiuam aut pingendi artem dicat in aliquo inutilem esse, licet ille numquam videat sine lumine, nec pingat sine voluntatis influxu & applicatione? Nullumne est discrimen inter eum qui habet potentiam visiuam, & pingendi facultate pollentem: & inter cæcum ac tali industria pingendi carentem? Itidem: quis substantiam Angeli ad intelligendum & amandum dicat esse otiosam; ex eo quod iuxta sanam Diui Thomæ Doctrinam, id non præstet immediatè; sed tantùm mediante intellectu & voluntate, quæ sunt duæ facultates ab eius substantia realiter distinctæ? Et idem dicendum est de substantia animæ nostræ, quæ non est quoque immediatè operatiua. Quid ergo mirum si idem cum proportione sapiant Thomistæ de gratia sufficiente in iustis, quæ gerit vicem substantiæ supernaturalis, estque infusarum origo virtutum, quibus mediantibus opera vitæ æternæ meritoria producuntur, Deo præueniente & ad actum secundum per auxilium efficax reducente.

Quantum verò ad peccatores, conuersionem suam incipientes quibusdam actibus imperfectis, supernaturalibus tamen (v. g. timore iudiciorum Dei: attritione supernaturali, &c.) Infusionem gratiæ sanctificantis præcedentibus ex Dei motione eos misericorditer præueniente & excitante. Quid insolitum, si huic quoque motioni vsitatum gratiæ sufficientia vocabulum relinquant Thomistæ?

An & ipsum quoque otiosum aut inutile peccatoribus indicabunt tale Dei auxilium, & non potius maximè vtile ac necessarium quo eleuantur potentię animæ, fiuntque capaces & aptæ ad producendos prædictos actus supernaturales imperfectos. Et licet talis Dei motio in illis non semper habeat totum effectum, quem ex natura sua habere deberet, ipsum tamen peccatorem disponit ad perfectam conuersionem, quam ille perficit, cujus perfecta sunt opera, non resistente creaturâ.

Vtrumque igitur Dei auxilium est necessarium, vnumquodque in suo ordine primum sc. ad posse: alterum verò ad ipsam operationem: nam sicut non videt oculus sine lumine: nec ars pingendi sine voluntatis influxu & applicatione quidquam efficiet: & aliâ ex parte ad videndum non sufficit solum lumen sine potentia vidente: nec sola voluntatis applicatio valet ad imaginem efformandam si defuerit ipsa pingendi facultas seu industria. Ita non agit sola gratia sufficiens sine efficaci, nec est efficax sine sufficienti, quam communiter supponit velut potentiam.

Dicunt igitur Thomistæ, actum amoris v. g. procedere ex habitu gratiæ sanctificantis tanquam à primo & radicali principio: ex charitate verò, tanquam à proximo (en gratia sufficiens) & ex inspiratione & actuali motione Spiritus Sancti, gratiæ efficacis vocabulo significatâ, quæ ipsum posse non ponit; sed positum per gratiam sufficientem supponit: satius autem iudicarunt Thomistæ consuetum gratiæ sufficientis vocabulum retinere; quàm ipsam vocare gratiam imperfectè efficacem, vt volebant quidam Moderni de solo nomine diffidentes; & aliunde errantes, non solùm quòd vulgari abuterentur gratiæ efficacis nomine, quo communiter intelligitur id quo creatura suum producit effectum talem ac tantum, qualem ex natura sua habere debet: quod (vt patet) sæpius non fit ex negligentia creaturæ aut voluntaria eius resistentia: sed etiam quòd formalem gratiæ effectum ex quo eius sumebant efficaciam cum eiusdem operatione & effectu connaturaliter intento confunderent contra expressam Diui Thomæ doctrinam.

XXVIII. Ne quis tamen ita cantet Deo misericordiam, vt iudicium sileat, cui vtrumque teste Augustino lib. 2. de pecc. mer. c. 19. *Piâ sanctorum mente cantatur*, & plus sapiendo quàm oporteat sapere, non sapiat ad sobrietatem: legat discrimen quod ponit D. Thomas 1. 2. q. 79. a. 3. o. inter solem hunc visibilem & solem iustitiæ: sicque sentiat de Deo in bonitate, vt non inquinetur Pelagianorum iniquitate; quia vt ait D. Augustinus lib. 1. de Gen. contra Manichæ. c. 3. *Lumen huius solis (id est Christi) non irrationabilium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum & temporalium, se ad eius præcepta seruanda conuertunt: quod omnes homines possunt si velint: quia illud lumen illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Sed aliunde non obliuiscantur quod Spiritu Sancto Authore dictum est, & ab eodem Antistite centies repetitum, scilicet, voluntatem præparari à Domino, ad quem supplici humilitate recurrant: quia vt velimus, semper adiutorio illius, qui operatur velle indigemus: Et hoc pro certo habeamus, sancto testante Prospero, quod, *Sicut in his, qui saluantur; Saluantis donum elucet; ita in his qui pereunt pereuntium apparet meritum.* Ideò, intentâ mente semper satagamus, vt certam nostram vocationem per bona opera faciamus: quæ vt ait Doctor Angelicus in cap. 4. Ioa lect. 4. *Sunt fructus spiritualis doctrina sicut fides & huiusmodi, quæ tamen sunt semina vitæ æternæ, quia per ea, ad vitam æternam peruenitur. Eccl. flores mei, fructus honoris & honestatis.* Hæc ergo semina, terræ cordis nostri misericorditer demandata, sedulò custodiamus & excolamus, assiduisque precibus ab Authore & consommatore Iesu obtinere studeamus, vt fructum referant centesimum, eò quod ipse solus sit, qui his dare incrementum possit; sine quo qui plantat aut rigat habetur pro nihillo: Hactenùs pro auxilio sufficienti ritè intellecto. Iam ad gratiam efficacem accedamus.

XXIX. Qui seditionis vexillum in Prædeterminationem Thomisticam erexerunt; id non aliâ ratione fecerunt, nisi vt facilius suaderent, nullam esse gratiam per se efficacem (quam ab Ecclesiâ Romanâ eliminatam; falsò dixit Modernus quidam Hæreticus: semper reclamante aduersus sæculi nostri laxitates vniuersâ Thomistarum turmâ, vt optimè ostendit noster Mercorus inquisitor Mantuanus, & probilitatum profligator, non minus subtilis quàm strenuus.) Quid ergo de huiusmodi gratiâ sentiant Thomistæ, est hîc quoque aperiendum, vt nullus supersit calumniæ locus. Quod profectò aliud non est,

quàm quod sine vlla controuersia omnibus Christi fidelibus iam acceptissimum habetur iuxta tutam Sanctorum Patrum semitam: Constat igitur præter præfatum sufficientis gratiæ auxilium,cui sæpius,nos miseri resistimus: esse aliud efficacius, cui etsi non resistamus, possumus tamen resistere. Et hoc duplex Diuinæ bonitatis beneficium legi potest apud D. Augustinum de prædest. Sanc. cap. 16. vbi loquens de donis hujus status, ait. *Deus vocat prædestinatos vt eos faciat membra vnici sui: non eâ vocatione, quâ vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias, quo modo vocati sunt Iudæi & Gentiles,quibus Christus crucifixus scandalum & stultitia fuit:sed vocatione quæ est secundum propositum, quâ vocati sunt illi, quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui.* Vbi duplicem, vt vides exprimit vocationem: vnam inefficacem; sed tamen sufficientem cui ex culpa sua vocati non responderent. Alteram verò efficacem cui certissimè ac liberrimè, ideòque & meritoriè obediunt.

Item apud Sanctum Cyrillum lib. de adorat. & cultu, id ipsum videri potest, *Non tantùm verbis, inquit, nos stimulat & adhortationibus menti immissis, vt discedamus à peccato; sed tantam benignitatem nobis exhibet omnium Saluator Deus, vt efficaci subsidio adiuuet, secundum quod scriptum est: apprehendisti manum dexteram meam, &c. Nam cum hominis natura, non sit valdè generosa, & satis idonea vt malum effugere queat, quodammodo nobiscum certat Deus, & duplex beneficium concedere videtur; persuadens admonitionibus vt subsidium inueniamus; & fortius illud præstans, quam vt malum præsens & violentum præualere possit.* En duplex gratiæ auxilium scilicet minus (quod si velis, sufficiens vocabis) & aliud efficax, quod vocat, fortius quàm vt malum præualeat.

Confirmatur ex D. Augustino locis proximè citandis. Et primò quidem lib. de Spiritu & litt. c. 32. *Vult autem Deus, inquit, omnes homines saluos fieri & ad agnitionem veritatis venire: non sic tamen vt eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel malè vtentes, iustissimè iudicantur. Quod cum sit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum eius Euangelio non credunt; nec ideò tamen eam vincunt, experturi in supplicijs potestatem eius, cuius in donis misericordiam contempserunt: ita voluntas Dei semper inuicta est.* Seu vt loquitur D. Fulgentius lib. 2. ad Trasym. *Virtus illa (sc. Dei) insuperabilis est.*

Idem in Enchirid ad Laurent. cap 96 ait, *Quantalibet sint voluntates Angelorum & hominum vel bonorum vel malorum: vel quod Deus, vel aliud volentes, quàm Deus: Omnipotentis voluntas Dei semper inuicta est.* Ac tandem lib. de cor. & gratia cap. 14. *Deo volenti saluum facere* [*intellige de efficaci & absolutâ voluntate*] *nullum hominum resistit arbitrium.*

XXX. Verùm vt euidentius rem istam exponamus, eodem ferè modo loquendum est de efficaci & inefficaci auxilio Dei: ac de voluntate eius quæ est causa rerum vt ait D. Tho. 1. p. q. 19. a. 4. Hæc autem efficacia Diuinæ voluntatis non est distinguenda penes vniuersalem finem quem Deus intendit,neque penes impletionem Diuinæ voluntatis ex parte suâ, quasi voluntas inefficax sit quæ frustratur: efficax verò quæ impletur: ratio est, inquit, D. Tho. loco suprà citato art. 6. quia, *Nihil fit extra ordinem causæ vniuersalis: vnde quod recedere videtur à voluntate Diuinâ secundum vnum ordinem, relabitur in ipsam secundum alium* Ideò hoc modo semper impletur, sicque semper dicenda esset efficax, Dei voluntas. Sed efficacia vel inefficacia sumitur per comparationem ad particulares effectus ex parte creaturarum: ita quod quando effectus exit à suâ causâ, talis qualis naturaliter debet & potest esse, tunc voluntas Dei, aut auxilium quod est causa illius effectus, dicitur efficax: quando verò non exit à sua causa, tunc dicitur inefficax.

Quibus si addatur, vt ad propositum propius faciens, id quod docet Doct. Angelicus 1. 2. q. 111. a. 2. vbi ait, *Duplex est gratia habitualis* [*cui etiam vt diximus, nomen gratiæ sufficientis tribuitur in iustis*] *effectus sicut & cuiuslibet alterius formæ, quorum primus est esse*, Secundus *operatio*. Ex quibus inferendum est, quod sicut sol producens calorem, non dicitur habuisse efficaciam, ex eo quod calor terram calefecerit, seu in hac vel illa planta receptus sit, in quibus potest esse impedimentum naturale, siue ex indispositione materiæ, siue aliunde proueniens, ratione cujus impedimenti nullus prodibit effectus. Ita quędam est motio Primi Mouentis, seu qualitas ab illo communicata agentibus liberis,quæ semper quidem habet effectum formalem: nam si Deus illuminet, tangit aut mouet hominem; sine dubio ille illuminatur,tangitur aut mouetur: sed quod ex illa illuminatione, tactu aut motu; homo velit vt debet, operetur, aut opus in debitum finem prosequatur ac perficiat; ex quibus solis, auxilium aliquod dicitur habuisse efficaciam; longè aliud est; Nec vnum cum altero est confundendum. Ideò, D. Thomas 1. 2. q. 111. a. 2. arg. 2. cum sibi objecisset, quod gratia quæ est accidens non potest agere in subjectum præfata distinctione vtitur dicens, *Secundum quod gratia est qualitas quædam accidentalis, non agit in animam effectiuè, sed formaliter sicut albedo dicitur facere album superficiem.* Albedo autem semper dealbat subiectum in quo est: vnde si ex effectu formali, gratia aliqua deberet dici efficax: nulla esset, quæ efficaciam non diceretur habuisse. Et hoc decepit quosdam Modernos.

Ex altero ergo capite pensenda est gratiæ efficacia, nimirùm aut ex operatione, vt in iis, in quibus operatio est finis: aut per ordinem ad effectum finalem per se intentum.

XXXI. Sic igitur dicamus cum Aluarez disp. 84. n. 9. *Quando sunt actus supernaturales imperfecti, & ex naturâ suâ ordinantur ad alios actus, sicut cogitare, desiderare & petere: tunc auxilium quod dicitur efficax comparatione horum actuum, non debet dici efficax simpliciter, sed secundum quid.* Sicut Etyops non dicitur albus, sed niger, licet sit albus secundum quid, scilicet secundum dentes.

Et in eodem sensu Eruditissimus Diui Thomæ Interpres & defensor Syluius in 1. 2. q. 106. a. 2. ait, *Habitus infusi quos Deus omnibus Filijs suis confert, sicut sufficientes, ita etiam efficaces sunt ad animam eiusque potentias exornandas & ad reddendas eas promptas ad benè operandum.* Quo in testimonio efficacia hæc dicitur secundum effectum formalem ex parte creaturæ, huiusmodi ornamenta gratiæ à Deo recipientis. Sed quia vnumquodque denominatur ex eo quod est simpliciter, & præcipuè ex fine: hinc est, quod auxilium aliquod non dicitur efficax, nisi in debitum finem perducat.

Deinde: plures esse diximus gratiæ effectus: ergo non est vni aut alteri effectui, ac primo præsertim tribuendum, quod ad vltimos, ac fortasse ad omnes simul pertinere non immeritò iudicatur. Atqui ita sentiendum est de gratiæ efficacia, vt à posterioribus gratiæ effectibus, aut certè ab omnibus simul sit hæc denominatio accipienda. Porrò sic illos expressit Isaïas cap. 54. *Quomodo descendit imber de cælo, &c.*

inebriat terram, infundit, & germinare eam facit, & dat semen serenti & panem comedenti. Sic erit verbum meum: non reuertetur ad me, vacuum: sed faciet quæcumque volui & prosperabitur, &c. Non ergo ex formalibus seu primis gratiæ effectibus iudicandum est, de gratiæ efficacia, ex eo sc. quod terram cordis inebriet aut infundat, nec fortè, ex eo quod eam germinare faciat: nam vt ex Augustino diximus, *Non sufficit concipere, sed & parere opus est.* Verùm ex posterioribus, ex quibus sic prosperare dicitur vt det semen serenti & panem comedenti.

XXXII. Supposito ergo auxilio sufficienti, siue pro gratia excitante, siue pro operante [Quibus homines vt ait Cajetanus 1. 2. q. 111. arg. 2. visitat Deus non solùm in conuersionis initio, sed pluries in vita.] Siue pro gratia habituali sumatur. Fateamur quidem, impossibile esse, quod Deus v. g. illuminet intellectum, & intellectus non sit illuminatus: quod moueat voluntatem, & voluntas non sit mota: seu, vt nos, qui (vt loquitur Apostolus) *Dei agricultura sumus*, cœlestibus imbribus irriget Deus, & nos non simus irrigati, quia vt iam dixi, relatiua sunt simul intellectu & natura: Sed quod gratia v. g. habitualis in anima sit recepta (quæ vt operans, semper suum habet effectum formalem, qui est, gratam efficere animam, illamque exornare) Et quod eadem gratiâ vtamur, sitque principium actus qui ex libero arbitrio procedere debet, vt ipsa in vacuum non dicatur accepta, aliud planè est. Et ad hoc secundum, contendunt Thomistæ necessarium esse, vt Deus optimus det benignitatem, alioquin terra nostra non dabit fructum suum, ita lib. 2. de pecca. merit. c. 17. seu vt nobis operantibus à Deo motis & excitatis, Deus ipse cooperetur perficiens, quod operatus est, incipiens; & hoc fit per auxilium efficax, quod ex misericordia & liberalitate Dei datur non ponentibus obicem, seu non interrumpentibus cursum spiritualis generationis, secundum quam accepimus potestatem Filios Dei fieri. Idcircò, sicut fœtus verè dicitur posse animari in materno vtero, vt ait D. Thomas, quia ad hoc mater disponit ac concurrit, quamuis anima rationalis à solo Deo infundatur, ita in præsentiarum dicendum est: licet gratiam efficacem, per quam agens ad debitum finem peruenit, aut intentum producit effectum, solus Deus largiatur, per quam gratiam fit, vt effectus, sit à Deo totus, & totus à creatura, sed priùs à Deo per quem omnia, quàm ab illa, quæ sine illo non solùm perficere, sed nec incipere potest. Tamen semper possumus huic gratiæ resistere, nec vnquam sic agimur, quin & ipsi agamus, tantòque magis liberè quantò efficacius à Deo præmouemur: quoniam vtrumque, id est, vt agamus, & vt agamus liberè, à Deo intenditur.

Tantoque magis liberè, dixi. Quia per præmotionem Dei, libertas creata perficitur. Etenim indifferentia actualis & positiua (quæ est facultas agendi & non agendi) est perfectior potentiali & priuatiua: nam prima est perfectio simpliciter simplex, quæ est in Deo formaliter: non autem secunda. Sed præmotio transfert libertatem ab indifferentia potentiali ad actualem, quia facit vt agens liberum, actu velit: præstatque vt semetipsum in suo scilicet ordine determinet: ergo libertatem creatam reddit perfectiorem, auffert enim ab illa aliquem defectum & imperfectionem, nempè suspensionem siue carentiam actus, quam habebat toto tempore quo nihil agebat.

XXXIII. Igitur siue Deus nos moueat, etiam ad primum velle, id est, faciat vt primò velimus bonum, qui anteà malum volebamus, vt contingit in aliquibus actibus in quibus absque consilio & præuio motiuo mouemur à Deo: semper mouet ille liberum arbitrium: suauiter quidem & iuxta suum modum, ita vt eius motioni possimus resistere: siue gratiam iustificantem infundat, cooperamur: quia vt ait D. Thomas 1. 2. q. 111. a. 2. ad 2. [Deus non sine nobis nos iustificat, quia per motum liberi arbitrij dum iustificamur, Dei iustitiæ consentimus: ille tamen motus, inquit, non est causa gratiæ, sed effectus.] Quapropter Deus in quacumque occasione siue sufficientem, siue efficacem largiatur gratiam, semper præcedit; quod solùm tuentur Thomistæ in propugnanda prædeterminatione physica: nam & hoc insinuant sola gratiæ excitantis & operantis nomina: sicut & præuenientis & adiuuantis, quibus facit Deus vt faciamus, præbendo vires & dando virtutem & fortitudinem plebi suæ, vt loquitur Vates Regius Ps. 67.

Cum verò creatura gratiam Dei sufficientem in vacuum recipit, aut Spiritui Sancto resistit de facto, quem ob defectum seu culpam meritò priuatur prædicto efficaciori subsidio Dei. Tunc huius defectus creatura est prima causa, & quidem sola iuxta, illud: Perditio tua ex te ô Israel. Nec est necesse, vt in hoc Deus opt. præcedat, quia tunc creatura non efficit, sed deficit, qui defectus in Deum non reducitur, sed sola entitas actus, sicut nec in animam claudicatio, sed in curuitatem tibiæ, aut in neruorum debilitatem quamuis ab anima sit quidquid est motus & virtutis. Hoc nos docuit Doct. Angel. in cap. 1. Ioa. lect. 2. [Sicut ars, inquit, non est principium seu causa alicuius defectus in artificiatis, sed per se est causa perfectionis ipsorum & formæ: ita & Verbum, quod est ars Patris plena rationum viuentium, non est causa alicuius mali vel inordinationis in rebus, & præcipuè mali culpæ, quod habet perfectam rationem mali. Sed huius mali causa per se, est voluntas creaturæ, siue hominis, siue Angeli, liberè declinans à fine ad quem naturaliter ordinatur, &c. ideò malum est defectus voluntatis, non alicuius artis.

XXXIV. Iam nodus difficultatis est, vtrum nos simus causa, cur Dei dona in nobis valeant, an Deus ipse? Seu vtrum illud Dei auxilium, de quo superius, sit ex natura sua efficax independenter à voluntate creata, nihil in ea præsupponens, aut ab ea necessariò expectans vt tale sit, id est, efficax, vt volunt Thomistę qui per tale auxilium & liberum arbitrium sic asserunt produci effectum, vt totus sit à Deo, & totus etiam principaliter à libero arbitrio, idque vt loquitur D. Bernardus, opere indiuiduo: nihilque esse in effectu libero, reale, quod causatum non sit à Deo, tanquam à prima radice totius entis, omniumque eius modorum: siue nihil esse in palmitibus quod non sit ex hac vite, ex qua sicut causis secundis competit esse, ita & agere?

An verò auxilium illud quod efficax dicitur, non sit tale, nisi quia illud quod sufficiens erat, per liberum arbitrium efficax fiat: ita vt talis efficaciæ causa, sit voluntas creata, quæ præstet maiorem hunc vigorem, quàm haberemus per solam gratiam sufficientem? Grauis est controuersia.

Posteriorem hanc sententiam quæ auxilium Dei sufficiens asserat fieri efficax per creaturam seu per liberum arbitrium creatum, vt Thomisticæ prædeterminationi (præter alias rationes Theologicas) directè oppositam, hac de causa, nunquam approbare potui.

Et licet hanc opinionem quibusdam ex Societate Patribus tribuant non pauci, semper tamen oppositum credere malui, saltem in ipsorum pluribus, ac præcipuis, quàm de viris doctrina & pietate conspicuis, vel leuiter dubitare. Et hoc tantò libentiùs & accuratiùs mihi persuadere studui, quòd huius instituti lumen præfulgidum Bellarminus lib. 1. de gratia & lib. arb. c. 12. asserat,

gratiam fieri efficacem ex consensu, esse opinionem alienam omninò à sententia Sancti Augustini, immò & à sententia Diuinarum Scripturarum.] Atqui, inquit, D. August. Epist. 7. [Si ratio contra Diuinarum Scripturarum authoritatem redditur, quantumlibet acuta sit, fallit verisimilitudine: nam vera esse non potest. Seu vt dicitur in Concilio Lateranensi sub Leone x. sess. 8. [Cùm verum vero minimè contradicat, omnem assertionem veritati illuminatæ fidei contrariam, omninò falsam esse necesse est.

XXXV. Et præter præfatum Bellarmini testimonium, nemo est, qui suum in animum facilè non inducat Religiosos illos Patres de gratia Diuina augustiùs sentire, quàm vulgò credatur, si aduertat à Reuerendo admodùm Societatis Iesu Præposito Generali, strictissimè cautum, ne sui hanc docerent opinionem, quæ scilicet gratiam sufficientem asserat fieri ex voluntatis creatæ consensu efficacem. Decretum illius referunt Tannerus & Paulus Leonardus ex eadem Societate 1. 2. d. 6. q. 1. d. 5. de gra. & p. 2. n. 55.

Dicamus igitur cum Thomistis vnanimi ferè omnium Doctorum consensu, præter vocationem sufficientem quæ tribuit homini [Posse consentire] requiri etiam vt quis actualiter consentiat [Vocationem efficacem] qua fiat consentiens. Ita Aluarez disp. 55. n. 13. Et vt nullus sit tergiuersationi locus, dicimus illud speciale auxilium esse efficax per se, & ex natura sua. Tantòque fidentiùs id profitemus, quòd iam vix vllus sit qui contradicere ausit. Sapientissimusque à Sacris Cōfessionibus Regis Christianissimi Pater Annatus lib. in quo tit. Cauilli pag. 29. apertè confiteatur [Summum Pontificem id, in quo dissident Thomistæ à Iesuitis, disputationi reliquisse, nec attingere controuersiam voluisse de gratia per seipsam efficaci.] Quam cum Clemente 8. & coram successoribus eius Summis Pontificibus Thomistæ semper propugnarunt.

Nec hoc dixit ille, nisi graui de causa: nouerat enim quàm sepè Summus Pontifex viuæ vocis oraculo declararat, de gratia per se efficaci, Thomistico sensu accepta, vlla in re violanda ne quidem cogitasse: Thomistico sensu, dixi: qui talis est: vt sicut gratiæ sufficienti etiam interiori sæpè resistimus: ita nullum esse auxilium gratiæ adeò potens & efficax, cui non possimus resistere. Immò, de industria à præfato P. Annato prędictum opus euulgatum esse existimo, vt debitam Summo Pontifici reuerentiam testaretur, qui prædecessorum suorum vestigijs insistens in hac gratia per se efficaci propugnanda, ne vllus esset de eius mente dubitandi locus, viuę vocis oraculo, in gratiam Thomisticæ Doctrinæ Scriptum adiunxit: nam in quodam Breui ad Episcopos Galliæ directo, mentionem fecit, cuiusdam decreti Sacrę Inquisitionis, in quo expresse habetur controuersiam de auxilijs, eodem in loco ab Innocentio x. relictam, quò illam Clemens VIII. & Paulus v. reliquerant. Vbi ergo hanc ille reliquit controuersiam de gratia per se efficaci, libenti animo & ipsi relinquimus: omniaque eius decreta circa quinque propositiones Domini Iansenij damnatas, pari demissione animi veneramur. Et vt nullus, sub auxilij efficacis nomine, anguem, vt aiunt, in herba latere suspicetur: nihil de hac gratia per se efficaci, hic iterùm atque iterùm sentire me profiteor, nisi id quod apud Summum Pontificem, vt verissimum & acceptissimum quotidie docetur: quod aliud non est, quam cuicumque gratiæ etiam efficacissimæ semper possit hic humana libertas resistere: prout Religiosæ Carmelitarum discalceatorum & Dominicanorum familiæ vbique, cæteræque per orbem Acadamiæ profitentur, quæ istud gratiæ per se efficacis auxilium adeò vnanimiter recipiunt, vt nullæ excludant.

XXXVI. Quod si, de ipsa Societate Iesu, ex vno eius defensore R. P. Annato, vt par est, iudicandum potiùs, quàm ex priuatis quibusdam, qui aut tacito nomine, aut alieno ementito, inscijs Superioribus suis, & fortasse reclamantibus vt ætate nostra contigit, scripta euulgant; nullus iam superest illis prætextus dissidij aduersus Thomistas. Ille siquidem, totius, vt arbitror, Societatis nomine, libro idiomate Gallico aduersus Doctores quosdam, quos Ianceniſtas vocat, Parisiis edito, cui titulus est, ***Bona fides Iancenistarum***, Apud Florentium Lamber anno 1657. pag. 61 & 62. in resp. ad 17. Epist. habet quæ sequuntur. [Gratia efficax duplici modo defendi potest, quorum ille hæreticus est, hęreticis principijs nixus: Alter Orthodoxus, sanctis Authoritate Conciliorum principijs suffultus. Primum sequitur Caluinus, & ideò hæreticus est. Catholici Doctores, Thomistæ, Scotistæ, Sorbonistę, Iesuitę de secundo consentiunt: & propterea, varijs licet concertationibus distracti, tamen in eadem & indeuulsâ Ecclesiæ communione permanent. Ergo vt explores, inquit, an Iansenius defendendę gratię efficacis professione sit immunis, illud indagandum, quo pacto illam defendat: tanquam Caluinus, an tanquam Catholici Doctores. Caluinus ita gratiam efficacem defendit, vt ab illa nullam aliam nobis relinqui libertatem putet, nisi eam quæ dicitur à coactione: Cęterum ab ista gratia, agendi necessitatem imponi, quę potestatem auferat resistendi quandiu gratia perseuerat. &c. Catholici Doctores inter se consentiunt, gratiam per se efficacem ita regere voluntatem, vt vim & potestatem resistendi ei non adimat: ita vt hæc duo inter se componantur: gratia in voluntate & in eadem voluntate sub gratia constituta sufficiens, non consentiendi potestas: nec dubitant quin hic verus sit Concilij Tridentini sensus, in his verbis [Potest dissentire si velit. Hactenùs R. Pater Annatus, Thomistas ab hęresi labe abstergens, quam alij in ipsos summam per calumniam resperserant. Et Thomisticam protinùs rationem exhibemus (missis nunc alijs) cur gratię licet efficacissimę semper possimus resistere: quam breuiter expressit Aluarez disp. 115. de aux. n. 3. quia, *Potentia ad vnum actum, non repugnat potentiæ ad actum contrarium: nec etiam repugnat actui contrario: actus autem contrarij repugnant in eodem subiecto*, Sed de hoc infrà vsque ad satietatem.

XXXVII. Caluini opinionem asserentis solam coactionem esse libertati contrariam, summa detestatione semper execrati sunt Thomistę, & profanam hanc hęreticorum nouitatem, quę hominis dignitatem, eiusque liberam agendi facultatem, in brutorum, etiam spontè & non coactè agentium, conditionē deprimat, adeò fortiter oppugnarunt, vt eorum plures pro opposita, id est, libertatis tuendę indifferentia pro meritis hic comparandis necessaria sanguinem profundere non dubitarint, vt testantur Dominicanorum historię. Idcircò & diebus nostris condemnationem cujusdam propositionis ab Innocentio x. factam, rursùmque ab eius Successore Alexandro VII. (quem Deus opt. viuificet, conseruet & beatum faciat) confirmatam, quæ sic habebat: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsę non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Tota animi demissione, sicut & cæterarum quatuor ibidem expressarum syncerè susceperunt omnes Physicæ Prędeterminationis Assertores. Porrò, in Pręmotione, hoc solùm tuentur Thomistę velut in radice. quod fusiùs & explicatiùs sub vocabulo gratię per se efficacis superiùs relato, Scriptura, Patres & Concilia contra hęreticos defendunt, & de quo vt sapientissimè ait prædictus P. Annatus

tus

tus, *Catholici Doctores inter se consentiunt*, Et secundum quam opinionem, *In eadem & indeuulsâ Ecclesia communione permanent.*

XXXVIII. Quod si, vt ait Vincentius Lirinus in commonit. *Omnium vel certè penè omnium Sacerdotum pariter ac Magistrorum definitiones sententiasque sectamur; & quidquid non vnus, aut duo tantùm, sed omnes pariter vno & eodem consensu, apertè, frequenter & perseueranter tenuisse, sensisse, docuisse cognouerit quisque id sibi quoque intelligat tenendum.* Quis amplius gratiæ per se efficacis prætextu, quo voluntariè ludunt aliqui vt aliis illudant, Prædeterminationi Thomisticæ aduersetur? quam ritè intellectam, re & nomine ab omni specie malâ penitùs alienam demonstrabimus: gratiæ autem per se efficacis, ne nomen quidem attingere cordi fuisset; nisi ex hac parte, inuictas, vt sibi videbatur, argumentorum machinas adduxissent aduersus Thomistas oppositæ sententiæ Authores, quibus meum hic silentium efficax fortè fuisset victoriæ argumentum.

Denique nihil hic causæ esse arbitror, cur tanto calore nonnulli Moderni contendant, omne auxilium Dei debere dici efficax, ex eo scil. quod aliquem habeat effectum putà formalem: nam tunc tantùm efficax censeri debet, quando res perficitur, siue id fit quod ex illo connaturaliter intra proprium ordinem fieri potest ac debet: non verò ex eo quod aliquid vtcumque fiat seu fieri incipiat: v. g. aliud est quod aliquis concupiscat desiderare iustificationes Dei, & quod illas de facto desideret: itidem quod quis erga egenum aliquâ compassione moueatur, & quod et re ipsa subueniat: si enim Deus illum mouet, nihil certius est, quàm quod ille moueatur: sed illic sistere non debet; nam illi inde incumbit, vt opus, quod ei præcipitur, perficiat: quod si efficere omiserit, in hoc ipso peccatum committit. Vnde ait D. Angel. 1. Tess. 5. lect. 2. in med. *Cum aliquis bonus motus surgit, & ipse impedit, extinguit Spiritum Sanctum. Act. 7. Et vos semper Spiritui Sancto restitistis.* Multò melius ergo auxilium Dei in sufficiens & efficax distinguitur, quàm fortasse discriminaretur, vt aliqui volunt, in imperfecté efficax, ex eo scilicet quod priores tantùm det dispositiones, seu voluntatem paruam, quæ nondum desiderat, sed quæ solum concupiscit desiderare, vt loquitur Vates Regius; & in illud quod omnino & perfectè efficax est, ex eo quod vel finem attingat, vel intentum producat effectum.

Hoc tamen præ oculis mentis semper habendum, vt sub auxilij sufficientis nomine, nulla quoque subrepat occasio deceptionis, sumendo *Sufficiens*, pro sufficientiâ, vltra quam nihil amplius requiratur: sed secundum rem ad quam significandam institutum est gratiæ sufficientis vocabulum modo superiùs explicato, quia præter auxilium sufficiens quod dat *posse*, aliud necessarium est, scilicet efficax, quod à Deo non denegabitur iis, qui ei obicem non posuerint, seu in fide nihil hæsitantes postularint.

XXXIX. Nec mirum cuiquam esse debet, quod tandiù, tantùmq; insudarim hoc in verbo (Prædeterminatio) propugnando aut enucleando: Quia intolerabile est, quod in verbum à D. Thomâ, ac pluribus sanctis Patribus prolatum, probatum, & expressum; ne dicam Theologiæ, sed & Philosophiæ basim & fundamentum, scientiæ Professores impingant: & ob hoc (quod grauius est) tot strenuos Religionis Christianæ defensores, tetrâ hæreseos maculâ respergere non metuant; Tùm quia, vt ait D. Augustinus, seu studiosus Abbreuiator ipsius: *Tunc à nobis limes fidei sanæ defenditur, quando termini quos posuerunt sancti Patres non transferuntur, immò obseruantur & defensantur.* Quod si vt ait S. Præsul lib. de quant animæ c. 7. *Homines ipsi, quorum profectò maxima altitudo est, si ratione velint comprehendere, similitudinibus rationum facile decipiuntur in varias noxiasque opiniones ita labuntur, vt emergere inde ac liberari aut nunquam aut egerrimè queant: his ergo vtilissimum est excellentissimæ Authoritati credere.* Quis (inuidiæ remoto liuore) hoc in Theologico negotio (vbi res est ita singularis vt omni careat exemplo) Quis enim Deo ipsi, *Et in agendis similis Deo, in Filiis Dei?* non annuat Theologorum facilè Principi, Diuinę volũtatis Interpreti Angelico Doctori firmissimè me infirmum adhęrere? Tùm vel ex eo maximè quod vt prudentissimè nos admonet D. Basylius Epist. 60. *Fidem recentiorum ab aliis conscriptam nos nec acceptare debemus: neque ipsi, mentis nostræ fœtus aliis obtrudere, ne humana putentur pietatis verba; sed quæ à Sanctis Patribus docti sumus.*

XXXX. Quid de gratiâ sentirem (Erudite Lector) fortasse prolixiùs quàm par esset testatus sum: quod tamen nulli exosum fore existimo, cui perspicuum fuerit me aliter non potuisse in propugnandâ Prædeterminatione Thomisticâ institutum perficere; quâ in re impugnandâ tot hactenùs perperam vsi sunt Authores oppositæ sententiæ, & Patrum & Scripturæ testimoniis, in quibus cùm gratiæ aut auxilij nomen legeretur, facilè fuisset nonnullis calumniandi ansam ex silentio meo arripere, vt in pluribus nostra ætate factum est, vel saltem aliqualis ratio suspicionis, me aut veritati aperiendæ non accuratiùs studuisse, aut graui horum argumentorum mole pręgrauatum, apparentibus illis ac fucatis rationum momentis satisfacere non potuisse. Omnibus ergo quorum intererit (supposito semper & saluo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ iudicio, cui in vita & in morte velle me firmissimè adhærere, iterum atque iterum protestor) notum esse peropto sanctorum Patrum de quibus hactenùs ac deinceps vestigiis me insistere quantùm Deus opt. dederit; ac præcipuè hoc in opere, in Angelici Doctoris, eiusque Sanctissimi Pręceptoris Augustini verba iurasse, vt de ipsis cum ipso lib. 1. ad Iulia. c. 5. dicere possim, *Quod credunt, credo: quod tenent, teneo: quod docent, doceo*: Si tamen docere liceat discipulo.

Finis Libri Primi.



LIBER SECVNDVS

IN QVO TOT IAM RATIONVM MOMENTIS Prædeterminatio Thomiſtica illuſtratur, quot hactenùs opinionum nebulis obducta tenebatur: ideò tot capitulis rem totam (fauente Numine) ob oculos ſecundo hoc in libro ponemus, quot & in præcedenti protulimus, vt eius originem, progreſſum & æquitatem aperiremus; ita vt in illis, vel horum quolibet, nihil ſit vel leuiter prælibatum, quod in hoc efficaciùs confirmatum non iudicetur.

CAPVT RRIMVM.

In quo neceſſaria duo doctrinæ D. Thomæ fundamenta præmittuntur, pro capienda Prædeterminationis Thomiſticæ naturâ.

I. REM nimis arduam, ideòque auſu fortaſsè temerariam hic aggrederer, ſi hanc, cuius gratia hoc opus exaratur, Prædeterminationem cunctis perſuadere mihi pollicerer: quinimò plures à me reperiri poſſe pro oppoſito non diffiteor, hoc opere nondum conſulto; tùm quia vt ait Ariſtoteles, Multa falſa ſunt probabiliora veris; tùm quia longè plures ſunt, qui ſenſum & imaginationem, quàm qui iudicium & rationem ſequantur, quibus ſolis patet hic ſingularis ſupremæ Cauſę concurſus. Hoc ergo nuſquam mihi venit in mentem, cui ſit gratiſſimum vt in ſuo ſenſu quiſque abundet, dummodò alios non ita ſtolidos arbitretur, vt hanc apud D Thomam, aut deprehendere non valeant; vel certè ita timidos velit eſſe, vt illam defendere non audeant: hoc ſiquidem cæcitatis voluntariæ non leue eſſet argumentum in re tàm manifeſta; iſtud verò grauiſſimum ſocordię præiudicium modò refugere hanc ingredi ſemitam, tot annorum ſæculis tritam, tamque multâ ac inſigni tot illuſtrium Athletarum turmâ, circumſeptam.

Sed vt ſolidum ſit huius diſcuſſionis iudicium, exoſaque pluries eadem repetendi vitetur neceſſitas; quædam fundamenta doctrinæ priùs iacienda duximus, quæ ſi inconcuſſa permaneant ac firma, nullus macerię metus, nullaque ruina metuenda.

Primum eſto de quo, vel dubitare, nefas ſit Chriſtiano, ſcilicet Primum Agens eſſe rerum omnium principium, cauſam omnis entis, omniumque eius differentiarum & motuum creaturæ rationalis, ac denique omnis formalitatis creatæ, ita vt reale nihil ſit, quantumuis exiguum, quod eius cauſalitatem ſubterfugere poſſit: ita D. Thomas 1 p. q. 44. a. 1. o. Quod non ſolùm verum eſt in iis quæ à Deo facta ſunt, ſed & in iis quæ à Deo quotidie fiunt, iuxta illud: Pater meus vſque modò operatur, & ego operor; Idque, non vtcumque ſed immediatè, vt ait idem D. Thomas q. 3. de potentia a. 7. in fin. *Cùm Deus ſit ſua virtus, & intra rem quamlibet, non ſicut pars eſſentiæ, ſed ſicut tenens rem in eſſe, ſequitur quod ipſe in quolibet operante immediatè operetur, non excluſâ operatione voluntatis & naturæ.* Iterumque legi poteſt ibidem ad 4. vbi docet, *Quomodo tàm Deus, quàm natura immediatè operentur, licet ordinentur ſecundum priùs & poſteriùs.* Et hoc explicat S. Doctor ſuperiùs in corpore articuli eiuſdem, his verbis, *Si, inquit, conſideremus ſuppoſita agentia, quodlibet agens particulare eſt immediatum ad ſuum effectum: ſi autem conſideremus virtutem quâ fit actio, ſic virtus ſuperioris Cauſæ erit immediatior effectui, quàm virtus inferioris: nam virtus inferior non coniungitur effectui, niſi per virtutem ſuperioris, vt dicitur libro de Cauſis, quod virtus primæ Cauſæ priùs agit in cauſatum & vehementiùs, &c.*

II. Et ne quis in hoc immediato concurſu Cauſæ primæ ad ſingulos actus, impugnando, confugere poſſit ad concurſum quo Deus res in ſuo eſſe continuò conſeruat, aut ad virtutem quam illis à principio contulit, quæ in vnoquoque eſt habitualiter, etiam quando agens non agit actu; Notet quod cùm ſibi obieciſſet D. Thomas, *Non oportere quod Deus poſtquam virtutem naturæ contulit, vlteriùs ad eius operationem aliquid operetur*: Ad 7. eiuſdem articuli, quęſt. de potentia, ſic reſpondet, *Virtus naturalis quæ eſt rebus naturalibus in ſua inſtitutione collata, ineſt eis, vt quædam forma habitualis habens eſſe ratum & firmum in natura. Sed id quod à Deo fit in re naturali quo actualiter agat, eſt, vt intentio ſola, habens eſſe quoddam incompletum per modum quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento Artificis*, Quid clarius? Cumque iterum ſibi obieciſſet, quod ignis, v. g. ſemper calefaciat ex neceſſitate naturæ, abſque eo quod virtuti eius naturali aliquid vltra de nouo ſuperaddatur.

Ad 8. ſic reſpondet, *Quod neceſſitas naturæ, per quam calor agit, conſtituitur ex ordine omnium cauſarum præcedentium: vnde non excluditur virtus primæ Cauſæ.* Et ſenſus eſt, quod hæc virtus quam Deus actu communicat rebus, ſemper quidem communicat agentibus neceſſariis: & ſi aliquando hanc communicare deſinat, iam illa nullam habent operationem; & tunc eſt miraculum, vt contigit in fornace Babylonica, vbi propter huiuſmodi concurſus Dei ſuſpenſionem, ignis non comburebat: In aliis verò agentibus, quæ aliquando agunt, & aliquando non, hanc virtutē cõmunicat Deus pro actuali operatione opportuno tempore: vnde tàm in his, quàm in illis

exigit Sanctissimus Doctor, vt illa actu agant.

Ac tandem cùm sibi proposuisset ipse, quod hominem non verè reliquisset Deus in manu consilij sui, Eccl. 15. Si necesse esset, vt in eius voluntate primum agens semper operaretur: Confirmans quæ supra dixerat, omniaque prædicta, Ad 12. ait, *Quod Deus non dicitur hominem dereliquisse in manu consilij sui, quin in voluntate operetur; sed quia voluntati hominis dedit dominium sui actus, vt non esset obligata ad alteram partem contradictionis, quod quidem dominium naturæ non dedit, cùm per suam formam sit determinata ad vnum.* Legendus ille totus Artic. cum suis responsionibus. Idemque ait 1. contra Gent. c. 63. in fine, *Dominium, inquit, quòd habet voluntas supra suos actus, per quod in eius potestate est velle & non velle, excludit determinationem virtutis ad vnum, & violentiam causæ exterius agentis, non autem excludit influentiam superioris causæ, à qua est ei esse & operari, & sic manet causalitas in causa prima, quæ est Deus respectu motuum voluntatis.*

Et ne oriatur ex prædictis verbis, ex *Ly determinatio*, aliqua animi præoccupatio: quam determinationem dicemus esse duplicem, vnam in agentibus liberis, quæ eorum non officit libertati, sed proficit: alteram in naturalibus & necessariis: & inter hæc duo agentium genera, (quantùm ad præsens spectat similia, pro hac scilicet immediata à Deo dependentia) hoc interim discrimen aduertat eruditus Lector, quod tetigit Angelicus Doctor 1. p. q. 47. a. 1. ad 1. [Agens per naturam agit per formam per quam est, quæ vnius tantum est vna, & ideò non agit nisi vnum: agens autem voluntarium, &c. agit per formam intellectam, ideò licet sit vnum, potest multa facere. Idemque insinuat ipse 3. contra Gent. c. 70. *Sicut agens infimum inuenitur immediatum actiuum, ita virtus Primi Agentis inuenitur immediatà ad producendum effectum &c. Et sic virtus, inquit, supremi Agentis inuenitur ex se productiua effectus quasi causa immediata. Sicut igitur non est inconueniens quod vna actio producatur ab aliquo agente, & eius virtute: ita non est inconueniens quod producatur idem effectus ab inferiori agente, & à Deo, ab vtroque immediatè.*

Nullus ergo est D. Thomæ addictus, qui pro hac immediatione de qua loquitur ille, confugere possit ad virtutem, quam res in sui creatione à Deo accepit, quia vix vllus vnquam dubitauit, quominus creatura à Deo immediatè conseruetur, virtusque naturalis vnicuique permanens, ab eo tribuatur: imò & hæretici hoc vltrò admittebant, quamuis nollent hanc immediationem Diuini concursus admittere in actualibus virtutum operibus, vt aliquam inde haberent occasionem gloriæ in se, non in Domino: quâ immediatione pro actuali operatione, stabilitur actualis dependentia à Deo in quolibet actu, pro qua militant Thomistæ in propugnanda Prædeterminatione Physicâ.

III. Et cùm diximus Primum Agens esse causam immediatam rerum omnium & omnis modi entis, quia, vt ait D. Thomas, *Immediatè operatur in natura & voluntate, non excluſâ earum operatione,* Hoc non minùs verum est in vno, quàm in altero: quia cùm modus libertatis in agentibus liberis non sit aliquid fictitium & rationis, eorumque consensus & determinatio sit maxima perfectio, vtpote nobilissimis creaturarum, scilicet Intellectualibus competens, liberumque sit longè perfectius spontaneo quod brutis conuenit (quodque reale est, & à Deo causatum, nemine contradicente) & habere libertatem in actu secundo; qualis est in eo qui actu liberè operatur, multò sit præstantiùs, quàm illam habere tantùm in potentia; concipi non potest quomodo illa perfectio non sit quoque immediatè à Deo causata.

Et ex hoc solo principio plusquam sufficienter probaretur Thomistica Prædeterminatio, etiam in agentibus liberis in quibus difficilior est concertatio, seu influxus Causæ Primæ in liberum hominis arbitrium ad causandum eius determinationem & consensum in bonum: Ratio est, quia causa illa quæ operatur omnia, nihil supponit aut expectat ab aliis causis, quod ipsa priùs ordine naturæ & simul tempore non faciat, siquidem facit omnia: Ergo repugnat quòd talis causa offerat tantùm aliquem concursum indifferentem ad amandum vel non amandum, v. g. ad consentiendum vel non, &c. Et relinquat causæ secundæ determinationem in quacumque partem voluerit, vt illo vtatur vel non vtatur, vt consentiat vel non: ita vt nihil efficaciùs possit præstare Deus, quin officiat libertati, nec aliquid ab eo vltrà petere audeamus, quo peruersi alicuius & indurati, indifferenti huic concursui resistentis, cor inclinet in testimonia sua: quia determinatio nostræ voluntatis, ille vsus, consensus hic laudabilis & meritorius debet quoque causari à Deo: si enim causat omnia, vt de fide certum est; ergo & hęc prædicta. Atqui omnis causa præcedit effectum (& hic loquimur de causa efficiente non morali) En igitur ipsius Præmotionis seu Prædeterminationis verum fundamentum, ne ampliùs ludant verbis nonnulli, qui vt aliis illuderent, admittunt quidem præmotionem, non verò prædeterminationem, asserentes à Deo non posse aliter creaturam præmoueri, aut ad bonum determinari, quàm eo modo quo præmouet homo globum in plano existentem in vnam partem circumferentiæ, qui sæpè non peruenit ad terminum quem intenderet agens, sicut nec sagitta quæ sæpè sæpiùs destinatum non attingit scopum.

IV. Nec dici potest hanc voluntatis creatę determinationem fieri à Deo per alium concursum indifferentem, quia de hoc iterùm inquireretur causa determinationis voluntatis, quod enim non est determinatum non determinat, sicut quod non est calidum non calefacit, & sic in infinitum: ergo deueniendum est ad aliquem concursum ex se determinatum qui valeat voluntatem determinare iuxta suum modum, illęsâ eius indifferentiâ & libertate, qui concursus est à solo Deo vt à Causa Prima & radice omnis vsus & cooperationis creaturæ, non minùs quàm aliorum. Vel ex opposito fundamento dicendum esset, aliquid oriri à Creatura scilicet hanc determinationem, consensum & operationem, & non à Deo, quod vel suspicari hęresim sapit Manichæorum.

Et cum suppositâ motione morali in agentibus liberis quę est ex ostensione obiecti, &c. de qua nullus vnquam dubitauit, quia nihil volitum, nisi pręcognitum, nullus superſit concursus quo vnum agens possit esse causa effectiua alterius, præter pręuium, Pręmotionis nomine à Thomistis expressum, quem proprium esse Primo Agenti infrà demonstrabimus, vel simultaneum, qui proprius est causę particulari simul cum alia partialiter tantùm operanti: Si huius posterioris. 1 simultanei ostendatur insufficientia, imò & impossibilitas ad causandam voluntatis creatę determinationem aut consensum, eodem momento præuij concursus necessitas elucescit. Atqui hunc non sufficere, seu non posse esse causam determinationis voluntatis, siue quòd voluntas sese determinet in hunc actum amoris, v. g. sic demonstramus: quia concursus Dei simultaneus est tantum cooperatio Dei cum voluntate, cum qua simul producit effectum eodem modo (vt ipsi fatentur) quo duo homines ferunt pondus, aut trahunt nauim, quorum neuter influit in actionem alterius, sed tantum simul in effectum: ergo concursus simultaneus non potest esse causa huius determinationis voluntatis, seu quod hæc consenserit ad hoc faciendum, quia omnis causa est prior effectu, hic autem con-

cursus Dei non est prior voluntate, nec influens in illam, sed tantum simul cum illa, vt volunt: Ergo aut Deus non erit causa determinationis voluntatis, aut præuius Dei influxus erit necessariò admittendus, quod solum intendunt Thomistæ.

V. Cùm autem diximus Primum Agens esse totius entis creati causam, seu nihil esse reale quod non sit à Deo causatum, hoc sobriè intelligendum, non quasi per hoc dicere voluerimus creaturam nihil efficere, vt malè interpretantur aliqui, quibuscum nihil nobis esse commune iterum atque iterum præmonemus, sed tantum per hoc indicare studuimus, nihil esse in palmitibus quod non sit ex hac vite. i. à Deo, vt à prima & intima radice, quæ omnia portat, seu vt loquitur Doct. Angel. *Sustinet in esse*, quia vt iam diximus lib. præcedenti ex Conc. 2. Arausica. Can. 20. Multa facit Deus in homine, quæ non facit homo, *Sed nihil facit homo, quę non præstet Deus, vt faciat homo*, Quo tamen non obstante veram rationem causæ etiam principalis sibi vendicat homo.

Et in hoc sensu, ait D. August. quod dona sua coronet Deus, cùm bona creaturæ merita pręmiatur, quæ vtique nulla essent sine gratia, quæ misericorditer & gratis datur (nam si ex operibus, iam non est gratia) cum qua tanta possunt esse merita quibus ipsa iustitiæ corona sit reposita: hoc tamen dicetur esse à Deo & verè, sicut si Princeps gratis daret militi mille aureos, quibus ille postea equum ab illo emeret: Etenim illi equum daret, & quidem ex iustitia illi dare deberet, & tamen priùs & principaliter totum esset ab illo donatum.

Et fundamentum huius Doctrinæ, quod tibi pro nunc detegendum relinquo, reperies apud Angel. Doctorem 1. p. q. 21. a. 4. o. vbi ait, *Opus Diuinæ Iustitiæ, semper præsupponit opus misericordiæ, & in eo fundatur; creaturæ enim non debetur aliquid, nisi propter aliquid in ea præexistens, vel præconsideratum: Et rursus si illud creaturæ debetur, hoc erit propter aliquid prius, & cùm non sit procedere in infinitum, oportet deuenire ad aliquid, quod ex sola bonitate Diuinæ voluntatis dependeat, &c. Et sic in quolibet opere Dei misericordia, quantum ad primam radicem eius: Cuius virtus saluatur in omnibus consequentibus, & etiam in eis vehementiùs operatur: sicut causa primaria vehementiùs influit, quàm causa secunda.*

Idipsum eleganter à D. Bernardo expressum reperies Tract. de gratia & lib. arb. his verbis, *Cæterum, inquit, qui fecit quod saluaret, etiam dat vnde salues: Ipse, inquam, merita donat, qui fecit, quibus donaret*, Et ibidem suprà, *Deus autem noster ante sæcula, cùm operatus est salutem in medio terrę, dona sua quę dedit hominibus, in merita diuisit & pręmia, vt & pręsentia per liberam possessionem nostra interim fierent merita, & futura per gratuitam sponsionem expectaremus vt debita*, Vnde & exclamat Celestinus primus Epist. ad omnes Epis. Gallicanos, *O Dei bonitatem! quę nostra vult esse merita, quę sua sunt dona: Et pro his quę nobis largitus est, pręmia æterna est collaturus.*

VI. Vnum ergo hic pię oculis semper habendum pręmoneo, quod cùm dicimus Deum Opt. agere cum causis secundis, hoc non est ita intelligendum, quasi essent duo agentia merè partialia, quorum vnum hinc esset, & indè alterum, nihil ab alio recipiens ad agendum, quod de Deo sentire respectu creaturæ quę continuò dependet ab eo, totumque recipit ab eo, cùm conseruatio continua sit productio, vitium esset imaginationis, quæ sensibilia non transcendit, & quæ assidua esset ac permanens deceptionis causa, quatenus vt causa particularis tantum consideraretur Deus, cùm re verâ sit vniuersalissima & principium, primaque radix omnis operationis creaturæ, etiam vt ab illa egredientis, magis quàm anima sit principium & radix actionum ab intellectu & voluntate egredientium. Ideò vt præclarè admonet Eminentissimus Cardinalis Toletus lib. 2. Phys. c. 3. tex. 38. q. 8. concl. 4. *Oportet eleuare mentem & intelligere de Deo glorioso, qui cum his causis sic operatur, vt simul & ipsæ operentur, sed à Deo motę & directę, sicut instrumenta ab Artifice.* In quo tamen deficiat comparatio, seu quomodo dicatur creatura, instrumentum Dei, quamuis sibi vendicet rationem causæ principalis respectu sui effectus, postea, Deo fauente, aperiemus.

SECVNDVM Fundamentum est: Causam primam rerum, quæ est voluntas Dei, esse efficacissimam, ex qua efficacia prouenit, vt fiat id quod Deus fieri voluerit, eodemque modo, quod idem est, ac Deum dicere, causam substantię actus & modi ipsius liberi formaliter vt liberi: quod non plenè capiunt, qui ex efficacia à Deo proueniente, libertatem creaturæ lædi metuunt. Pręcipuũ huius Doctrinę fundamentũ apud Ang. Doct. reperies 1. p. q. 19. a. 8. in o. [Cùm voluntas Diuina, inquit, sit efficacissima, non solùm sequitur quod fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant quo Deus vult fieri: Vult autem Deus quędam fieri necessariò, quædam contingenter, vt sit ordo in rebus ad complementum Vniuersi: & ideò quibusdam effectibus, aptauit causas necessarias quę non possunt deficere, quibusdam contingentes, &c] Et ad 2. ait, [Ex hoc ipso quod Diuinę voluntati nihil resistit, sequitur quod non solùm fiant ea quę Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter, vel necessariò, quia sic vult fieri.

Eadem ratione vtitur q. 23. de verit. a. 5. *Voluntas Diuina, inquit, est agens fortissimum, vnde oportet eius effectum ei omnibus modis assimilari, vt non solùm fiat id quod Deus vult fieri, quod est quasi assimilari secundum speciem; sed vt fiat eo modo, quo Deus vult illud fieri, vt necessariò, vel contingenter, citò vel tardè, &c. Et sic non dicimus quod aliqui diuinorum effectuum sint contingẽtes solùm propter contingentiam causarum secundarum, sed magis propter dispositionem Diuinæ voluntatis, quæ talem ordinem rebus prouidet.* Idemque insinuat lib. 1. contra Gentes c. 85. ipsissimis ferè verbis, à quibus referendis libentiùs supersederem, nisi indicare expediret quàm sibi hac in re semper cõstans fuerit Doctor Angelicus, ait siquidem, *Efficacia Diuinæ voluntatis exigit, vt non solùm fit quod Deus vult, sed etiam vt hoc modo fit sicut vult Deus esse illud, nam & in agentibus naturalibus, cùm virtus agens est fortis, assimilat sibi suum effectum, non solùm quantùm ad speciem, sed etiam quantùm ad accidentia, quæ sunt quidam modi ipsius rei: igitur efficacia Diuinę voluntatis contingentiam non tollit.* Quod si ab illo quæras, quî fieri possit vt ex aliqua causa indeficienter sequatur effectus, saluâ eius contingentiâ? Non aliam assignat à prędicta causam, *Voluntas Dei, inquit, cùm sit vniuersalis rerum causa, non solùm est de hoc quod aliquid fiat, sed vt sic fiat: hoc igitur ad efficaciam Diuinę voluntatis pertinet, vt non solùm fiat quod Deus vult, sed vt hoc modo fiat, &c.*

VII. Ac tandem cùm sibi obiecisset Sanctus Doctor q. 6. & vnica de malo argu. 3. quod, *Si voluntas hominis immobiliter mouetur à Deo, homo non habeat liberam electionem suorum actuum.*

Ad Tertium sic respondet, *Bruta animalia mouentur per instinctum superioris agentis ad aliquid determinatum secundum modum formę particularis, cuius conceptionem sequitur appetitus sensitiuus. Sed Deus mouet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam vir-*

tutis mouentis quæ deficere non potest. Sed propter naturam voluntatis mota, quæ indifferenter se habet ad diuersa, non inducitur necessitas, sed manet libertas. Sicut etiam in omnibus prouidentia Diuina infallibiliter operatur, & tamen à causis contingentibus proueniunt effectus contingenter, in quantùm Deus omnia mouet proportionaliter vnumquodque secundum modum. Et hìc velim aduertas quomodo D. Thomas pro conciliandâ libertatis humanæ indifferentiâ cum Diuina voluntate, semper recurrat ad omnipotentiam Dei, ex qua prouenit vt aliquid fiat, & eodem modo, quo Deus fieri voluerit.

Nec alio fretus principio de hac mirabili & ineffabili concordia liberi arbitrij vnquam loquutus est D. Augustinus; nam Tom. 3. lib. de corr. & gratia c. 14. postquam ex vna parte, motionis Diuinæ efficaciam expressit his verbis: *Deo saluum facere volenti, nullum hominis resistit arbitrium. Sic enim velle & nolle in volentis aut nolentis est potestate, vt Diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem: de his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipse quod vult.*

Et ex altera parte volens ostendere Sanctus Præsul libertatem in iis viris, qui Deo sic disponente, Dauid in Regem constituerant, ait: *Suâ voluntate vtique isti constituerunt Regem Dauid, &c. Quis hoc neget? Non enim hoc, non ex animo, aut non ex bona voluntate fecerunt corde pacifico, & tamen hoc in iis egit, qui in cordibus hominum quod voluerit operatur, &c. Dominus omnipotens, qui erat cum illo, id est cum Dauide adduxit istos, vt eum Regem constituerent. Et quomodo adduxit? Numquid corporalibus vllis vinculis alligauit? Intus egit, corda tenuit, corda mouit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit.* Quomodo autem id totum ab eo ita factum conspiciatur? Nihil ab ipso audies, nisi, *Quod Deus magis haberet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas.*

VIII. Rursumque aduertat Lector non aliter loquutum sanctissimum Præsulem eodem cap. de iis, sub quibus Deo placuerat Regnum Dare Saüli: nam & de iis ait, *Quod vtique in eorum positum erat voluntate, vt etiam Deo valerent resistere*, En libertas creaturæ. Si autem quæris quomodo hic populus de facto non restiterit Deo? Respondet ibidem Sanctus Antistes ab ipso Deo factum esse, *Per ipsorum hominum voluntates, sine dubio Deus habens humanorum cordium quò placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem.* Et hinc patet ex omnipotentia Dei, omnes difficultatis nodos quàm citiùs dissolui in isto omnium negotiorum intricatissimo: à quo fundamento quicunque hactenùs recesserunt, & ipsi errarunt, aliosque in errorem miserunt. Denique non aliter sapiebat D. Bernardus Tract. de gratia & lib. arbit. *Attingit Deus, inquit, à fine vsque ad finem, &c. Attingit autem fortiter, non quidem mobili discussione, vel locali diffusione, vel subiectæ creaturæ tantùm officiali administratione; sed substantiali quadam & vbique præsenti fortitudine, quâ vtique vniuersa potentissimè mouet, ordinat, administrat, &c. Attingit fortiter dum nihil horum euenit, quod non prout vult, potenti ordinet prouidentiâ.*

Ex quibus principiis sternitur via, & quidem facilis in Prædeterminationem Physicam: si enim Deus sit causa totiùs entis, omniumque eius differentiarum ac motuum creaturæ, eaque efficacissima, facilè erit inferre, ab ipso Deo ita præueniri quidquid habuerit rationem entis, vt illius causa efficiens dici possit nihil ambiendo, præsupponendo, aut expectando à creatura quod ipse non faciat, seu cuius non sit causa. Sed maioris claritatis gratiâ, sit:

CAPVT SECVNDVM.

Sequuntur duo alia D. Thomæ Principia, quibus positis faciliùs Prædeterminatio Thomistica suadetur: nulloque ferè negotio mira eius concordia cum libertate creata quantùm hac in vita possibile est, in sequentibus capietur.

I. DEVS non solùm est causa facultatum operandi, sed etiam ipsarum operationum, seu non solùm dat potestatem operandi liberè, id est voluntatem; sed & ipsum voluntatis actum seu volitionem causat, & quidem immediatiùs, quàm ipsa creatura, vt ex D. Thoma probauimus cap. præcedenti ex quæst. 3. de potentia a. 7. Et quia in Deo nulla est suppositi & virtutis distinctio, estque intra rem quamlibet, nec minus in voluntate creata (quam solus ingreditur) quàm in quacumque alia re: ita articulum citatum vniuersaliter concludit Interpres Diuinæ voluntatis pro hac immediata Dei causalitate, tàm in agentibus liberis, quàm in necessariis, *Sequitur, inquit, quod ipse in quolibet operante immediatè operetur, non exclusa operatione voluntatis & naturæ.*

Et hæc est Pilula quam aliqui deglutire non potuerunt, ex quibus vnum referam qui in Epist. dedic. suæ concord. in D. Thom. de D. Thoma ait, *Congessit in Theologicam summam, illud pulcherrimum Dominicanæ familiæ, atque adeò reipublicæ Christianæ astrum quidquid studio quæsitum, ingenio elaboratum, industriâ perfectum, religione sanctum, bonis mortalibus vsui profuturum videtur, &c.* hæc Molina.

Qui non obstante magnifica existimatione, postea in eadem concordia disput. 26. in principio referens D. Thomæ Doctrinam 1. p. q. 105. a. 5. *Docentis Deum dupliciter operari cum causis secundis, Primò tribuendo eis virtutes ad operandum, & conseruando eas in esse: Secundò eas ad operandum mouendo & applicando sicut artifex applicat securim ad scindendum,* ait, *Duo autem sunt quæ mihi difficultatem pariunt circa doctrinam hanc D. Thomæ: Primum est: quòd non videam quidnam sit motus ille & applicatio in causis secundis quâ Deus illas ad agendum moueat, quin potiùs existimem ignem sine vlla sui mutatione calorem in aquam sibi admotam inducere.* Nota hoc exemplum de igne, præuisum fuisse ab Angelico Doctore, longeque anteà solutum, vt patet capite præcedenti, ex q. 3. de potentia artic. 7. ad 8. vbi ait. *Necessitas naturæ per quam calor agit, constituitur ex ordine omnium causarum præcedentium: vnde non excluditur virtus Primæ Causæ.* Et ibidem ad 10. suppositâ diuersitatis ratione inter Deum & agens creatum, *Sicut imperfectum, inquit, indiget perfecto, ita virtus naturæ in agendo, indiget operatione Diuinâ.*

Posteaque addit idem pater Molina ibidem, *Quare ingenuè fateor mihi valdè difficilem esse ad intelligendum motionem & applicationem hanc, quam D. Thomas in causis secundis exigit.*

II. Hoc referre placuit Primò, vt innotescat quàm religiosè Pater ille recedat ab Angelico Doctore in eo quod sibi nimis arduum & difficile videbatur sine vlla iniuria, aut animi exasperatione, quem vtinam imitati essent illi qui prætextu facilitatis, huius Patris

Doctrinam sequi maluerunt, quàm Angelico Doctori adhærere, qui eò processerunt (ne duriùs loquar) vt in iniurias, morsus, & dicteria in Thomistas effusi sint moremque sequendi eius doctrinam, tertiò ab ipso Christo comprobatam, vocare ausi sint, *Cæcam & superstitiosam seruitutem*, aliaque id genus nomine Christiano penitùs indigna: Quis si veri fuissent Molinæ discipuli, eius vtique fuissent & modestiam & moderationem imitati.

Secundò, Illud non omittendum existimaui vt interim discant aliqui hanc Præmotionem, non solùm à Thomistis (vt sæpiùs criminati sunt) sed ab ipso D. Thoma traditam, ipso Molinâ Iudice oculatissimo: idque in vltimo eius opere; id est, in Summa, cui. 1. Molinæ, non minùs quàm D. Thomæ, in hoc contradicunt, dum vt iugum citò excutiant, numquam à D. Thoma traditam hanc Præmotionem fuisse, aut de ea sententiam retractasse audacter affirmare non erubescunt.

Prædictum ergo principium ita est apud Sanctiss. Præsulem August. & D. Thomam compertum, vt ad reuocandum illud in dubium cæcutire oporteat in meridie; nam hic lib. de gratia & lib. arb. cap. 21. ait, *Agit omnipotens Deus in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, vt per eos agat, quod per eos ipse agere voluerit.* Quod postquam pluribus Scripturæ testimoniis confirmauit, sic concludit, *His & talibus testimoniis Diuinorum Eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum esset, satis quantum existimo, manifestatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit.*

Ille verò loquens vniuersaliter de omnibus causis ait 1. p. q. 105. a. 1. ad 3 *Hoc ipsum quòd causa secunda ordinantur ad determinatos effectus, est illis à Deo.* Et ne vlla posset esse pro voluntate creata tergiuersatio, ait suprà loco citato a. 4. ad 2. *Moueri voluntariè, est moueri ex se, id est, à principio intrinseco; sed illud principium intrinsecum potest esse ab alio principio extrinseco: & sic moueri ex se, non repugnat ei quod est moueri ab alio.*

Et comparatione facta vtriusque causæ, id est, naturalis & voluntariæ respectu motionis primæ Causę, sic ait D. Thomas 1. p. q. 83. a. 1. ad 3. *Deus est Causa prima mouens & naturales causas, & voluntarias: & sicut naturalibus causis, mouendo eas, non aufert, quin actus earum sint naturales: ita mouendo causas voluntarias, non aufert quin actiones earum sint voluntariæ; sed potiùs hoc in eis facit: operatur enim in vnoquoque secundum eius proprietatem.* Ex quibus notandum est apud D. Thomam certum esse, à Deo per modum causæ agentis voluntatem moueri, & per hanc motionem fieri, vt actiones voluntatis liberæ sint & voluntariæ, sicut fit vt actiones causarum naturalium sint naturales: ait enim *hoc in eis facit* non dicit, expectat.

III. Neque vllum est inconueniens timendum pro libertate, quia illud mouens quod propter naturæ præstantiam dicitur extrinsecum, est quoque intrinsecum, vt dicemus, principij intrinseci scilicet voluntatis & animæ proprium, quam sustinet in esse: Ideò D. Thomas 1. p. q. 105. a. 4. ad. 1. ait, *Sic igitur Deus mouendo voluntatem non cogit ipsam, quia dat ei propriam eius inclinationem.* Dat autem Deus causando: ergo &c.

Et ne quis confugeret ad latebras dicendo D. Thomam intelligendum esse de motione solùm per modum obiecti allicientis quæ est moralis & extrinseca voluntati: non verò de effectiua causalitate quæ est intima & intra voluntatem, & quæ fit per præmotionem: duplicē hanc motionem distinxit D. Thomas loco citato a. 4. q. 105. 1. p. *Voluntas, inquit, mouetur ab obiecto quod est bonum, & ab eo qui causat virtutem volendi.* Et postquam ostendit voluntatem posse moueri moraliter, seu sicut ab obiecto à quocumque bono, quamuis non sufficienter plenè & efficaciter nisi à summo bono: addit de altero modo qui est per modum virtutis à causa efficiente prouenientis, *Quod virtus volendi prouenit à solo Deo, volitio autem nihil est aliud quàm inclinatio in obiectum voluntatis quod est bonum vniuersale, ad quod inclinare proprium est Primi Mouentis, cui proportionatur vltimus finis: vnde vtroque modo proprium est Dei mouere voluntatem, sed maximè secundo modo, interiùs inclinando.* Hoc ergo quod ait D. Thomas maximè proprium Deo, & maximè proprium est ac singulare Thomistis pro ipso sustinere; ne vsque adeò deprimatur Supremum illud Agens, vt nullus ei supersit agendi modus, qui creaturæ non possit competere: At hoc priuilegio gaudet Deus concursu præuio.

Verùm quia in hoc ferè tota difficultas consistit, vt ostendamus Deum non solùm causare facultatem volendi, seu voluntatem: sed & velle & operari in creatura rationali (saluâ eius libertate & indifferentiâ ob rationem ex eius omnipotentia deductam) id est, actum seu volitionem ipsam effectiuè, & quidem immediatè, vt dictum est, inclinationem causando: Notandum est quod cùm hanc sententiam probasset Doctor Angelicus 3. contra Gentes cap. 89 ex Scripturæ testimoniis, &c. referens opinionem contrariā, quæ fatetur quidem (vt etiam hodie multis placeret), Deum causare virtutem volendi, id est, potentiam, non verò ipsum actum: sic ait, *Quibus quidem authoritatibus Sacra Scriptura resistitur euidenter. Dicitur enim Isa. 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine: vnde non solùm virtutem volendi à Deo habemus: sed etiam operationem. Prætereà hoc ipsum quod Salomon dicit: Quocumque voluerit, vertet illud, ostendit diuinam causalitatem non solùm ad potentiam voluntatis extendi, sed etiam ad actum ipsius. Item Deus non solùm dat rebus virtutem, sed etiam nulla res potest propriâ virtute agere, nisi agat in virtute ipsius, vt suprà ostensum est: ergo homo non potest virtute voluntatis sibi datâ vti nisi in quantum agit in virtute Dei: illud autem in cuius virtute agens agit, est causa non solùm virtutis, sed etiam actus: quod in artifice apparet, in cuius virtute agit instrumentum etiam, quod ab hoc artifice propriam formam non accipit, sed solùm applicatur ab ipso ad actum: Deus ergo est causa in nobis non solùm voluntatis sed etiam volendi.*

At si ex D. Thoma, vt constat euidenter, causat Deus ipsum motum voluntatis nostræ, atque adeò ipsius consensum, qui volitio nostra est, potuit ne efficaciùs confutari figmentum illud quod asserit necessarium esse pro conseruanda libertate, vt Deus tantùm offerat voluntati creatæ concursum indifferentem, expectando consensum à voluntate creata, quæ sese ad hoc vel illud determinet seu actum suum immutet, quasi hoc Deus non possit sine libertatis læsione: quod est D. Thomæ prorsùs oppositum.

Nam ait q. 22. de verit. a. 8. *Sicut omnis actio naturalis est à Deo, ita omnis actio voluntatis, in quantum est actio, non solum est à voluntate vt immediatè agente, sed à Deo, vt à Primo Agente qui vehementiùs imprimit: vnde sicut voluntas potest immutare actum suum, in alind, vt ex dictis patet, ita & multò ampliùs Deus.*

IV. Et hoc est verè, & longè augustiùs de Deo sentire qui nihil contulit creaturæ quod sibi multò perfectiori modo non reseruarit: at an non effectiuè, efficaciter & absolutè voluntas nostra quoties,

quomodo, & in quodcumque voluerit immutat suum actum? Et vbinam apud D. Thomam necessitas vt offerat Deus aliquem concursum indifferentem & indeterminatum, expectando vt voluntas suum actum immutet, aut suum producat actum? Si enim Deus producit omnem actum bonum voluntatis, possitque immutare ipsum, multò meliùs & perfectiùs quàm voluntas ipsa, vt, ait D. Thomas loco suprà citato: quænam in Deo hæc necessitas ambiendi aut expectandi vt creatura consentiat, quam ipse possit consentientem efficere, consensumque illius per illam & cum illa causare, quam nisi sic efficeret & immediatè, non alio modo esset Deus causa illius consensus, quàm illo quem suprà ex Doctore Angelico, & Scripturæ, & rationi repugnare ostendimus.

Quod si ab aliquibus aliquid à Deo immediatè fieri dicatur, aliquid verò mediante creaturâ: non sic est intelligendum, quasi Deus aliqua immediatè efficicat, alia verò minimè, cùm æqualiter omnia præstet præsens in omnibus per essentiam; sed horum verborum sensus est: quòd aliqua sint à Deo solo, vt creare, quod scilicet fit sine vllo creaturę consortio, vt ait D. Tho. q. q. disp. q. 24. a. 10. o. (Et hoc dicitur à Deo immediate fieri.) Alia verò mediante creaturâ [Quam sicut sui esse participem fecit Deus, ita & causalitatis, vt ait D. Tho. 1. p. q. 22. a. 3 o.] Nec vnum magis, quàm alterum impedit quominus ab eo ex quo, per quem, & in quo sunt omnia, immediatè fiant, vt iam diximus ex q. 3. de pot. a. 7.

His Præmissis facile erit vltimum detegere fundamentum Prædeterminationis Thomisticæ, quod est, contingentiam, & libertatem voluntatis creatæ in operando reduci non solùm in voluntatem creatam tanquam in causam proximam & immediatam, sed & in causam primam, tanquam in primam radicem, ex qua primò & immediatiùs (in quo imaginatio est corrigenda) oritur omnis contingentiæ & libertatis modus in actu: & hinc fit, vt si voluntas creata sese ad aliquid determinare possit, aut actum suum ab vno in aliud transmutare sine vlla libertatis suæ lęsione, hoc possit Deus, & multò melius, vt dictum est, absque vllo libertatis pręiudicio: quia illud agens, quod in actu libero causat libertatem, non illam destruit, aut supponit, seu expectat ab alio producendam. Vel ex opposito fundamento dicendum esset aliquam perfectionē & quidem maximam à Deo voluntati creatæ datam, scilicet sese ad hoc vel illud determinandi, & ab vno ad aliud actum suum immutandi, quam ipse sibi non reseruarit, quod nemo sanæ mentis, dixerit: vtpotè & contradictionem inuoluens, & Deo indignissimum, in cuius ditione cuncta sunt posita, qui in manu sua habet corda filiorum hominum, vt in quamlibet partem ea inclinet omnipotentissimâ facilitate. vt loquitur Augustinus de peccatorum meritis & remis. cap. 19.

V. Sed Angelicum Doctorem audiamus super 1. Perier. lect. 14 [Voluntas Diuina (quæ est causa rerum) est intelligenda vt extra ordinem entium existens, velut causa quædam profundens totum ens, & omnes eius differentias: sunt autem differentiæ entis, possibile & necessarium, & ideò ex ipsa voluntate Diuina originantur necessitas & contingentia in rebus, & distinctio vtriusque secundum rationem causarum: ad effectus enim quos voluit esse contingentes, ordinauit causas contingenter agentes, id est, potentes deficere, & secundum harum conditionem causarum effectus dicuntur contingentes, quamuis omnes pendeant à voluntate Diuina, vt à Prima Causa quæ transcendit ordinem necessitatis & contingentiæ: hoc autem non potest dici de voluntate humana, nec de aliqua alia causa.

Quod efficacissimè confirmatur ex his quæ ait S. Doctor libr. 6. meta. lect. 3. in fine, [Sed si vlteriùs ista contingentia reducantur in Causam Altissimam Diuinam, nihil inueniri poterit quod ab ordine eius exeat, cùm eius causalitas extendat se ad omnia, in quantùm sunt entia, &c.] Nota sedulò prædicta verba, erudite lector.

Et postea addit ibidem [Relinquitur igitur quod omnia quæ hic fiunt, prout ad Primam Causam Diuinam referuntur, inueniuntur ordinata & non per accidens existere, licet per comparationem ad alias causas per accidens esse inueniantur, & propter hoc secundum fidem Catholicam dicitur, quod nihil fit temerè siue fortuitò in mundo, & quòd omnia subduntur Diuinæ prouidentiæ, &c.] Sciendum est, inquit, quod ex eadem causa pendet effectus & omnia quæ sunt per se accidentia illius, vt risibile, & mentis disciplinæ susceptibile: si autem aliqua causa non facit hominem simpliciter, sed hominem talem, eius non erit constituere ea quæ sunt per se accidentia hominis sed solùm vti eis: Politicus enim facit hominem ciuilem, non tamen facit eum mentis disciplinæ susceptibilem, sed hac eius proprietate vtitur ad hoc quòd fiat homo ciuilis. Sicut autem dictum est, ens in quantùm ens est, habet causam ipsum Deum: vnde sicut Diuinæ Prouidentiæ subditur ipsum ens, ita etiam omnia accidentia entis in quantùm est ens, inter quæ sunt Necessarium & Contingens: ad Diuinam igitur Prouidentiam pertinet non solùm quod faciat hoc ens, sed etiam quòd det ei contingentiam vel necessitatem, &c.] Quod quidem est singulare in hac causa, scilicet in Diuina Prouidentia, reliquæ enim causæ non constituunt legem necessitatis vel contingentię, sed constituta à superiori causa vtuntur, vnde causalitati cuiuslibet alterius causæ subditur solùm quòd eius effectus sit, quòd autem sit necessario vel contingenter, dependet ex causa altiori, quæ est causa entis in quantùm est ens, à quo ordo necessitatis & contingentiæ in rebus prouenit. Hęc ille.

VI. Ex quibus manifestissimè constat id quod pro fundamento posueramus, scilicet rationem contingentiæ & libertatis non solùm deriuari à Causa Prima, & in eam reduci, sed & ad nullam aliam causam pertinere nisi ad Primam, legem necessitatis & contingentiæ rebus imponere.

At ne quis à nobis voluntariè dictum existimet, nullum ex hac doctrina fieri præiudicium libertati, posseque voluntatem à Deo immutari, audiat hoc, ab ipso Doctore Angelico firmisimè stabilitum in q. q. disp. q. 22. de volunt. Dei, a. 8. in o. [Sicut lapidi ratione suæ grauitatis inest inclinatio ad locum deorsùm, hâc autem inclinatione manente, si sursùm proiiciatur, erit violentia: si autem Deus auferat à lapide inclinationem grauitatis, & det ei inclinationem leuitatis, tunc ferri sursùm non erit ei violentum, & ita immutatio motus potest esse sine violentia: & per hunc modum intelligendum est quod Deus voluntatem immutet sine eo quòd voluntatem cogat: Potest autem Deus voluntatem immutare ex hoc quod in voluntate operetur sicut in natura, vnde sicut omnis actio naturalis est à Deo, ita etiam omnis actio voluntatis in quantùm est actio, non tantùm est à voluntate vt immediate agente, sed à Deo vt primo agente, qui vehementiùs imprimit: vnde sicut voluntas potest immutare suum actum in aliud, ita & multò amplius Deus, &c.] De hac voluntatis immutatione, saluâ eius libertatis indifferentiâ longè anteà dixerat D. Bernardus tract. de gratia & lib. arb. [Potest quidem mutari voluntas, sed non nisi in aliam voluntatem, vt numquam amittat libertatem.

Ac eodem modo, eodemque semper nixus fundamento, scil. Dei omnipotentiâ, singularem hanc voluntatis mutationem, saluâ libertatis indifferentiâ explicuit Doctor Angelicus, vt patet ex 2. sent. dist. 25. q. 1. a. 1. [Deus operatur, Inquit, in voluntate & libero arbitrio secundum eius exigentiam, vnde etiàm si voluntatem hominis in aliud mutet, nihilominus hoc sua omnipotentia facit, vt illud in quod mutatur, voluntariè velit,] Sicque Glossam ad Rom. cap. 1. explicat, quæ asserit à Deo posse voluntatem hominum immutari in quocumque voluerit.

Et cùm dicitur quòd operetur Deus in voluntate sicut & in natura, accipe comparationem secundum id in quo vere fit, id est, quòd intùs & effectiuè Deus operetur, cùm in natura, tùm in voluntate: non verò quantùm ad modum, quia Deus operatur in natura vt ad vnum determinata: in voluntate indifferenter iuxta suum modum. [Agens enim per naturam (inquit D. Thomas) 1. p. q. 47. a. 1. ad 1. agit per formam per quam est, quæ vnius tantùm vna est, & ideò non agit nisi vnum: agens autem voluntarium agit per formam intellectam, & ideò licet sit vnum, potest multa facere.

Ac tandem ne quis effugere possit, dicendo voluntatem quidem immutari posse ab obiecto appetibili, non verò effectiuè & modo prædicto, quo Deus vt primum Agens, (cui essentialiter est subordinatum omne agens creatum) effectiuè voluntatem potest immutare, quem agendi modum, vt explicarent Thomistę, coacti sunt vocare nomine Pręmotionis aut Prædeterminationis physicę, ratione æquiuocationis subinductę ab ęmulis doctrinæ D. Thomæ.

Legat eumdem Angelicum Doctorem de verit. q. 22. quæ est de vol. Dei a. 9. o. [Voluntas, inquit, potest immutari ab aliquo sicut ab obiecto appetibili, & sic non quæritur hic de immutante voluntatem, hoc enim suprà ostensum est, quòd aliquod bonum de necessitate mouet voluntatem per modum obiecti, quamuis voluntas non cogatur: alio verò modo potest intelligi voluntas immutari ab aliquo per modum causæ efficientis, & sic dicimus quòd non solùm nulla creatura potest cogere voluntatem agendo in ipsam, quia hoc nec Deus poterat, sed nec etiam potest directè agere in voluntatem vt eam immutet necessario, vel qualitercumque inclinet, quod Deus potest: sed indirectè potest aliqualiter inclinare voluntatem aliqua creatura, non tamen necessariò immutare: ex parte quidem voluntatis immutare actum voluntatis non potest nisi quod operatur intrà voluntatem, & hoc est ipsa voluntas, & id quod est causa esse voluntatis, quod secundum fidem solus Deus est: vnde solus Deus potest inclinationem voluntatis quam ei dedit transferre de vno in aliud secundum quod vult] hęc D. Thom.

VII. Candide Lector, tuam coram Deo iam obtestor conscientiam, vt quid hac de re, seu huius nominis impositione sentias, palàm fateatis: per me licet, vt vocabulum excogites, quo Primi huius Agentis causalitatem ita exprimere valeas, vt ex eius notione deuenire possit quisque in cognitionem rei significatæ, quò tendit nominum impositio. Certus sum, te iudice, nullum magis idoneum inueniri posse, quam ly (*Præmotio, aut Prædeterminatio*) quod si, ly, *prę*, durioris tibi videatur digestionis, quàm si diceretur tantùm, *Motio & Determinatio*, scias quæstionem esse de nomine, nec minus Motionis quàm Præmotionis nomine significari, sicut nec plùs exprimi per ly, *Prędeterminatio*, quàm solo Determinationis vocabulo: quia vt iam dixi lib. 1. cap. 13. ex D. Thoma & Aristotele, Cùm motio mouentis pręcedat motum mobilis, ratione & causa: & causa sit semper prior effectu, siue dicatur quòd primum Agens, mouet secundum, siue quòd pręmouet, idem planè est, quia impossibile est vt aliquod agens dicatur primum, & quòd eius causalitas non præcedat cooperationem illius, quod illi fuerit essentialiter subordinatum: longè ergo meliùs dicitur, *Præmotio*, vt res significata, id est, Primi Agentis causalitas, solâ nominis significatione exprimatur, quàm si diceretur tantùm, *Motio*, in quo saltem apud imperitos aut minùs cautos lateret æquiuocatio: & cùm Primum Agens moueat causas secundas, etiam liberas, ad determinatos effectus, vt diximus ex D. Tho. in hoc cap. nec vnquam frustretur intentio Dei, in eo quod absolutè voluerit fieri, aliàs non esset omnipotens, ipso Prædeterminationis vocabulo vti necessarium fuit ad hanc certitudinem exprimendam & propugnadam contra eos qui Præmotionis abutentes nomine dicerent à Deo nos non aliter præmoueri, quàm à sagittario sagitta præmoueatur, quæ sæpiùs contra intentionem arcitenentis scopum non attingit, quod de Deo nisi indignissimè dici non potest.

Quare nullum existimo ab hac Præmotione Thomistica sic auersum, aut ei tàm vehementer aduersum, qui iam pro illa non stet, si præ oculis habeat quæ hactenus diximus, illo præsertim intùs loquente, quo silente mutum est os omne quod loquitur: & ad hoc quoque iuuabit si idipsum quod dictum est, compendiosè in memoriam reuocetur: quod si non omnibus necessarium iudicetur, fortasis quibusdam non inutile erit, aut superfluum: quid enim efficaciùs afferri potest pro prædicto principio in hoc capite posito, quàm quod ait D. Augustinus loco citato, scil. [Quod operetur Omnipotens in cordibus hominum, etiam motum voluntatis eorum, vt per eos agat, quod ipse agere voluerit [Seu Deum operari in cordibus hominum, ad inclinandas earum voluntates quocumque voluerit: vbi non est sermo, vt clamet, de concursu simultaneo qui non influit in actionem, sed in effectum, & consequenter causare non potest volitionem quæ est ipsius voluntatis inclinatio, aut illam ab vno ad aliud transferre, vt à Deo fieri testatur D. Thomas.

VIII. Quòd autem fieri non possit concursu simultaneo, patet exemplo: Potest v. g. Petrus fortissimus & libenti animo volens ferre pondus cum Paulo inuito & infirmiore: en effectus ab vtroque productus, scil. pondus translatum, & in hunc effectum est vtriusque partialis influxus, scil. volentis & inuiti, & actionis fortis ex vno, & debilis ex altero, nullus tamen fuit influxus vnius in actionem alterius, vnde & qui volens fert, nullam dat inclinationem socio inuito: nec fortis vllas præbet vires infirmiori, aliàs aut vterque esset volens, aut vterque inuitus, aut vtriusque actio fortis, aut vtriusque infirma & debilis, quod nullus vmquàm dixerit.

At Deus cùm vult, dat vires voluntati, & quidem efficacissimas, inclinationem etiam largitur inuito & reluctanti; Illam transfert ab vno in aliud, cordis duritiam auffert, &c, Quæ & similia nunquam concursus Simultanei nomine explicari potuerunt, sed Præuij, qui in causam influit, & consequenter in eius actionem & effectum per eam productum, iuxta conditionem suam & modum: Nec aliud exigunt Prędeterminationis Asserres, vt Vniuersalissimam Primi Agentis causalitatem tueantur: Ac pro ea quid efficaciùs afferri potest, quàm quod ex D. Thomâ retulimus in hoc cap. scil. *Esse à Deo quod causę secundę ordinentur ad determinatos effectus*, à quibus ne quis voluntatem exciperet, statim addidit, *Quod moueri voluntariè, est moueri ex se, id est, à principio intrinseco, quod potest esse ab alio extrinseco scil. à Deo*, Qui vt alibi dixit, non ita dicitur principium extrinsecum, quin etiam intrinsecum habeatur, vtpote sustinens

sustinens rem in esse; quique, *Sicut mouendo causas naturales, non impedit quominus earum actus naturales sint; sic mouendo voluntarias non aufert quin actiones earum sint voluntariæ.*

IX. Quid denique sibi vult quod tanto studio semper distinguit Doctor Angelicus, motionem moralem quæ est ex ostensione obiecti, quæ licet sit Deo propria, quatenus ipse potest ostendere rationali creaturæ omne bonum, (extra quod voluntas ferri non potest) manifestando se ipsum; & aliam, quam adhuc dicit magis Deo propriam, scil. *Quatenus interiùs inclinat voluntatem?* Nec dicere poterit quisquam, quòd dicatur Deus, *Operari velle, seu volitionem*, quia virtutem dedit volendi, id est, voluntatem, quia & hanc, & eius actum, seu volitionem, ait D. Thomas, à Deo fieri tanquam à Prima Causa, asserens opinionem oppositam esse Scripturæ contrariam, quia & ad ipsum actum efficaciùs, & immediatiùs, seu vehementiùs operatur Deus, quàm Creatura (vt ex eodem Sancto Doctore loco citato q. 22. de verit. a. 8. diximus,) ex quo fit, vt possit, Deus omnem actum voluntatis creatæ ab vno obiecto in aliud immutare, & multò melius quàm ipsa, qui ipsum ens, omnesque differentias necessitatis & contingentiæ ex se profundit; cuius causalitatem cum nihil possit subterfugere, commentitia conuincitur hæc ficta necessitas, quam habeat Deus expectandi aliquid à creatura, quod priùs ordine naturæ, vt prima radix & causa omnis entis ipse non efficiat; non obstante operatione voluntatis & naturæ, in quibus operatur immediatè vt agant, non vt ipsæ nihil agant, vt loquitur Sanctissimus Præsul Augustinus: Quod ab eo solo fieri potest, eodem iudice, tomo 9. de speculo, tract. 6. ex Abbreui. Sancti Augustini. *Qui opera sua, extra circumdat, & intra replet, supra regit, & infra fert; superior per potentiam, inferior per sustentationem, exterior per magnitudinem, interior per subtilitatem, &c.*

Quod si agens aliquod huic simile possint indicare, nos similitudinibus & exemplis à Creaturis desumptis, quibus importunè vtuntur, patientiùs nos grauari sinemus. Quod cùm adinuenire nequeant, patiantur si lubet, & ipsi tota animi demissione à nobis dici, *Quis sicut Dominus Deus noster?* Psal. 112.

Verùm quia ex prædicto D. Thomæ testimonio q. 22. de volunt. Dei a. 8. citato. *Nulla creatura potest directè agere in voluntatem, &c. quod potest Deus.* Tàm necessarium est inferre, Deum habere specialem agendi modum, quàm facilè suspicari vel dubitare, num scilicet sit ille qui velut Deo proprius & singularis, Prædeterminationis nomine propugnatur à Thomistis; vnde fit:

CAPVT TERTIVM.

Vtrum aliquis sit agendi modus Deo vt Primo Agenti proprius; & an ille sit, qui nomine Prædeterminationis Physicæ propugnatur à Thomistis.

I. Qvamvis ex ijs quæ in Procemio, libro præcedenti, pro totius operis fundamento & basi diximus, facilè posset inferri, & quidem demonstratiuè, singularem aliquam esse in Deo agendi prærogatiuam & modum, vtpotè in quo velut simplicissimo & omnis cōpositionis penitùs experte, vna sit Primi Agentis ratio: cui vt ait Augustinus tom. 9 de spec. tract. 6. *In his quæ diuerso disponit ordine diuersus non est.* Nulli tamen nisi sibi similis, & in agendo non minùs, quàm in essendo, cùm suum esse, suum sit & agere, vt ibid. dictum est: Attamen necessarium est hoc paulò fusiùs exponere, vt ex dicendis tertium deducere possimus argumentum, quo Præmotionis physicæ natura, ex singulari, quem sibi vendicat Deus agendi modo, euidentius innotescat.

Primo ergo Doctor Angel ad Hebr. 13. Lect. 3. in hæc verba: Aptet vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem, ait. *Dupliciter aptatur homo ad benè faciendum: vno modo exteriùs operando, & sic vnus homo aptat alium persuadendo vel commonendo; Alio modo aliquid interiùs exhibendo, & sic solus Deus aptat voluntatem, qui solus potest ipsam immutare. Prou. 21. Cor Regis in manu Dei, quocunque voluerit, inclinabit illud: vnde dicitur, Philip. 2. Deus est qui operatur in vobis velle & perficere.*

Secundo, Item D. Thomas q. q disp. q. 3. de malo a. 3. *Causa, inquit, mouens multipliciter dicitur: quandoque enim dicitur causa, id quod est disponens, vel quod est consilians: vel quod est præcipiens: quandoque verò dicitur causa, id quod est perficiens, & hæc propriè & vere causa dicitur, quia causa est ad quam sequitur effectus: ad actionem autem perficientis, statim effectus sequitur, non ad actionem disponentis, vel consulentis, vel imperantis: suasio enim non cogit inuitum, vt Augustinus dicit lib. 83. quæst.*

Postquam autem ostendit D. Thomas ibidem voluntatem posse moueri, & ab exteriori, & ab interiori; id est, obiectiuè & effectiuè; eamque à nullo obiecto ex necessitate moueri, nisi à Deo clarè viso, cui nec in hac vita inhæret necessariò; tandem concludit. *Relinquitur ergo quòd causa perficiens, & propria voluntarij actus sit solum id quod operatur interius, hoc autem nihil aliud esse potest, quàm ipsa voluntas, sicut causa secunda, & Deus sicut Causa Prima. Cuius ratio est, quia actus voluntatis nihil est aliud quàm inclinatio quædam voluntatis in volitum: sicut & appetitus naturalis nihil est aliud quàm inclinatio naturæ ad aliquid. Inclinatio autem naturæ est & à forma naturali, & ab eo qui dedit formam: vnde dicitur quod motus ignis sursum, est ab eius leuitate, & à generante, quod talem formam creauit: sic ergo motus voluntatis directè procedit à voluntate & à Deo qui est voluntatis causa, qui solus in voluntate operatur & voluntatem inclinare potest in quodcumque voluerit.*

Rursùmque volens S. Doctor ostendere differentiam inter Deum & quamcunque creaturam, quantùm ad modum agendi in voluntatem, ait ibidem ad 14. *Deus est author bonorum nostrorum operum, & sicut exteriùs persuadens, & sicut interiùs mouens:* Ex quo interim aduerte, id quod mouet per modum obiecti tantùm, dici mouens extrinsecum, quia quamuis tale obiectum sit verè per sui similitudinem intellectui intrinsecum, re verâ tamen dicitur extrinsecum voluntati, quam (excepto Deo benedicto) nihil ingreditur, vt Deo dante dicemus.

II. Tertiò D. Thomas 1. p. q. 57. a. 4. o. ait *Voluntas rationalis creaturæ soli Deo subiacet, & ipse*

solus in ipsam operari potest.

Idque accuratius discutiens 1. p. q. 105. a. 4. o. postquam prædictum hunc duplicem modum expressit quo voluntas creata ab aliquo moueri potest, effectiuum scilicet & moralem, & quòd à nullo alio obiecto moueri possit sufficienter & efficaciter voluntas creata nisi à Deo solo: quantum ad alterum motionis modum attinet, ait D. Angelicus, *Similiter autem & virtus volendi à solo Deo causatur: velle enim nihil est aliud quàm inclinatio quædam in obiectum voluntatis, quod est bonum vniuersale: inclinare autem in bonum vniuersale, est Primi Mouentis, cui proportionatur vltimus finis: sicut in rebus humanis, dirigere ad bonum commune est eius qui præest multitudini: vnde vtroque modo proprium est Dei mouere voluntatem, sed maximè secundo modo interiùs inclinando.*

Quartò inquirens Diuinæ voluntatis interpres q. 22. de verit. a. 9. [Vtrum aliquid possit immutare voluntatem, vel imprimere in ipsam, relicto motionis moralis modo, ac nominatim loquens de effectiuo? Respondet in corpore art. *Dicimus, inquit, quòd non solum nulla creatura potest cogere voluntatem agendo in ipsam, quia hoc nec Deus poterat: sed nec etiam potest directè agere in voluntatem, vt eam immutet necessariò, vel qualitercunque inclinet, quod Deus potest, &c. Ex parte quidem voluntatis mutare actum voluntatis non potest, nisi quod operatur intrà voluntatem, & hoc est ipsa voluntas, & id quod est causa esse voluntatis, quod secundum fidem solus est Deus, vnde solus Deus potest inclinationem volũtatis quam ei dedit transferre de vno in aliud secundum quod vult.*

Quintò ipsissimus vbique sibi Sanctus Doctor existens hàc vtitur distinctione 1. p. q 106. a. 2. Postquam ostendit motione morali nihil sufficienter mouere voluntatem nisi bonum vniuersale quod est Deus, adducens illud Exod. 33. Ostendam tibi omne bonum; ait, *Ex parte verò ipsius potentiæ, voluntas nullo modo potest moueri, nisi à Deo: operatio enim voluntatis est inclinatio quædam volentis in volitum: hanc autem inclinationem solus ille immutare potest, qui virtutem volendi creaturæ contulit, &c. solus autem Deus est qui potentiam volendi tribuit creaturæ.*

III. Et inquirens in sequentibus 1. p. q. 111. a 2. Vtrum Angeli possint immutare voluntatem hominis: Loquens de prædicto hoc motionis modo, qui est ab interiori, sic ait. *Cùm motus voluntatis non sit aliud quàm inclinatio voluntatis in rem volitam, solus Dei est sic immutare voluntatem, qui dat naturæ intellectuali virtutem talis inclinationis: sicut enim inclinatio naturalis non est, nisi ab eo qui dat naturam, ita inclinatio voluntaria non est nisi à Deo qui causat voluntatem.*

Sextò, De hoc interiori motu Dei respectu facultatum animæ, semper eodem modo loquitur D. Thomas in Matthæum cap. 23. nam explicans hæc verba Psal. 84. Audiam quid loquatur Dominus Deus, ait *Solius Dei est qui interiùs cor illuminat, & est exemplum manifestum in sanitate, Medicus sanat, quia aliqua exteriùs ministrat, sed natura principaliter sanat; Medicus verò quædam adminicula ministrat: sic est de scientia, quia principium est nobis à natura scilicet intellectus. Vnus qui docet, adhibet quædam auxilia doctrinæ, sicut Medicus ad sanitatem: sed solus Deus operatur in intellectu, vnde vnus est magister vester, Lucæ vult. Aperuit illis sensum, vt intelligerent Scripturas.*

Septimò, Item in cap. 13. Ioan. lect. 1. ait. *Sic immittere in cor (idest in voluntatem) potest esse dupliciter. Directè, & sic solus ille potest aliquid immittere in cor hominis, qui habet potestatem mouendi interiùs voluntatem eius, & hoc potest solus Deus, & ideò solus ipse potest Directè in voluntatem hominis imprimere, Prou 21. Cor Regum in manu, hoc est, in potestate Domini, &c. Quia verò voluntas mouetur ab exteriori obiecto sicut à bono apprehenso: inde est quòd qui suggerit aliquid esse bonum, dicitur ille mittere in cor hominis, indirectè faciendo ipsum apprehendere aliquid vt bonum ex quo voluntas mouetur: sed hoc contingit dupliciter, aut suggerendo exteriùs, & hoc modo etiam homo potest in cor aliquid mittere, aut suggerendo interiùs, & hoc modo immittit Diabolus, nam vis imaginatiua cùm sit corporalis, quando Deus permittit, subiecta est potestati Dæmonis; vnde siue vigilando, siue dormiendo, format in eâ aliquas species, ex quibus apprehensis mouetur voluntas hominis ad aliquid appetendum: sic ergo immittit Diabolus in cor hominis, non directè per modum mouentis, sed indirectè per modum suggerentis.*

IV. Octauò denique, ne totum hîc cogamur S. Doctorem exscribere, adhuc hoc vnum præ oculis habeat velim lector. [Nulla, inquit lib. 3. contr. gent. cap. 88. substantia creata potest agere in voluntatem, vel esse causa dilectionis nostræ, nisi per modum suadentis, &c. Solus igitur Deus potest mouere voluntatem per modum agentis, &c. Tertiò, sicut in re inanimata se habet inclinatio naturalis ad proprium finem, quæ appetitus dicitur naturalis; ita se habet in substantia intellectuali voluntas quæ dicitur appetitus intellectualis: inclinationes autem naturales dare, non est nisi illius qui naturam instituit: ergo & voluntatem inclinare in aliquid non est nisi eius, qui est naturæ intellectualis causa: hoc autem solius Dei est, sicut ex dictis patet lib. 2. cont. Gen. cap 21. Ipse igitur solus voluntatem nostram in aliquid inclinare potest, &c. si voluntas mouetur ab aliquo exteriori principio erit violentus motus: dico autem moueri ab extrinseco principio, quod moueat per modum agentis, & non per modum finis: violentum enim voluntario repugnat. Impossibile est igitur quòd voluntas moueatur à principio extrinseco quasi ab agente, sed oportet quod omnis motus voluntatis ab interiori procedat: nulla autem substantia creata coniungitur animæ intellectuali quantùm ad sua interiora, nisi solus Deus, qui solus est causa ipsius & sustinens eam in esse: à solo igitur Deo potest motus voluntatis causari] Solus itaque Deus potest mouere voluntatem per modum agentis, &c. Hinc est quod dicitur Prou. 21. Cor Regis in manu Domini, Et quocunque voluerit inclinabit illud. Philip. 2. Deus est qui operatur in nobis velle & perficere, &c. Et suprà: Illud solum agens potest causare motum voluntatis absque violentia, quod causat principium intrinsecum huius motus, quod est potentia ipsa voluntatis: hoc autem est Deus qui solus animam creat

Vt autem ex his quæ hactenùs dixi, clariùs elucescat pars altera quæsiti, An scilicet motus ille Deo proprius ac singularis is ipse sit, qui nomine Prædeterminationis Physicæ propugnatur à Thomistis, sciendum est aliquem agendi modum Deo & Creaturis esse communem, scil. moralem (hoc tamen iam prælibato discrimine inter Deum & creaturam obseruato) quia cùm nihil sit quod non sit ens, & consequenter bonum, quod est voluntatis obiectum; nihil quoque est quod mouere non possit rationalem appetitum: quin immò, cùm, teste Aristotele, malum non possit esse integrum, quia sic destrueret seipsum, seu vt ait D. Thomas quæst. 22. de verit. a. 6. ad 6. [Nihil sit adeò malum quod non possit habere aliquam speciem boni, & ratione illius bonitatis habere quo mouere possit appetitum.] De motionis moralis modo communi creaturis & Deo hìc nullus nobis est sermo.

V. Superest igitur concursus effectiuus Primi Agentis, qui non nisi duplex assignatur, scil. præuius & simultaneus: & quia huius simultanei concursus insufficientiam vsque ad satietatem libro præcedenti manifestum iam fecimus, ne actum denuò agamus, nihil hic superest, nisi vt beneuolum lectorem moneamus, simultaneum hunc concursum non minus communem esse Deo & creaturis (vt fatentur omnes) quam prædictum moralem qui fit ex ostentione alicuius obiecti, exhortatione, præceptis, minis, &c.

Ex quibus manifestè infertur aut nullum esse concursum Causæ Primę proprium (qualis perpetuò ab Angelico Doctore exigitur,) aut alium esse necessariò admittendum, scilicet præuium pro quo militamus, & cui soli prædictarum authoritatum D. Thomę potest conuenire modus loquendi, quæ ad hunc probandum euidentiores sunt, quàm aliâ egeant probatione, nam solus illarum textus, ita è diametro est concursui simultaneo oppositus (qui non influit in causam, sed simul cum causa in effectum) vel cuicumque indifferenti & vago contrarius, vt hoc ipsum dicere, sit & litem dirimere: Quod autem ita sit; docet Diuus Thomas dum asserit, [à Deo interiùs aptari seu disponi voluntatem, quatenùs ille immutat ipsam, quocunque voluerit illam inclinando, velle & perficere operando, ergo non solùm simul concursu simultaneo agit Deus cum voluntate, sed & in voluntatem influxu præuio operatur, aliquid intùs exhibendo, alioquin voluntas ex se indisposita nec disponetur, nec ad faciendum id quod beneplacitum fuerit coram Deo, aptabitur. Item, nec dici potest quod inclinauerit Deus voluntatem ex natura sua indifferentem in quodcunque voluerit, aut velle operatus sit ex eo quod ad volendum illi obtulerit aliquid indifferens & indeterminatum: quia quod non est determinatum non determinat, nec tollit indifferentiam quod non est nisi indifferens.

Secundò, *Causa efficiens & propria actus voluntarij, (inquit D. Thomas) est id quod operatur intùs, hoc autem nihil esse potest, quàm ipsa voluntas sicut causa secunda, & Deus sicut Causa Prima, quia hunc actum, qui est inclinatio voluntatis, causare non potest nisi voluntas & Deus à quo est voluntas, qui in ea solus operatur,* Ergo cum voluntas, v. g. eligit bonum aliquod, seu producit actum voluntarium, aut alicui bono consentit, non, vt volunt, expectat donec eligat, inclinetur, aut consentiat voluntas, sed hunc consensum, inclinationem, & electionem vt Prima Causa efficit Deus: ergo & in his agendis præcedit, cùm omnis causa sit prior effectu: Cùmque, vt asserit D. Thomas q. 3. de potentia a. 7. immediatior sit virtus Primi Agentis, quàm secundi: videant quodnam subterfugium inuenire valeant, qui tàm acriter Prædeterminationi Thomisticæ aduersantur.

Tertiò, Vt quid dixit D. Tho. *Voluntatem rationalis creaturę soli Deo subiacere, & ipsum solum in ea operari posse?* Cur non dixit potius, cum ipsa solùm operari, si nullus sit Dei concursus præter simultaneum?

Quartò, Numquid extrinsecum agens illud immensum respectu creaturæ quam continuò tenet in esse, tanquam sol, lumen in aere, ei intimiùs quàm hæc ipsa sibi? Vnde & meritò dicitur à Doctore Angelico, quòd, *Solus Deus operetur intra voluntatem vt causa illius, transferendo inclinationem quam ei dedit de vno in aliud secundum quòd vult, & quòd nulla substantia coniungitur animæ intellectuali quantùm ad sua interiora, nisi solus Deus, qui solus est causa ipsius, vt sustinens eam in esse.* At quid est dare inclinationem voluntati, quid illius immutare actum? Profectò tacente me, res ipsa loquitur: ideò, ne in re manifesta tædio sim lectori, à referendis quæ in prima parte huius capitis diximus, ab aliisque innumeris Diui Thomæ testimoniis libentiùs supersedeo, quibus pro singulari prærogatiua, quam sibi vendicat Deus in agendo, à Thomistis nomine Prædeterminationis propugnata, nullus contradicere possit nisi ore tenùs, non mente: non intellectu sed voluntate.

Quid enim, quod ait Sanctus Doctor, *Ex parte potentię voluntas nullo modo potest moueri, nisi à Deo, quia operatio voluntatis est inclinatio, quam solus ille immutare potest, qui virtutem volendi creaturæ contulit, scilicet Deus: sicut enim inclinatio naturalis non est nisi à Deo qui dat naturam, ita inclinatio voluntaria non est nisi à Deo.* Et hoc est fundamentum quod iam toties inculcauimus, scil. creaturę nullam à Deo collatam esse virtutem, v. g. immutandi suum actum, se se ad hoc vel illud determinandi, quam non sibi non reseruarit Deus.

Item quid sibi vult quod ait D. Thomas? *Solus Deus potest directè in voluntatem hominis imprimere, iuxta illud Prou. 21. Cor Regis in manu Dei quocunque voluerit, &c. & à solo Deo potest motus voluntarius causari, qui debet esse ab intrinseco, quia solus coniungitur animæ intellectuali, quantùm ad sua interiora.*

VI. Et vt opposita iuxta se posita magis elucescant, confer cum prædictis illorum doctrinam, qui dicunt Deum non aliter mouere voluntatem, quàm per modum obiecti, quod perpetuò reiicit D. Thomas: si verò ipsum mouere per modum efficientis fateri cogantur, ad solum concursum simultaneum confugiunt, asserentes, *Actum liberum vt liberum, non esse effectum præuenientis gratię, & vt nascitur à libero arbitrio, non esse à Deo, nisi eâ ratione, quâ Deus est author ipsius liberi arbitrij, eamque facultatem nobis contulit,* Ita loquuntur Diui Thomæ desertores.

Quare hic dicendi finem faciemus cum Angelico Doctore 3. p q. 18. a. 1. ad 1. qui postquam ostendit motum fuisse nutu voluntatis Diuinæ quidquid erat in humana Christi natura, non obstante motu proprio humanæ naturę, ait, *Etiam aliorum Sanctorum piæ voluntates mouentur secundum voluntatem Dei, qui operatur in eis velle & perficere, vt dicitur Philip. II. Licet enim voluntas non possit interiùs moueri ab aliqua creatura, interiùs tamen mouetur à Deo, vt in prima parte dictum est.* Et vt iam non semel diximus, Quia motio mouentis præcedit motum mobilis ratione & causâ, teste D. Thoma, cum ipso Aristotele, quo argumento nihil efficacius est, ad stabiliendam Prędeterminationem Thomisticam, quæ loco suprà citato & cap. 5. sequenti non minùs euidens apparebit: non vltra hic progredimur, sed cum Sanct. Præsule Augustino Tom. 9 de spec. tract. 6. dicimus, *Agens illud ineffabiliter omnia penetrans, incomprehensibile & immensum, vbique præsens, ibique totum, immutabile mutans omnia, semper agens, & semper quietum, cuncta prospiciens sine sollicitudine, portans omnia sine onere, vniuersa implens sine inclusione: & hoc dicimus Deum gloriosum, qui nec ibi deest, vbi longè est, quia vbi non est per gratiam, ibi est per vindictam, qui semper idem ipse est, dissimiliter dissimilia tangens, nulli nisi sibi similis, quique existens vbique vix inueniri potest, quem stantem sequimur, & currentes quiescentem sic apprehendimus, vt minimè comprehendamus, qui si totaliter & totus pateret nostræ cognitioni, Deus vnus & verus nequaquam posset credi: ideò enim falsi reperti sunt, qui veri putabantur Dij, quoniam sciri per omnia potuerunt qui, quales, & quanti fuerunt. Deus autem noster mirabilis & ineffabilis, qui totam istius mundi molem cum omni instrumento elementorum, corporum, & spirituum verbo quo iussit, disposuit, & virtute quâ potuit ex nihilo efficere, maiestatis suæ vestigium expressit potiùs quàm ornamentum, qui tempora ab ipso tunc anoire in-*

I ij

bens, stabilisque manens, dat cuncta moueri: qui terram multiplici germine fructuum, & cælum pulchro decorat lumine syderum; quem res vnaquaque capit pro magnitudine portionis suę, id est, maxima magis, & minùs minima: cùm potiùs ipse sit in omnibus totus, cuius omnipotentia concludit omnia: qui per id quod exterior est, omnium Gubernator demonstratur & Rector. Verùm liberi arbitrij tantummodò socius sine Prædeterminatione quam propugnamus, vt per eam Deo Agenti, supremo rerum omnium Moderatori, *Omnia nostra ossa dicant: Domine quis similis tibi?*

Ne quis tamen Catoniano hæc perlegens animo, dicat ex hac Prædeterminatione nullum verè tribui modum agendi Deo singularem & proprium, cùm & corpora cœlestia agant cum his inferioribus, eaque ad agendum itidem præueniant, sicut & Deus quodlibet agens creatum præuenire dicitur, aduertat latum esse discrimen inter hæc & ipsum Deum, in eo potissimùm quod solus Deus sit sua virtus, intimè præsens omnibus agentibus etiam liberis, quæ sic aspirando præuenit & adiuuando prosequitur, vt effectum infallibiliter consequatur: Quod dici non potest de corporibus cœlestibus quorum influxus ab his inferioribus persæpè impediatur: quod de eo dici non potest, cui semper sic subest cùm voluerit posse, vt omnem defectum supplere queat, omnemque resistentiam valeat superare: quod verum non est nisi de causa quæ sit vniuersalissima qualis est Prima, quæ specialem sibi vendicet subordinationis modum supra omne agens creatum.

Et hic est tertius agendi modus, toties ab Angelico Doctore repetitus, totiesque ab aduersariis aut negatus, aut de industria prætermissus, quo scilicet agens superius applicat inferius ad agendum, sicut securis mouetur ab artifice ad scindendum.

Quartus autem agendi modus, quo vnum agens dicitur à D. Thoma agere in virtute alterius, differt à prędicto, nam applicat ignem ad comburendum aliquis, qui tamen non comburit in virtute illius qui illum apposuit: legendus Doctor Angelicus lib. 3. cont. Gent. c. 149. & c. 88. & q. 3. de potentia a. 7. in fin. de verit. q. 22. a. 8. & 1. p. q. 19. a. 6.

CAPVT QVARTVM.

Tanta apparet Præmotionis Thomisticæ necessitas in Causis Secundis ad agendum, quanta & ipsarum cum Prima elucet dependentia.

I. SI de rebus tantùm prout sese habent ad inuicem, hic esset agendum, tàm variâ quoque esset distinctione vtendum, quàm multiplici graduum perfectione, vnamquamque cernimus ab alia discrepantem. Verùm quia istud Philosophorum curæ creditum est, hoc vnum tanto accuratiori animaduersione discutiendum præmoneo, quantò frequentioris deceptionis causam præbuerit. Etenim ex eo quod trito Philosophorum adagio, aliis dicantur inesse res aliquæ, aliæ verò per se subsistentes asserantur, illinc nonnulli tàm à Deo solutum & independens putarunt vnumquodque agens creatum, quàm esse posset ab alio consimili agente creato quiuis effectus à propria causa productus. Quod, quàm aberret à vero, iam est aperiendum.

Hic ergo pro certo & indubitato habemus nullum agens creatum ita esse perfectum, quod siue in essendo, siue in agendo, non magis dependeat à Deo, quàm accidens à subiecto; imò vnumquodque tantò magis dependet ab eo, quantò perfectius fuerit, seu plures habuerit gradus perfectionis: nam si ens aliquod sit, v.g. corpus, & hac de causâ pendeat à Deo, si præter hoc fuerit & vegetans & sentiens, sine dubio alia duplex in eo apparebit dependentia: sicque in consimili verè dixerit Gregorius, *Cùm augentur dona, rationes augentur donorum*, id est nullam esse creaturam, singulari aliquo perfectionis munere supra alias à Deo donatam, quæ illius ergò, singulari quoque non egeat conseruatione, ac peculiarem habeat dependentiam. Nam, vt ait D. Thomas in lib. 3. Boët. pag. 80. *Omnes creaturę comparantur ad Deum, sicut effectus ad suam causam*, Et 1. p. q. 44. a. 1. o. *Necesse est dicere, inquit, omne ens quod quocumque modo est, esse à Deo: Si enim inuenitur aliquid in eo per participationem, necesse est quod causetur in ipso ab eo cui essentialiter conuenit &c.* Quod cùm non sit solùm, quando res primò esse incipiunt, sed quandiu in esse conseruantur, vt mox dicemus, nullum erit ens adeò perfectum aut sic subsistens, quod non sit necesse à Deo conseruari in esse, sicut à Sole lumen cōseruatur in aëre, tantaque erit agentis creati dependentia à Deo, vt à Primo Agente, quanta & ipsius entis, quia operari sequitur esse, ac in eo fundatur: Nam ex hoc fundamento probat D. Thomas 1. p. q. 25. a. 2. o. *Potentiam Dei esse infinitam, quia essentia Diuina (per quam Deus agit & in qua fundatur) est infinita.*

II. Sed ne paradoxa proferre videamur, ipsum Doctorem Angelicum audiamus, vt ex eius verbis argumentum ad Prædeterminationem efficacius comprobandam eruamus. Ex multis ergo eius testimoniis octo tantùm selegimus, innumera siquidem sunt, quæ breuitati studens de industria omitto, ne sim tædio lectori, quorum nonnulla legi poterunt apud D. Thomam in Ps. 30. pag. 361. col. 1. in Ps. 36. pag. 384. ad Rom 3. lect. 1. in medio. in cap. 1 Ioa. lect. 3. in hæc verba, Lux in tenebris lucet. in Ep. 1. Ioa. cap. 1. lect. 4. in cap. 14. Iob. pag. 178. col. 1. B.

Et quamuis in recensendis D. Thomæ testimoniis, quæ expressè hic (quantùm tamen breuiter potero) subjiciam, magna non appareat diuersitas, cùm in eorum pluribus, iisdem vtatur exemplis Sanctus Doctor, vtilissimum nihilominus fore existimaui, si multorum quasi quædam fieret collectio seu congeries, tùm vt inde neminem lateat, hanc creaturæ dependentiam à Deo, ita vniuersalem esse, vt nihil omninò excipi possit, siue ens perfectum, siue imperfectū fuerit, in alio, aut per se subsistens, &c. Quod in citandis sufficienter elucescit, tùm vt omnibus innotescat quàm perpetuus sit in hac sententia Doctor Angelicus, semper eodem nixus fundamento.

Primum igitur D. Thomæ sit illud quod habetur 1. p. q. 8. a. 1. o. *Cùm Deus sit, inquit, ipsum esse per essentiam, oportet quod esse causatum sit proprius effectus eius, sicut ignire est proprius effectus ipsius ignis: hunc autem effectum causat Deus in rebus, non solùm quando primò esse incipiunt, sed quandiù in esse conseruantur, sicut lumen causatur in aëre à sole, quandiù aër illuminatus manet. Quandiù igitur res habet esse, tandiù opor-*

ret quod Deus adsit ei secundum modum quo esse habet: esse autem est illud, quod est magis intimum cuilibet, & quod profundius omnibus inest, &c. vnde oportet quod Deus sit in omnibus rebus, & intimè.

III. Secundum verò reperis, quæst. 5. de potentia a. 1. [Sicut cessante actione causæ efficientis quę agit per motum, in ipso instanti cessat fieri rerum generatarum; ita cessante actione agentis incorporei, cessat ipsum esse rerum à Deo creatarum, &c. vnde sequitur quod Diuinâ operatione cessante, omnes res eodem momento in nihilum deciderent; sicut authoritatibus probatum est,(scilicet in,Sed contra.) Hebræ. 1.Portans omnia verbo virtutis suæ. Et August. 4. in Gen. ad litt. Creatoris potentia,& Omnipotentis virtus, causa subsistendi est omni creaturę.] Vbi etiam ad 5. ait, *Quod quandiù principia essentialia rerum sunt, tandiù quidem res conseruantur in esse, sed & ipsa rerum principia esse desinerent, Diuinâ actione cessante.* Rursumque, cùm ibidem sibi obiecisset illud Augstini 8. super Gen. ad litt. *Præsente lumine non factus est aër lucidus, sed fit, quia si factus esset, non fieret; sed absente lumine lucidus remaneret: multa autem sunt creaturæ, quorum esse non est in fieri, sed in facto esse, vt patet de Angelis, &c. ergo cessante actione Dei agentis, creaturæ possunt remanere in esse.*

Ad Sextum postquam ostendit Doctor Angelicus aliqua produci in materia secundum esse perfectum speciei, quæ manent post actionem agentis vsque ad tempus corruptionis: & alia produci quidem secundum perfectam rationem speciei, non tamen secundum esse perfectum, sicut est calor in aqua, qui modico tempore remanet post actionem agentis: Et alia denique, quæ producuntur secundum imperfectam speciem & secundum esse imperfectum vt lumen in aëre, & species hominis in speculo, in quo non remanet nisi quandiù est ei oppositus homo; concludit D. Thomas creaturas perfectas non dici esse in fieri, *Quamuis actio Dei earum Factoris indeficienter permaneat.*

Ex quibus manifestè colligitur, res creatas inter se differre quidem,& vnam ab alia superari perfectione; respectu verò illius, qui pusillum & magnum fecit, & cui æqualiter est cura de omnibus, has omnes æqualiter quoque ab eo dependere, nihilque in hoc esse discriminis, nisi quod illa quæ aliam excesserit aliquo gradu perfectionis, hoc ipso gaudeat nouæ dependentiæ titulo. Et hoc expressit Sanctus Doctor in cap 5 Ioa. l 2. cùm dixit, *Deum ita esse causam omnium creaturarum, sicut si diceremus quod aër tandiù illuminatur, quandiù lumen solis manet in ipso.*

Tertium Diui Thomæ testimonium legi poterit, libro 3. contra Gent. c. 65. vbi ait, [Impressio agentis non remanet in effectu cessante actione agentis, nisi vertatur in naturam effectus: formæ enim generatorum & proprietates ipsorum remanent in eis post generationem, quia efficiuntur eis naturales; & similiter habitus sunt difficile mobiles, quia vertuntur in naturam: dispositiones autem & passiones siue corporales, siue animales, manent aliquantulùm post actionem agentis, sed non semper, quia insunt, vt in via ad naturam. Quod autem pertinet ad naturam superioris agentis, nullo modo post actionem agentis manet, sicut lumen non manet in diaphano, recedente illuminante: esse autem non est essentia alicuius rei creatæ, sed solius Dei; nulla igitur res manere potest in esse, cessante operatione Diuinâ.

IV. Quartum insinuauit D.Thomas, 1.2. quæst. 68. a. 2. o. inquirens, vtrum dona Spiritus Sancti sint homini necessaria ad salutem, vbi ostendit hominem perfici à Deo, primò rationis lumine, quod perfectè habetur; in aliquibus tamen ex Diuinæ voluntatis abundantiâ, speciali Dei instinctu adiuuatur: Secundò indicat eundem perfici supernaturali perfectione per virtutes Theologicas,quæ quia hic imperfectè habentur, ideò ad finem vltimum supernaturalem ratio non mouet per eas sufficiēter,nisi adsit motio specialis Spiritus Sancti, secundum illud Rom. 8. Qui Spiritu Dei aguntur, hi Filij Dei sunt: Et hinc est Donorum Spiritus Sancti necessitas. De primò ergo modo loquens Sanctus Doctor, ait [Manifestum est quod vnumquodque quod perfectè habet naturam, vel formam aliquam, aut virtutem, potest per se secundum illam operari; non tamen exclusâ operatione Dei, qui in omni natura & voluntate interiùs operatur.

Secundum verò modum exprimens (qui ad ordinem supernaturalem pertinet) ait, hominem se habere respectu Dei,sicut se habet Luna respectu Solis, in quâ, quia est imperfectè natura lucis, *Non illuminat, nisi illuminata.*

Pro quinto reuocandum est in memoriam quod iam ex D. Thoma diximus libro 3 contra Gent. c. 88. *Solum Deum esse causam animæ intellectualis,eique immediatè coniungi quantùm ad sua interiora, quatenus eam sustinet in esse.* Quibus si addas quod ipse ait, in cap 1. Ioa. lect. 5. *Ostendens ab initio creaturæ semper fuisse in mundo, causans & conseruans omnia, quia si ad momentum subtraheret Deus virtutem suam à rebus conditis,omnia in nihilum redigerentur & esse desinerent.* Profectò nihil efficacius pro rerum dependentia à Deo.

Sextò: ait Diuus Thomas, 2 2. q. 52. a. 3. [Circa motionem humanæ mentis à Deo, duo sunt considerandą:primò quidem quod alia est dispositio eius quod mouetur, dum mouetur, & alia dum est in termino motus. Et quidem quando mouens est solum principium mouendi, cessante motu, cessat actio mouentis super mobile, quod iam peruenit ad terminum, sicut domus postquam ædificata est, non ædificatur vlteriùs ab ædificatore. Sed quando mouens est non solùm causa mouendi, sed etiam est causa ipsius formæ ad quam est motus, tunc non cessat actio mouentis etiam post adeptionem formæ, sicut sol illuminat aërem,etiam postquam est illuminatus. Et hoc modo Deus causat in nobis & virtutem & cognitionem, non solùm quando primò acquirimus; sed etiam quandiù in eis perseueramus.]

V. Septimò: Inquirens D. Thomas, vtrum creaturæ indigeant, vt à Deo conseruentur? Hęc habet 1. p. q. 104. a 1 o. [Dependet esse cuiuslibet creaturæ à Deo, ita quod nec ad momentum subsistere possent, sed in nihilum redigerentur, nisi operatione Diuinæ virtutis conseruarentur in esse, sicut Gregorius dicit. Et hoc sic percipi potest; Omnis enim effectus dependet à suâ causâ secundum quod est causa eius. Sed considerandum est quod aliquod agens est causa sui effectus secundum fieri tantùm,& non directè secundum esse eius: quod quidem conuenit & in artificialibus, & in rebus naturalibus: ædificator enim est causa domus quantùm ad eius fieri, non autem directè quantùm ad esse eius: manifestum est enim quod esse domus consequitur formam eius, forma autem domus est compositio & ordo, quæ quidem forma consequitur naturalem virtutem quarumdam rerum: sicut enim coquus coquit cibum adhibendo aliquam virtutem naturalem actiuam,sc. ignis, ita ædificator facit domum adhiben-

do cementum, lapides, & ligna, quæ sunt susceptiua & conseruatiua talis compositionis & ordinis; vnde esse domus dependet ex naturis harum rerum, sicut fieri domus dependet ex actione ædificatoris.] Quod postquam hoc prosecutus est, & in rebus naturalibus sic concludit S. Doctor, [Sicut igitur fieri rei non potest remanere cessante actione agentis, quod est causa effectus secundum fieri, ita nec esse rei potest remanere, cessante actione agentis, quod est causa effectus non solùm secundum fieri, sed etiam secundum esse. Et hęc est ratio quare aqua calefacta retinet calorem cessante actione ignis, (quia sc. in aqua recipitur secundum eandem rationem secundum quam est in agente) non autem remanet aër illuminatus, nec ad momentum, cessante actione solis, &c. Sic autem se habet omnis creatura ad Deum, sicut aër ad solem illuminantem. Sicut enim Sol est lucens per suam naturam, aër autem fit luminosus participando lumen à Sole, non tamen participando naturam Solis: Ita solus Deus est ens per essentiam suam, quia eius essentia est suum esse, omnis autem creatura est ens participatiuè, non quod sua essentia sit eius esse. Et ideò August. dicit super 4. Gen. ad litt. Virtus Dei ab eis quæ creata sunt regendis si cessaret aliquando, simul & illorum cessaret species, omnisque natura concideret.

Et cùm sibi obiecisset D. Thomas ex eo quod esse sequitur formam, quasdam creaturas esse formas per se subsistentes, v. g. Angelos, quibus per se inest esse, & quæ non possunt non esse, de quibus vna est ratio cum iis quorum materia non est in potentia nisi ad vnam formam, vt sunt corpora cœlestia.

Ad primum ibidem respondet, [Quod esse per se consequitur formam creaturæ, supposito tamen influxu Dei: sicut lumen consequitur diaphanum aëris, supposito influxu solis. Vnde potentia ad non esse in spiritualibus creaturis, & corporibus cœlestibus, magis est in Deo qui potest subtrahere suum influxum, quàm in forma vel materia talium creaturarum.

Cùmque rursum dixisset, Deum potentiorem esse quolibet agente creato, quod potest suo effectui communicare, vt conseruetur in esse, etiam eius operatione cessante, vt patet in aquâ calefactâ, remoto igne, & domo constructâ, recedente ædificatore.

Ad secundum respondet, [Quod Deus non potest communicare alicui creaturæ vt conseruetur in esse, suâ actione cessante, sicut non potest ei communicare quod non sit causa illius. In tantum enim indiget creatura conseruari à Deo, in quantum esse effectus dependet à causa essendi: Vnde non est simile de agente quod non est causa essendi, sed fieri tantum.]

VI. Verum ne quempiam errare contingat circa prædictam doctrinam, quæ teste Cajetano, *Profunda est, & quæ multos etiam eruditos latuit.* Legat qui voluerit totum Articulum citatum, cum responsionibus argumentorum, & Commentariis eiusdem subtilissimi Cardinalis, in quibus aduertat Lector non dici, Quod fieri alicuius causetur ab aliquo, & esse illius, non, cùm fieri nihil aliud sit quàm acquirere esse, quia non distinguitur inter effectum in fieri tantùm, & in esse & fieri simul absolute: sed subintellecto illo modo dependendi scilicet directè, ita quod licet omnis effectus à suâ efficiente causa habeat & fieri & esse; aliquis tamen est cuius esse non directè causatur ab agente, sed fieri tantùm; esse verò concomitanter, vt domus respectu ædificatoris: aliquis verò, cuius & fieri & esse directè ab agente pendet, vt lumen à Sole: Et hoc modo Deus est causa omnium rerum vt patet ex loco proximè citando ad Hebræos.

Octauum denique D. Thomæ Testimonium habetur, Hebræorũ primo lect. 2. in med. vbi explicans hæc verba, Portans omnia verbo virtutis suæ, ait Sanctus Doctor, [Sciendum quod id quod de se, nec stare, nec ambulare potest, indiget portari: Omnis autem creatura de se nec subsistere, nec operari potest: Primum patet, quia remotâ causâ, remouetur effectus: Deus autem est causa omnis substantiæ, quia non minùs est causa subsistentiæ rei quantùm ad fieri, quàm domificator est causa fieri domus: Inde sicut ad absentiam domificatoris, cessat fieri domus, & ad absentiam Solis, cessat & fieri, & esse luminis in aëre: ita ad substractionem virtutis Diuinæ, cessat & esse, & fieri, & subsistere omnis creaturæ. Portat ergo omnia quantùm ad operari, quia substractâ influentiâ eius, cessat omnis motio causarum secundarum, cùm ipsa sit causa prima, & causa prima plus influit, quàm secunda. Iob. 38. Super quo bases illius solidatæ sunt.]

Verùm, quid vltra magis formale & expressum possit hac in re desiderari præter hoc testimonium, non video, quo vel solo, omne præcluditur subterfugium. Quod enim sibi vult, cùm ait, *Substractâ influentiâ eius, id est Dei, cessat omnis motio causarum secundum, &c. Et causa prima plus influit, quàm secunda*: Nulla siquidem restat occasio dicendi S. Doctorem, ibi locutum secundum modum essendi, quem satis expressè prius insinuarat per hæc verba, *Ad substractionem Diuinæ virtutis cessat & esse, & fieri, & subsistere omnis creatura*, Sed & ipsam creaturæ operationem expressit ipse sequentibus verbis, *Substractâ influentiâ eius, cessat omnis motio causarum secundarum, cùm ipsa sit prima causa, quæ plus influit, quàm secunda*. At quomodò plus influit, aut vehementiùs? vt ait D. Thomas, 1. p. q. 21. a. 4. o. & alibi passim.

VII. Quia causa secunda est Primæ subordinata, & ab illa virtutem agendi actu accipit à prima, à quâ ad agendum mouetur; ad quam subordinationem & dependentiam non sufficit quod ab initio dederit Deus virtutem creaturæ, quia etiam equus generans dedit virtutem pullo genito, nec idcircò dicitur ei subordinatus aut dependens in agendo, si ambos postea simul agere contingat: nec hâc de causa dicitur equus generans prius, aut vehementius agere, quàm pullus genitus, qui vtpote validior & fortior nonnunquam potest oppositum præstare.

Præterea hæc opinio quæ asserit Deum non dici causam primam, ipsumque non operari in natura & voluntate, nisi quatenus dedit Deus virtutes operandi, reiicitur vt error Origenis, quâ opinione euidenter resistitur S. Scripturæ authoritatibus, teste Angelico Doctore 3. contra Gent. c. 89.

Nec minus à ratione alienum est, asserere Deum dici causam primam (etiam si secundam actu non moueat ad agendum) ex eo quod præcedat duratione, aut quòd sit naturæ præstantioris: quia sic & ipsi montes Gelboë (vtpote præcedentes tempore) dicerentur causę primę respectu huius hominis nunc agentis: ac minima huius horologij rota ex auro confecta, diceretur prima causa maioris rotæ quæ esset tantùm ex ære. Quæ omnia rationi manifestè repugnant.

Sed & ne ipsi modum excessisse videamur, asserentes creaturam magis dependere à Creatore, quàm accidens à subiecto, quod absque eo diuinitùs subsistere potest, vt apparet in adorando Eucharistiæ Sacramento; non sinat lector è memoria excidere quod in hoc capite suprà retulimus ex 22. q. 52. a. 3. ad 2.

vbi formaliter id docet Doctor Angelicus, existimans non minùs impossibile esse à Deo communicari creaturæ, vt sine ipso conseruetur in esse, quàm quòd illi communicetur, *Vt Deus non sit causa illius.*

Quod ex hac radice prouenire percipies, teste Angelico Doctore, locis cit. in hoc cap. asserente [Esse creatum à Deo causari non solùm quando res primò esse incipiunt, sed quandiù in esse conseruantur, sicut lumen causatur in aëre à Sole, quandiù aër manet illuminatus.] Ex quo fit vt Deus possit ens quodcunque creatum redigere in nihilum, per solam sui influxus conseruatiui substractionem.

Verùm quia præfata D. Thomæ testimonia euidentiora sunt pro probanda rerum dependentia à Deo, quàm vllà egeant expositione, nihil superest nisi vt ex illis ipsa D. Thomæ exempla depromamus, quæ sunt aëris à Sole illuminati; speciei in speculo receptæ: & Lunæ respectu Solis; quæ exempla, licet multùm deficiant, quia & Luna proprio non caret lumine, quod non habet à Sole; & aër suas habet proprietates: quod dici nequit de agente creato quod totum habet à Deo; valebit tamen argumentum ad rem ex tenebris eruendam. Si enim appareat his exemplis causalitatem Primi Agentis exprimi non posse per concursum simultaneum, necessarius erit recursus ad præuium, Præmotionis nomine à Thomistis nuncupatum.

VIII. Sit igitur aëris vt à Sole illuminati proprietates sc. calefacere & exsiccare: dubio procul, & calefactio & exsiccatio erunt & à Sole, tanquam à causa vniuersali in ordine naturæ, & ex aëre tanquam à causa proxima. Sed nemo dicet hæc duo agentia simul tantùm & æqualiter calefacere & exsiccare, quia Sol magis ac principaliter vtrumque præstat, aër verò secundariò, & quatenus hoc à Sole participat: quam aëris causalitatem qui sincerè voluerit exprimere, ingenuè fatebitur sine vllis ambagibus Solem & calefacere & exsiccare per aerem, idque priùs ac magis principaliter. Quod sine concursu præuio nec dici, nec concipi potest, vt propriam cuiusque obtestor coram Deo conscientiam. Atqui ex D. Thomà sic se habet Primum Agens respectu cuiuscunque agentis particularis, vt dictum est, sicut se habet Sol respectu aëris illuminati; ergo Primi Agentis causalitas est Præmotionis, seu Præuij Concursus exprimenda vocabulo.

Præterea, sic vniantur in speculo radij Solares vt puluerem sulphurarium accendere valeant: An dices ignem conceptum esse à radijs, & à Sole, tanquam à duobus agentibus partialibus simul tantùm concurrentibus, ac non priùs & principaliùs à Sole per radios? Atqui sic se habet omnis creatura agens, comparata cum prima causa cum qua agit, & à qua non minùs (ne dicam magis & verè) pendet, quàm radij à Sole. Dependet ergo & in agendo (quod sequitur esse) causa secunda à Primo Agente, quod solùm per Præmotionem tuentur Thomistæ.

Denique, ne actum agamus, quoniam iam iam non semel Deum prædicto modo operari in natura & voluntate, non obstante propriâ earum operatione ostendimus: nam teste Angelico Doctore 3. contra Gent. c. 65. *Sicut opus artis præsupponit opus naturæ, ita opus naturę præsupponit opus Dei*: Estque Deus fundamentum totius esse creati, & basis ipsius naturæ intellectualis, vt sustinens eam in esse, vt iam diximus cum S. Doctore 3. contra Gent. c. 88.

Quantum ad pręsens spectat, ex eodem quoque satis constat ex dictis in hoc capite, creaturam rationalem charitate informatam, [Quam dicit D. Thom. esse non posse nisi ad præsentiam Dei influentis, sicut lumen in aëre ad præsentiam Solis] ad actus supernaturales producendos sic se habere, sicut se habet Luna à Sole illuminata ad effectus producendos in his inferioribus, qui manifesti sunt in cancris, &c. qui in Lunę defectu vacui sunt, in plenilunio verò repleti & optimi. At nemo huiusmodi effectus ita Lunę adscribat, quin hos ipsos Soli Lunam illuminanti priùs ac magis tribuat. Qui ergo in Primo Agente similem agendi prioritatem exprimere, aut cum D. Tho. dicere voluerit Causam Primam plus influere quàm secundam, non ad concursum simultaneum confugiet, sed ad præuium, Præmotionis nomine à Thomistis expressum, illi soli proprium, *Ante quem est velut momentum stateræ orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani. Sap. 11.*

CAPVT QVINTVM.

Quibusdam stabilitur Prædeterminatio Thomistica Diui Thomæ authoritatibus, simulque instrumenti ratio in his & similibus ritè intellecta, eodem judice expenditur: propriâ non obstante etiam principaliter cuiusque agentis naturalis respectu proprij effectus causalitate.

I. QVamuis nullum efficacius suppetat argumentum, quàm Diui Thomæ testimonium, cui Concilia, præsertim Tridentinum, Vniuersitates, immò & totus Orbis Christianus tantùm detulerunt, vt semper periculosum duxerint ab eo in vllo dissentire: totumque opus istud non tàm D. Thomæ testimoniis hactenus intertextum videatur, quàm totus ipse exscriptus: quasdam tamen Sancti Doctoris authoritates adeò efficaces existimaui seligendas, vt ipsissimis & solis etiam nullâ consecutionis aut rationis ope adhibitâ, propositum Prædeterminationis innotesceret negotium.

Verum quia instrumenti vocabulum (quo sæpiùs similitudinariè vsus est Doctor Angelicus, non vt propriæ agentis secundi detraheret dignitati, sed vt eius dependentiam & subordinationē cum Primo Agente insinuaret) alienos in sensus etiam prauos à quibusdam acceptum conspicimus: optimus sui interpres erit ille, qui *Lux fidelium, norma, limes, morumque omnium lex est*, vt habet Officium D. Thomæ, Apostolicâ authoritate comprobatum.

Ex eo siquidem, v. g. quòd Aristotelem referat D. Thomas, sic de Primo Agente loquentem Oct. Physic. textu 33. lect. 9. apud D. Thomam [Vtraque igitur mouere dicimus, & primum, & vltimum mouentium, sed magis primum: illud enim mouet vltimum, sed non hoc, primum: & sine primo quidem, vltimum non mouebit: illud autem sine hoc, vt baculus non mouebit nisi moueatur ab homine] arbitrati sunt nonnulli causas secundas propriâ carere operatione, aut merè passiuè se habere: quasi verò in his quæ in exempla similitudinariè

referuntur, non sit semper distinguendum id in quo res collatę conueniunt, ab eo secundum quod discrepant: si enim omnimoda esset exemplorum conuenientia, non iam exempla forent, sed vna res simplicissima.

Aliter ergo intelligendum instrumenti vocabulum apud Doctorem Angelicum, quàm vulgò accipiatur, vt statim indicabimus, si priùs propositum fecerimus manifestum.

Primò ait D. Thomas q. 3. de potentia a. 7. (Non sic est intelligendum quod Deus in omni re naturali operetur, quasi res naturalis, nihil operetur: sed quia in ipsa natura vel voluntate operante, Deus operatur: quod quidem qualiter intelligi possit ostendendum est: secundum namque est, quod actionis alicuius rei res aliqua potest dici causa multipliciter: vno modo quia tribuit ei virtutem operandi sicut dicitur in 8. Physicorum, quod generans mouet leue & graue, in quantum dat virtutem per quam consequitur talis motus: & hoc modo Deus agit omnes actiones naturæ, quia Deus dedit rebus naturalibus virtutes per quas agere possunt, non solùm sicut generans virtutem tribuit graui & leui, & eam vlteriùs non conseruat, sed sicut continuò tenens virtutem in esse, quia est causa virtutis collatæ, non solùm quantùm ad fieri sicut generans, sed etiam quantùm ad esse, vt sic possit dici Deus causa actionis in quantùm causat & conseruat virtutem naturalem in esse, &c. Nam etiam alio modo conseruans dicitur facere actionem, sicut dicitur quod medicinę cōseruantes visum faciunt videre: sed quia nulla res per seipsā mouet vel agit, nisi sit mouens non motum. Tertio modo dicitur vna res esse causa actionis alterius in quantum mouet eam ad agendum: in quo non intelligitur collatio aut conseruatio virtutis actiuæ, sed applicatio virtutis ad actionem: sicut homo est causa incisionis cultelli ex hoc ipso quod applicat acumen cultelli ad incidendum mouendo ipsum, &c. [Et postquam D. Thomas quartum modum agendi ibidem cōstituit Deo proprium, sic concludit [Sic ergo si consideremus supposita agentia, quodlibet agens particulare est immediatum ad suum effectum: Si autem consideremus virtutem quā fit actio, sic virtus superioris causę erit immediatior effectui, quàm virtus inferioris: nam virtus inferior non coniungitur effectui, nisi per virtutem superioris, vt dicitur in libro de causis: quod virtus causę primę priùs agit in causatum, & vehementiùs ingreditur in ipsum, &c.

II. Sic ergo, ait, [Deus est causa actionis cuiuslibet in quantùm dat virtutem agendi, & in quantum conseruat eam, & in quantum applicat actioni, & in quantum eius virtute, omnis alia virtus agit.] Et cùm coniunxerimus his, quod Deus sit sua virtus, & quod sit intra rem quamlibet, non sicut pars essentiæ, sed sicut tenens rem in esse, sequitur quod ipse in quolibet operante immediatè operetur, non exclusā operatione voluntatis & naturæ.

Ex quibus vides prædictum hunc modum tertium exprimi non posse (quo scilicet virtus artis est in instrumento artificis) sine Thomistica Præmotione. Quibus si addas quod ipse D. Thomas ibidem ait ad 3. Nimirùm [ipsam naturę operationem esse operationem virtutis Diuinę, sicut operatio instrumenti est per virtutem agentis principaliùs. Nec impeditur quin natura & Deus ad idem operentur, & quidem immediatè, vt ait ad 4. propter ordinem qui est inter Deum & Naturam. [Nibil euidentiùs aut efficacius quàm id quod protulimus pro hac Pręmotione, non enim ad motionem moralem, de qua hic nullus est sermo, aut ad concursum simultaneum, quo vnum agens non pręuenit alterum, nec ad opus applicat, vt in hoc casu fieri testatur D. Thomas, vllus vnquam confugere poterit, nisi contra propriam loqui conscientiam statuerit.

Illud autem quod causis secundis à Deo ad actu agendum confertur satis euidenter iterum expressit Sanctus Doctor ibidem ad 7. prædicto instrumenti artificis exemplo, quo vtitur, non vt propriam excludat causalitatem à causis secundis, sed tantum vt subordinationē sub Prima, & earum dependentiam in agendo exprimat, quod probat ex libro de causis, *Virtus causæ primæ, inquit, priùs agit in causatum, & vehementiùs ingreditur in ipsum.*

Hanc dependentiam causæ secundæ & prioritatem Primę, quam tuentur Thomistæ Physica Præmotione, non minùs apertè insinuat Sanctus Doctor ex lib. de causis, lect. 24. pag. 503. col. 2. exemplo ignis, qui vehementiùs calefacit & perfectiùs, quàm id quod eius virtutem participat: ac Lunæ, quæ non tàm perfectè illuminat, quàm Sol ipse, cùm non illuminet, nisi dependentur à Sole: quæ exempla intellectum adeò conuincunt pro prædicta Pręmotione stabilienda, vt non possit quisquam de opposito dubitare.

Secundò, hoc ipsum non minùs efficaciter probari potest ex Epist. ad Rom. c. 9. lect. 3. in med. vbi D. Tho. ait] Diuinum beneficium non solùm extenditse ad infusionem gratiæ quā homo iustificatur, sed etiam ad gratię vsum: sicut etiam in rebus naturalibus non solùm causat ipsas formas in rebus, sed etiam ipsos motus & operationes formarum, eò quod Deus est principium omnis motus, cuius operatione cessante à mouendo ex formis nullus motus vel operatio sequitur.] Probat autem hoc speciali ratione Aristoteles de operibus voluntatis humanę: [Cùm enim homo habeat potentiam ad opposita, puta ad sedendum vel non sedendum, oportet quod reducatur in actum per aliquid aliud: Reducitur autem in actum alterius horum per consilium ex quo vnum oppositorum pręeligit alteri: sed cùm iterùm homo habet potentiam consiliandi & non consiliandi, oportet esse aliquid per quod reducatur in actum consilij: Et cùm in hoc non sit procedere in infinitum, oportet esse aliquod principium extrinsecum superius homine, quod ipsum moueat ad consiliandum: Et hoc non est aliud quàm Deus: Sic igitur ipse vsus gratiæ est à Deo, nec propter hoc superfluit habitus gratiæ, sicut nec superfluunt formæ naturales quamuis Deus in omnibus operetur: quia sicut dicitur Sap. 8. Ipse disponit omnia suauiter, quia scilicet per suas formas omnia inclinantur quasi sponte in id ad quod ordinantur à Deo.]

III. Ex iis iam inquiro, quidnam sit illud, quod tùm in naturalibus, tùm in supernaturalibus præter formas habituales & permanentes ad vsum seu exercitium, exigitur à D. Thoma? Iam per me licet, ipsi nomen imponant: Non concursum simultaneum, (ad quem solùm confugere possunt) vt arbitror, illud nuncupabunt: quia ille non est causa aut principium operationis creaturæ in quam non influit, sed tantùm cum illa in effectum. Perpendant & prædictam Scripturæ authoritatem iam toties insinuatam: Consulant, & præfatam Philosophorum Principis rationem: profectò nihil apparebit præter concursum præuium (nomine Præmotionis Physicæ nuncupatum) quo Primum Agens influit in secundum, in eius actionem simul & effectum, ita efficaciter, vt nunquam deficiat omnipotens, si absolutè quidpiam voluerit: & aliundè, ita suauiter, vt formæ quasi suā sponte inclinentur, teste Angelic. Doct.

Ac prædictum D. Thomæ testimonium diligenter velim annotatum: quòd ex expositione Epistolarum Apostoli sit deductum: quo in opere scribendo, tàm frequenti Beatissimæ Virginis, & Apostolorum Petri & Pauli fuit apparitione dignatus Doctor Angelicus, vt meritò cantet de illo Ecclesia in eius Officio ℟. 9. Petrus, Paulus fauent obsequio: Dei Mater mulcet alloquio.

Et

Et ne quis sub Præmotionis moralis nomine possit delitescere, notet quæ mox dicturi sumus, vbi D. Thomas vtramque exprimit:& moralem, quia Deus inquit (est primum appetibile) & physicam, sub (primi volentis nomine) illud autem est tertiò contra Gentes c.67. rationibus 4.& 5. [Quidquid applicat, inquit, virtutem actiuam ad agendum, dicitur esse causa illius actionis: Artifex enim applicans virtutem rei naturalis ad aliquam actionem, dicitur esse causa illius actionis, sicut Cocus decoctionis, quæ est per ignem: sed omnis applicatio virtutis ad operationem est principaliter & primò à Deo: applicantur enim virtutes operatiuæ ad proprias operationes per aliquem motum vel corporis vel animæ:primum autem principium vtriusque motus, est Deus: est enim primum mouens omninò immobile, vt supra ostensum est, lib. 1. cap. 13. Et similiter omnis motus voluntatis quo applicantur aliquæ virtutes ad opedum, reducitur in Deum, sicut in primum appetibile, & in primum volentem. Omnis igitur operatio debet attribui Deo sicut primo & principali agenti.] In omnibus causis agentibus ordinatis semper oportet quod causæ sequentes agant in virtute causæ primæ: sicut in rebus naturalibus corpora inferiora agunt in virtute corporum cœlestium: & in rebus voluntariis omnes artifices inferiores operantur secundum imperium supremi Architectoris. In ordine autem causarum agentium Deus est prima causa vt in primo ostensum est, cap. 13. ergo omnes causæ inferiores agentes agunt in virtute ipsius. Causa autem actionis magis est id cuius virtute agitur quàm illud quod agit, sicut principale agens magis agit quàm instrumentum. Deus igitur principalius est causa cuiuslibet actionis, quàm etiam causæ secundæ agentes]

IV. Quid ad hæc, candide lector? Quid sibi volunt (si vt placet Antithomistis;Præmotio Thomistica superfluit) hęc D. Thomas verba? *Omnis applicatio virtutis ad operationem est primò & principaliter à Deo*, & rursùm, *Quidquid applicat virtutem actiuam ad agendum, dicitur esse causa illius actionis, sicut artifex applicans, &c.* Perpende seriò, ly principaliter & primò: vtaris & ipso artificis exemplo, vt nostro contradici non posse intento fatearis, nisi manifesto & euidenti voluntariç contradictionis vitio.

Præterea, quænam subordinatio (qualem exigit D. Thomas inter Deum & Creaturas) inter agentia quæ simul tantum operantur? Profectò nec vnum est alteri causa agendi, nec principalius est causa actionis alterius, nec vnquam explicari poterit sine prædicta Præmotione, quod ait D. Thomas, 3 contra Gent. c. 149. scilicet, *Anima nostra operatur sub Deo, sicut agens instrumẽtale sub principali agente.* Et hæc tàm manifesta sunt & efficacia vt nullà egeant expositione.

Denique ex citato D. Thomæ articulo 3. contra Gent. notat Ferrariensis ab Angelico Doctore assignari sex modos quibus Deus est causa operationis creaturæ. Quæro ergo ab his qui Præmotioni Thomisticæ aduersantur, vbi reperiant hunc modum quo vnum agens alterius virtutem applicat ad agendum, sicut principale agens mouet secundarium?

Verùm ne instrumenti vocabulum toties repetitum vllam præbeat erroris occasionem, quasi creatura sic à Deo esset præmota, vt seipsam non moueret: Iterùm audiendus est Doctor Angelicus, qui subordinatione prædictâ creaturæ, ac dependentiæ non obstante, duplicem vbique distinguit instrumenti rationem: vnam illius qui solùm passiuè mouetur: alteram verò huius quod sic mouetur, vt seipsum moueat etiam principaliter in suo dùmtaxat ordine, quia sicut non est de ratione causæ, vt sit prima causa; sic non est de ratione mouentis, vt sit primũ mouens.

Primò igitur ait Doctor Angelicus 3. p. q. 18. a. 1. ad 2. *Proprium est instrumenti quod moueatur à principali agente: diuersimodè tamen, secundum proprietatem naturæ ipsius. Nam instrumentum inanimatum, sicut securis, aut serra mouetur ab artifice per solum motum corporalem: Instrumentum verò animatum animâ sensibili mouetur per appetitum sensitiuum, sicut equus à sessore. Instrumentum verò animatum anima rationali, mouetur per voluntatem eius, sicut per imperium Domini mouetur seruus ad aliquid agendum, qui quidem seruus est sicut instrumentum animatum; vt Philosophus dicit in primo Politica. Sic ergo humana natura in Christo fuit instrumentum Diuinitatis, vt moueretur per propriam voluntatem.*

V. Secundò q. q. disp. q. 24. de lib. arb. a. 1. ad 5. Duplex distinguit instrumentum D. Thomas: primum, quod est propriè instrumentum, *Vt serra mota à Carpentario: Secundum omne mouens ab alio motum, & ita est, inquit, de mente humanâ.*

Tertiò D. Thomas in Mat. c. 10. ait in hæc verba. [Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris Vestri qui loquitur in vobis. Simile est quod habetur 2. Cor. 13. Ad experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus? Sed quid est quod videbantur isti arreptitij? Notandum (inquit D. Thomas) quod omnis actio quæ à duobus causatur, quorum vnum est principale agens, secundum verò instrumentale, debet denominari à principaliori. Isti fuerunt agentes instrumentaliter, Spiritus Sanctus principaliter: ideò tota actio debet denominari à Spiritu Sancto. Sed videndum est, quod aliquando mouet Spiritus perturbando rationem (scilicet Diabolus) aliquando mouet confortando, scilicet Spiritus Sanctus, vnde hæc est differentia inter motionem Diaboli,& Spiritus Sancti: homo enim non est dominus nisi per rationem per quam est liber: Vnde quando homo per rationem non mouetur, tunc est motus arreptitius: quando cum ratione, tunc dicitur motus à Spiritu Sancto: motio enim Diaboli perturbat rationem. Isti autem licet à Spiritu Sancto loquerentur; tamen remanebat in iis ratio: & ideò etiam à se loquebantur, non sicut arreptitij.] Nota hoc interim pro sequentibus, vbi dicemus libertatem non destrui, remanente indifferentiâ iudicij.

Ex his habes quomodo possit aliquod agens ab alio moueri, scilicet à Deo, qui non perturbat rationem, sed confortat: ideò non impedit quominus creatura verè sit causa principalis, (etiam vt est à Deo mota,) propriæ actionis.

Quartò denique idem D. Thomas in Ioa. c. 15. lect. 3. in hæc verba, Iam non dicam vos seruos; [Seruus, inquit, ille qui mouetur solùm ab alio & non à se, habet se ad mouentem, sicut instrumentum ad artificem: Instrumentum autem communicat cum artifice in opere, sed non in operis ratione, &c. Sed quando seruus operatur ex propria voluntate, necesse est quod rationem operis sciat, & quod reuelentur ei occulta per quæ ea scire possit quæ agit, Eccl. 33. Seruus si est tibi fidelis, sit tibi quasi anima tua. Apostoli autem à se mouebantur ad bona opera facienda, scilicet ex propria voluntate per amorem inclinata.

Potuissem hìc addere quod ait D. Thomas 1. p. q. 105. a. 4. nominatim verò a. 5 in o. vt magis expressum & formale: sed quia illud iam supra retulimus contra eos, qui dicebant D. Thomam mutasse sententiam, quam docuerat quæst. citatâ de potentia; ab

hoc referendo abstinui, ne tædio essem lectori: tàm enim apertè hanc, quam propugnandam suscepimus Prædeterminationem exprimit (quantum ad rem, quam hoc nomine oportuit insignire ob causas inferiùs insinuandas) vt euidentius fieri non possit. Siquidem ait Doctor Angelicus, *Considerandum est quod Deus mouet non solùm res ad operandum, quasi applicando formas & virtutes rerum ad operationem, sicut artifex applicat securim ad scindendum; qui tamen interdum formam securi non tribuit, sed etiam dat formam creaturis agentibus, & eas tenet in esse.*

VI. Profectò satis mirari non potui, quâ synceritatis conscientiâ nonnulli (qui in litteris enutriti, per totam vitam ex professo libros euoluunt, & Angelico Doctori aras pro illibata eius doctrina erigunt) vt ipsi loqnuntur; potuerint dicere (vt & mihi ipsi objectum est in celeberrima Auditorum corona, publicæ disputationis gratiâ, conueniente) nunquam de Præmotione actum esse ab Angelico Doctore. In qua animi suspensione, dum tacitus apud me perpenderem, tùm ea quæ retuli D. Thomæ testimonia in gratiam eorum cui non suppetit librorum copia; tùm ea quæ omisi, & quidem de industria, ne tædio essem lectori, venit mihi in manus insignis Thomista, verè hoc dignus nomine, Reuerendus admodùm Pater Philippus à Sanctissima Trinitate, in Sacratissima Carmelitarum Discalceatorum Familia Prouincialis, qui longè alius ab illis in mente Sancti Doctoris indaganda, habet quæ sequuntur in Summa Philosophiæ D. Thomæ 1. 2. q. 11. a. 2. o. editâ Lugduni 1648 apud Antonium Iulleron.

Probatur secundò authoritate D. Thomæ, qui infinitis penè locis docet nostram Conclusionem, quorum pauca ad diuersas classes reducemus.

Prima classis est eorum in quibus dicit Deum determinare causas secundas ad agendum, vt 1. 2. q 10, a. 4. & 1. p. q. 105. a 1. ad 3. Ex quibus sic procedit ratio: Determinare siue prædeterminare causas secundas ad agendum, est idem ac præmouere: sed D. Thomas docet Deum prædeterminare causas secundas ad agendum; ergo & præmouere.

Secunda classis est eorum in quibus docet Deum mouere causas secundas ad agendum, vt 1. 2. q 6. a. 1. ad 3. & 1. p. q 83. a. 1. ad 3 Sed hic mouere ad agendum idem est ac præmouere; nam per præmouere intelligimus mouere causas secundas antequam agant, & applicare ad agendum; igitur, &c.

Tertia classis est eorum in quibus docet Deum applicare causas secundas ad agendum, vt 1. p. q. 105. a. 5. ad 3. & q. de potentia a. 7. Sed applicare causam ad agendum, est idem ac præmouere ad agendum: ergo ex D. Thoma, Deus præmouet causas secundas ad agendum.

Quarta classis est eorum in quibus D. Thomas docet inclinare causas secundas ad operandum, vt 1. p. q. 83. a. 1. ad 3. Sed inclinare ad operandum, est idem ac præmouere; ergo, &c.

Quinta classis est eorum in quibus D. Thomas docet Deum imprimere aliquam entitatem, siue motionem in causam secundam, antequam agat; vt q. 3. de potentia, a 15. Sed hoc est præmouere ad agendum; ergo D Thomas docet Deum præmouere causas secundas ad agendum.

Sexta classis est eorum in quibus D. Thomas docet creaturas, siue causas secundas esse in suis operationibus instrumenta Dei, vt 1. p q 105. a. 5. & 1. 2. q. 21. a 4. ad 2 Sed instrumenta debent præmoueri ad hoc quod agant; ergo ex D. Thoma, causæ secundæ præmouentur à Deo ad agendum, Plura alia loca Sancti Doctoris possent adduci: nam perpetuus est in hac doctrina; sed ad præsens hæc sufficiunt.

VII. Quamuis hoc in capite, ab aliis quàm D. Thomæ testimoniis referendis abstinuerim; attamen tàm efficax & potens eruitur argumentum ex illo iam citato Aristotelis exemplo 8. Phys. textu. 33. ad institutum illud probandum, vt omittere nequeam; ait siquidem Philosophorum Princeps, tum ibidem tùm 7. Phys. c. 1. *Primum mouens magis mouere quàm vltimum, à quo mouetur primum, sine quo vltimum non mouebit, vt baculus non mouebit, non mouente homine.* Quo Philosophi testimonio, ita se vrgeri senserunt Prædeterminationis Thomisticæ aduersarij, vt continuò multas, sed frustra, obduxerint responsionum nebulas, quibus non tàm occultatur veritas, quàm aperiatur terror incussus, adducto in exemplum, hoc Aristotelis baculo: idque non aliis rationum momentis, quàm R. adm. Patris Philippi Carmelitani, loco supra citato.

Respondent aduersarij, inquit ille, ad hunc locum tripliciter. Primò quod Aristoteles nec verbum vllum de huiusmodi Præmotione scripsit, & maximè dictis locis, vbi exactè tractat de subordinatione causarum secundarum ad primam, siue inferiorum mouentium ad primum mouens immobile. Secundò, quod Aristoteles sit intelligendus de motione communiter dicta, quâ causæ secundæ necessariæ producuntur in esse, & conseruantur à prima causa. Tertiò, quod sit intelligendus de concursu simultaneo: immò aliqui dicunt, quod licet Deus solùm influat per concursum simultaneum, tamen ille influxus, & actio creaturæ priùs est à Deo, quàm ab ipsa causa secunda, quæ per illam actionem, vt est à Deo mouetur, & determinatur ad ipsam actionem eliciendam, prout est ab illa.

Sed Contra: Prima solutio est insufficiens, nam Aristoteles locis citatis, præcipuè 8. Physic. ex secundis mouentibus inuestigat primum Motorem omninò immobilem, æternum, infinitum, &c. vt patet ex vltimis verbis illius libri: probat autem esse talem primum Motorem, quia inferiora mouentia non mouent nisi prius mota, siue præmota: Et cum non sit procedendum in infinitum in mouentibus, aliàs nunquam vltimum mouens moueret, cùm infinitum non possit pertransiri, concludit deueniendum esse ad primum motorem immobilem: & sic non agit solùm de corporibus mouentibus, & mobilibus, vt aliqui dicunt.

Similiter, Secunda solutio non est ad mentem Philosophi, quia ibi agit de his causis secundis, in quantùm dependent à prima in operando, & ideò non agit de illis quatenùs sunt talia entia per participationem, sed quatenùs sunt agentia mota, in quo etiam illam priorem dependentiam inclusit, ac proinde habent hoc quod est agere à primo. Motore: & sic intulit dari vnum Primum Mouens omninò immotum, & consequenter non habens ab alio hoc quod est agere, quia in his essentialiter subordinatis implicat dari processum in infinitũ: & patet in exemplo Philosophi de baculo, qui non mouet, nisi moueatur à manu: sed baculus non dependet à manu in essendo, at in mouendo: ergo Aristoteles loquitur de dependentia causarum secundarum à prima non in essendo, sed in mouendo & operando, quamuis hæc oriatur ex illa.

VIII. Tertia item solutio est insufficiens, quia prius causa secunda necessaria intelligitur mota à Deo, quàm agat, quia mouetur ad agendum. Aristoteles enim 3. Physic. tex. 18. ait quod motus mouen-

tis antecedit motum mobilis: ergo actio causæ secundæ, siue influxus & concursus simultaneus Primæ, non est id per quod causa secunda mouetur ad agendum: sed sequitur ex vi alterius actionis prioris, quâ Deus præcisè agit in illam: quia nihil mouet aliud, nisi agendo in illud, sicut nullus potest trahere nauim, nisi in illam agat: patet autem quod concursus concomitans aut simultaneus, non est influxus in causam, sed in effectum, vt ipsi fatentur aduersarij; deinde moueri est intrinsecè mutari, & consequenter est recipere aliquid, per quod habeat se aliter nunc, quàm prius: sed per concursum simultaneum Dei, etiam ex aduersariis, nihil recipitur intrinsecè in causa secunda: ergo non potest dici quod per illum moueatur.

Deinde ex hac responsione frustratur intentum Aristotelis, qui prætendit ostendere dignitatem Primi Motoris in mouendo: quia si Deus concurrat per solum concursum simultaneum, erit mutua dependentia in agendo: ergo non saluatur prædicta dignitas: quia si mutuò dependent, non est major ratio, cur vna potiùs moueat aliam, quàm moueatur ab illa, & ita, vel vtraque, vel nulla mouebitur ab altera, & sic nulla earum erit excellentior in modo concurrendi: quia causam mouere immotam, denotat quod ita aliquid pendeat ab illa, vt simul ipsa non pendeat in tali motione ab alia: Antecedens autem est manifestum: quia sicut actio causæ secundæ non potest esse sine concursu Dei, ita nec iste concursus ex hac suppositione sine influxu eiusdem causæ secundæ, alioquin non esset concursus simultaneus: & ideò licet Deus posset per concursum alterius rationis illuminare, v. g. sine Sole, tamen illuminationem Solis, non potest efficere sine Sole, immò in actionibus vitalibus animæ vegetatiuæ, vt in nutritione, implicat quod Deus efficiat illam sine concursu causæ secundæ viuentis, quia earum esse consistit in hoc, quod procedant à principio illo viuente coniuncto: ergo si Deus agit per solum concursum simultaneum, est mutua inter vtrumque dependentia.

IX. Denique ex hac responsione sequitur Aristotelem non benè intulisse, quòd sit deueniendū ad vnum Primum Motorem, ex eo quod hæ causæ secundæ non agunt nisi motæ, quod sic probatur. Ideò deueniendum esset ad vnum Primum Motorem, quia vt ibidem ait Aristoteles, in his causis essentialiter subordinatis non est abire in infinitum: sed hæc ratio non viget, si Deus solùm concurrat concursu simultaneo: nam in agentibus partialibus non est inconueniens, vt sit processus in infinitum syncategorematicè, vt patet in trahentibus nauim: nam si pondus nauis crescat in infinitum, vt possibile est syncategorematicè, oportet vt etiam numerus illam trahentium eodem modo in infinitum augeatur: immò patet ex hoc exemplo concursum illum simultaneum nec mouere aliam causam simul concurrentem, nec dare excellentiam in modo concurrendi, & ita licet Deus remotè concurreret modo excellenti, quia dat virtutem, & esse creaturis, quæ sunt causæ secundæ, tamen vt formaliter, & proximè influi, non concurreret tunc independenti modo, nec vt mouens cæteras illas causas, ac proinde non concurreret vt Prima Causa.

Impugnatur tandem id quod subditur in hac tertia responsione, nam prioritas, quæ in illis ponitur, non est in re, sed solùm in intellectu considerante, ergo non sufficit vt saluetur quod Deus per suum concursum moueat has causas secundas ad agendum; nam cùm motio Dei sit causa actionis earum, debet esse inter vtramque distinctio, & vera ac realis prioritas à parte rei, quia fundatur in dependentia causæ secundæ à prima. Deinde ex contrariis sequitur quod causæ secundæ nihil agerent: nam prioritate naturæ præsupponeretur actio Dei in effectum, & consequenter præsupponeretur iam factus, vnde esset incapax vt ab illis reproduceretur.

Sed quamuis ita efficacia sint & euidentia prædicta Diui Thomæ testimonia pro Prædeterminatione Thomistica stabilienda, vt nulla tergiuersatione dissimulari possint, ipsum tamen Prædeterminationis vocabulum, tàm importunè & obfirmato animo efflagitant, vt veritati manifestæ obsistant, nisi expressum illud ab ipso Doctore Angelico Thomistæ prodant. Sit ergo:

CAPVT SEXTVM.

In quo ipsum Prædeterminationis vocabulum in ipsâ Doctoris Angelici Doctrinâ vltrò ostenditur.

I. TAnta fuit, tandiuque agitata hæc de nominum impositione controuersia, vt mirum sit ætate nostra eam renouari. Academici siquidem nominum rationem, naturâ ipsâ, non arbitratu hominum constare volebant. Ex aduerso stantes Peripatetici, hominum arbitrio & consensu inuenta esse nomina, rebusque accommodata affirmabant. Et quamuis duæ illæ pugnantissimæ opiniones, non magis conuenire videantur, quàm opposita esse simul: non tamen tanta est tantorum authorum discordia, quanta vulgò existimatur, aut saltem talis non est, quæ ad aliquam non possit reduci concordiam. Nam Heraclitici illi naturalia ideò volebant esse nomina, quia naturę effectiones esse, & opera asseuerabant, propria enim & peculiaria rebus singulis nomina, à natura pręparata esse, ac signata putabant, non aliter quàm sit proprius cuique sensibili sensus: nomina enim naturalibus similia esse simulachris dicebant, qualia sunt illa quæ in speculis, aut stantibus aquis cernantur. Ideò ab iis solis hominibus res nominari putabant, qui vera earum proferrent nomina: qui autem secùs facerent, nec nominare quidem eas, sed sonum tantummodò, aut vocem emittere. Quare illustria esse volebant nomina res pręclarè significantia, vt ipsas omnibus exprimerent, v. g. si quis à natura tali prędictus esset prudentiâ, vt ad regendos, moderandosque populos natus pulchrè videretur: huic, Agesilaï, aut Archidami probè nomen conuenire dicebant, & idcircò à natura esse hæc nomina, quoniam rebus ipsis, quę his signentur nominibus significanter conuenire viderentur Archidamus enim, eo quod populo imperare, Agesilaüs, ex eo quod populi ductor esse posset.

Rem totam illi confirmabant imaginum exemplo: etenim nomina imaginibus esse similia dicebant, non quę ipsâ naturâ, sed quę hominum constarent artificio, qualia illa essent quę à pingendi, fingendiue arte efficerentur: varias siquidem simulacrorum similitudines variis rerum exemplaribus conuenire palàm conspicimus: Et has quidem magis, illas verò minùs expressas rerum reddentes effigies, prout artificis peritia, artis dexteritate adhibita, commodè illas valeret effingere: sic nomina quædam sunt, quę non tàm perfectè res ipsas exprimant, alia verò quę formalissimè, vt verè dictum sit: Conueniunt rebus nomina sępè suis. Quod ex eo clarissimè fieri autumabant, cùm ex nominibus ipsis de-

nominatarum rerum natura innotesceret.

Peripatetici verò non naturalia esse nomina, sed arbitraria semper asseruerunt, idque vel ex eo solo maximè dignosci posse ducebant, quòd res eędem semper fuerint apud omnes homines, semperque futuræ sint: Ac eædem de eisdem animi notiones: cùm tamen ea quæ dicuntur nomina, nec non illa quæ characteribus exprimuntur, apud alios alia fuerint, sint & nunc apud nos, & apud posteros futura sint: aliter enim & loqui, & scribere Græcos, aliter Ægyptios, Latinosque perspicuum est, etiam de rebus eisdem, ex quibus palàm fit omnibus non à natura esse nomina, sed à nationibus inuenta, ideò hominum beneplacitis adscribenda non quidem temerè, vt volebat Hermogenes, pro cuiusque arbitrio, etiam si id nullà fieri ratione contingeret (vt sæpiùs à pueris & mulieribus, ioco fieri cernimus) sed prudenter & consultò, vt à prudentissimis, & qui perfectam rerum scientiam callent, fieri consonum est.

II. Sicque tàm dissidentes sententię sine vllo ferè negotio conciliantur, siquidem non obscurè cuiuis patere poterit Peripateticorum sententiam ab Academicorum placitis, non alià re, quàm verborum specie esse diuersam. Quæ enim nomina à prudentissimo viro, & vt ipsi aiunt, totius naturæ peritissimo sunt excogitata, vt rebus apprimè conuenientia, à natura (licet minùs propriè loquerentur) veri dixerunt Academici: quæ tamen nationum consensu, & hominum arbitrio excogitata, fabricata, & vsu recepta sunt nomina, non à natura esse, sed ex hominum beneplacito, veriùs Peripatetici constanter propugnarunt: quæ enim sunt à natura ad vnum determinata, vno ac determinato modo se habent apud omnes. Quod ex hoc conjicere quis poterit, nam apud Platonem inter dissidentes de nominum ratione Hermogenem & Cratilum, medium se constituit Socrates, & multis vtrosque rationibus reprehendit: neque enim hominum solo constare arbitrio nomina planè demonstrat, vt asseuerare videbatur Hermogenes, idque propter vniuersalia maximè genera, resque immutabiles ac sempiternas, quibus tùm quia perpetuę sunt atque constantes ab omnibus ab initio cognitæ, tùm quia immobilem definitamque naturam sortitæ sunt, stabilis quoque & recta nominum benè adscribi possit ratio. Neque rursùm nomina, solà constare natura ostendit, vt volebant Heraclitici, propter singularium labilem ac fluxam indiuiduorum naturam, quibus neque conuenienter assignari, neque diù benè nomina quadrare possent.

Qui ergo nomina ideò naturà constare dixerunt, hoc solùm voluerunt vt rerum naturę sic essent peculiariter accommodata vt res ipsas significarent, quæ à prudentissimis nominum conditoribus, & quasi loquendi Architectis secundum naturæ exigentiam ideò inuenienda esse nomina, rebusque solerter assignanda dixerunt. Inuestiganda igitur sunt nomina, rerumque perscrutanda vocabula, quæ meliùs accommodatiusque res ob oculos ponunt; ita vt non solùm pensetur id à quo nomen imponitur, sed potissimùm illud ad quod significandum nomen fuerit impositum, quod nisi perfectè expresserit, nomen proprium non erit, sed commune tantùm, vel etiam sola vox aut sonus, vt Heraclitici volebant.

Hæc præmittere placuit, vt antiqua hæc de nominum impositione controuersia, nonnihil effundat luminis, quo ipsa Prædeterminatio Thomistica euidentiùs innotescat: si enim probauero (vt Deo fauente spero) Primi Motoris concursum per aliud perfectè exprimi non posse vocabulum, quàm Prædeterminationis nomine, argumento erit, & quidem tantò efficaciori, quò hoc ipso vsus fuit Doctor Angelicus, huius controuersiæ iudex æquissimus.

III. Qui mentem homini dedit, atque intelligendi vim concessit Deus, eidem etiam ingenerauit discendi cupiditatem; quem tamen ille in rerum procreatione ordinem, modumque tenuit, eundem videtur voluisse ab hominibus in earum indagatione seruari: non enim primò simul omnia, eo quo sunt distincta ordine condidit: neque suis quæque locis elementa constituit, sed informe priùs, & confusum rerum omnium (vt veteres appellant) chaos, edidit: tùm deinceps singula ita eduxit ornauitque, vt nihil, neque ad speciem pulchrius, neque ad aspectum iucundius, aut esse, aut fingi possit. Hoc idem Philosophis facilè cernimus in sapientiæ studio contigisse: primò enim rudem & valdè confusam rerum cognitionem vetustissimi illi, qui sapientes nominabantur, habuerunt; præsertim circa cognitionem Primi Principij, circa quod toties errauerunt Gentilium Doctores. Si enim non magis fuère fœlices circa cognitionem Primi Principij, quàm circa vltimum hominis finem (quæ huic principio correspondet) tantumque à veritate in eo assignando deuiarint, vt teste Varrone, relato ab Augustino lib. 19. de Ciuit. Dei, in ducentas & octoginta opiniones diuersas abierint, quis & eorum lapsus hic enumerare sufficiat? Illi tamen qui ad veritatem propiùs accesserunt, non statim illis lux Sapientiæ & splendor totus enituit: sed paulatim processerunt vt primò quasi sub caligine, postmodùm verò proficiente lumine meliùs quid, ac veriùs docerent.

Qui enim à primo quodam principio res omnes profluxisse existimarunt (vt innumeros taceam aliud sentientes) eorum plurimi duxerunt rem quamlibet in suo esse constitutam, non minùs solutam esse à Primo Agente, & actu independentem, quam sit quilibet effectus à sua causa productus, aut artefactum ab artifice in facto esse relictum.

Postmodum verò concursum Dei alij admiserunt, & de hoc diù, multumque à Philosophis disputatum est, nihil discutientibus vtrum præuius esset, vtrùm simultaneus, id est, an Deus ageret priùs creaturà & in illam, aut tantùm simul cum illa. Verùm adueniente Genio naturæ Aristotele, rerum omnium causas & principia accuratiùs rimante, res omnes naturales ipsi naturæ Authori deprehendit esse subordinatas, ideoque eas ab illo actu & essentialiter dependere in agendo (cùm agere sequatur esse) ideò absolutè pronuntiauit id quod capite præcedenti refert D. Thomas.

[Vtraque igitur mouere dicimus, inquit, & primum & vltimum mouentium, sed magis primum: illud enim mouet vltimum, sed non hoc, primum; & sine primo quidem, vltimum non mouebit. Illud autem sine hoc, vt baculus non mouebit nisi moueatur ad homine. 8. Physic. tex. 33. lect. 9.

Et quamuis hoc euidentius esset pro re quam propugnamus, quàm vt in dubium reuocari posset: attamen, quia innumeræ sunt à veritate declinandi viæ, vnaque ad eam quæ vna est perueniendi, rursùm synceram concursus Dei significationem variis difficultatum nebulis obscurarunt. Dixerunt siquidem causas secundas ad agendum à Deo moueri, sed velis, ramisque, vt aiunt, à, ly præ, velut à Sylla, aut periculoso scopulo fugiebant, ne scilicet dicerent illas præmoueri à Deo, quod existimabant exitiosum fore libertati.

IV. Sed cùm iterùm ex Aristotele & Angelico Doctore premerentur, asserentibus [Motionem motoris præcedere motum mobilis ratione & causâ] quę semper est prior effectu, saltem naturâ, vt in pręsenti sufficit Thomistis: contradictionis vitio laborare eum deprehenderunt, qui motionem admitteret, non verò pre-

motionem (cùm apud peritos res vna sit, eaque ipsissima.

Et licet sexaginta annorum spatio à Præmotionis nomine scrupulosè abstinuerint aliqui; iam tamen ab ipsis æmulis, hæc beneuolo suscipitur animo. Verùm quia, vt ait Diuus Thomas 1. p quæst. 29. art. 1. ad 1. *Ad inueniendu noua nomina antiquam fidem de Deo significantia, coegit necessitas disputandi,* Sic & eadem fuit necessitas illa immutandi: nisi enim docuissent aliqui concursum Primæ Causæ esse tantùm simultaneum, nunquam necessarium fuisset, ly Motionem, fabricare: ipsaque Motionis significatio ritè intellecta sufficiens fuisset: hæc verò non satis perspecta, Præmotionis vocabulum postulauit, maioris expressionis gratiâ.

Quod si è præteritis ominari liceat de futuris; ex Præmotionis vocabulo, quod olim lapis erat offensionis, nunc verò vnanimi etiam, vt dixi æmulorum consensu acceptissimum sit: Iam non dubito quominùs ipsa quoque Prędeterminatio libentissimè admittatur: quoniam si, vt suprà retulimus, in impositione nominum maximè habenda sit ratio rei significatæ, ipsum Præmotionis nomen in prædeterminationis vocabulum necessariò erit immutandum: ratio est quia vocabulo opus est quod ita Dei causalitatem insinuet, vt eius in agendo certitudinem exprimat: etenim modo longè alio agit Deus ab illo, quo quis globum præmouet versus aliquem terminum, quò sæpiùs non peruenit contra intentionem præmouentis, seu ab illo quo in scopum sagittam quis dirigit, quem frequentiùs non attingit: nam in his quæ absolutè fieri voluerit Omnipotens, nullus est frustrationi locus, quia *Intentio Dei deficere non potest*, vt ait D. Thomas 1. 2 q. 112. a. 3. Intentio verò nostra sæpiùs deficit: Igitur nomine opus est, sub quo non lateat æquiuocatio, quodque quantùm possibile est agentis, quod deficere non potest, causalitatem exprimat, & hanc vicissim distinguat ab illa quæ aliquando deficit, vt est omnis causæ creatæ operatio: at vnanimi omnium consensu, huiusmodi est Prædeterminatio Thomistica, quâ & prouidentia Dei de singulis faciliùs suadetur, eiusque causalitas etiam in minimis determinatè intelligitur.

V. Quod vtrumque ita certum est, vt citra Fidei periculum reuocari non possit in dubium, testante eo qui ait, Passeres non esse in obliuione coram Deo; Suorumque capillos omnes esse numeratos.

Superest igitur vt ipsum Prædeterminationis vocabulum ex ipso Doctore Angelico depromamus: quod licet ex (ly determinatione) satis desumi possit, cùm idem sit iudicium de determinatione & prędeterminatione, ac de motione & præmotione quoniam, vt ait D. Thomas ex Aristotele, *Motio motoris præcedit motum mobilis ratione & causâ*, Quæ prioritas causalitatis (ly præ) euidentèr includit: tamen ne egeni in hac plenitudine videamur, vtrumque scilicet, determinatio & prædeterminatio in medium hîc vltrò traducetur.

Primò igitur, ait D. Thomas 1. p q. 19. a. 5. ad 5. *Causa contingens debet determinari ab aliquo exteriori ad effectum*, Et ne anceps hæreas quodnam sit agens illud à quo debet determinari causa contingens, lege Sanctum Doctorem 1. p q. 105. a. 1. ad 3. vbi ait, *Dicendum quod hoc ipsum quod causæ secundæ determinantur ad suos effectus, est illis à Deo*: at, an non causa contingens est voluntas creata? Hæc ergo determinatur ab ipso Deo.

Secundò notandum est id quod ait S. Doctor 2. Physic. lect. 8. *Sicut potentia motiua, quæ est ad vtrumlibet, non exit in actum, nisi per potentiam appetitiuam determinetur ad vnum: ita nihil quod est ad vtrumlibet, exit in actum, nisi per aliquod determinetur ad vnum, quia id quod est ad vtrumlibet, est sicut ens in potentiâ*, Ex quibus euidenter apparet, (ly determinatio) à qua determinatione nihil quod sit in potentia ad vtrumlibet, excipitur: atqui nihil est magis in potentia ad vtrumlibet, quàm voluntas creata: ergo & ipsa à Deo determinatur: Et hæc voluntatis creatæ determinatio ab eo solo est, qui ex virtute infinita potest causare, & substantiam actus, & modum eius liberum; quia, vt ait D. Thomas q. 23. de veritate, a. 5. *Voluntas Diuina est agens fortissimum; vnde oportet eius effectum ei omnibus modis assimilari, vt non solùm fiat id quod Deus vult fieri, quod est quasi assimilari secundum speciem: sed vt fiat eo modo quo Deus vult illud fieri, vt necessariò, vel contingenter, citò, vel tardè, &c.* Et hinc nullum fit libertati præiudicium: quis enim officì credat libertati, ex eo quod Deus det vigorem, vel feruorem accendat vt citò quid fiat ab aliquo, quod non nisi tardè & tepide fieri poterat? Ab eo autem solo id fieri potest, *Qui dat vitam & inspirationem, & omnia: vt dicitur Act. 18.*

VI. Omnem verò determinationem externæ alterius causæ perpetuò excludit D. Thomas à creata voluntate, vt ait primo contra Gent. c. 68. in fin. *Dominium quod habet voluntas supra suos actus, per quod in eius potestate est velle & non velle, excludit determinationem voluntatis ad vnum, & violentiam causæ exterius agentis; non autem excludit influentiam causæ superioris, à qua est ei esse & operari, & sic remanet causalitas in prima causa, quæ est Deus respectu motuum voluntatis.*

Quantùm verò ad Prædeterminationem spectat, quam tàm importunè efflagitant, hanc reperies primò ad Anuibaldum dist. 47 quæst. vnic. a 4. vbi ait D. Thomas [Voluntate Dei, quæ est causa rerum, non solùm res in esse producuntur, (loquens, tàm de agentibus necessariis, quàm de contingentibus & liberis) sed etiam rebus producendis, modum quo producantur prædeterminauit; Vnde cùm voluntas Dei efficaciter impleatur, oportet quòd res fiant, & eo modo fiant, quo Diuina voluntas disposuit. Disposuit autem Deus ad complementum vniuersi, vt quædam fierent necessariò, quædam verò fierent contingenter, & his præparauit causas contingentes]

Ex quibus hoc vnum animaduersione dignissimum hîc iudico, scilicet tàm in agentibus necessariis, quàm in liberis & contingentibus ex D. Thoma, *Modum quo producentur res à Deo prædeterminari*, Cui doctrinæ si conferas noua illorum commenta, qui dixerunt à Deo indeterminatum & solummodò indifferentem concursum offerri, cuius determinationem teneatur Deus expectare à voluntate creaturæ, nihil magis è diametro repugnans & oppositum apparebit doctrinæ Angelici Doctoris, qui hunc modum sentit à Deo produci tanquam à causa prima, cui est essentialiter subordinata omnis creatura, quæ nusquam ita à Deo determinatur, quin etiam principaliter seipsam determinet: Ex quo apparet nullum fieri præiudicium libertati, quia non est de ratione agentis liberi vt sit primum liberum: sicut non est de ratione causæ, vt sit prima causa, vt iam ex D. Thoma diximus. Nec vnquam excluditur causalitas primæ causæ, quæ est Deus respectu motuum voluntatis, vt iam non semel ex primò contra Gent. c. 68. insinuauimus: Cuius vniuersalissimæ causalitatis tuendæ gratiâ, Prædeterminatio Thomistica est necessariò admittenda.

VII. Item super Diuum Dyonisium de Diu. Nom. c. 5. lect. 3. exponit D. Thomas verba Dyonisij dicentis, exemplaria in Deo esse prędefinitiones & voluntates Diuinas existentium prædeterminatiuas & effectiuas, *Quia has rationes, inquit Doctor Angelicus, supersubstantialis Dei esse prædeterminauit.*

Denique D. Thomas 1. p. q. 23. a. 1. ad. 1. explicat dictum Damasceni negantis prædeterminationem Dei, aitque intelligendum esse, *De prædeterminatione imponente necessitatem*: ergo nouit D. Thomas & prędictam aliam pro qua militamus, quæ non imponit necessitatem; quâ in sententiâ perpetuus est Sanctus Doctor vt patet 3. contr. Gent. c. 9. in fine, vbi eandem soluens Damasceni obiectionem semper eadem vtitur distinctione.

Exponenda sunt, inquit, vt intelligantur ea quæ sunt in nobis Diuinæ determinationi non esse subiecta, quasi ab ea necessitatem accipientia: Semper ergo excludit D. Thomas à libertate impositionem necessitatis, vt seipsum explicat loco supra citato 1. p. At quis vnquam Thomistarum oppositum somniauit, aut dixit creaturam à Deo efficacissimè prædeterminatam esse minùs liberam? Cùm per hanc prædeterminationem, perfectissimam consequatur libertatem. Item quodlib. 12. q. 3. a. 4. *A Causa supercælesti, inquit Doct. Angelic. omnia sunt prædeterminata & ordinata.*

Iam ergo habes, candidè lector, tandiù desideratum, totque quæsitum vigiliis, ex ipso Thomâ, nomen ipsum Prædeterminationis: nam si facta est Theologis licentia vsurpandi, v. g. nomen (prædestinationis) (quod non reperitur in Scriptura) nisi quia ab Apostolo bis aut ter ad summùm habetur expressum, ly prædestinauit, majorne est difficultas vt ex verbo, prædeterminare, quod ter itidem repetit D. Thomas, inferatur, ly Prædeterminatio, quàm ex verbo, prædestinare, stabiliatur prædestinatio?

Fatearis ergo necesse est, erudite lector, fastidiosi esse stomachi, Thomisticam hanc respuere pilulam, quam si deglutire voluissent aliqui, non tandiù tebelles extitissent lumini, cùm vel solùm super nos signatum rationis lumen, ab ipso fontis lumine deriuatum, satis superque hoc possit persuadere, tùm ex agentis creati subordinatione & dependentia essentiali, tùm ex diuinâ de singulis prouidentiâ, eiusque omnipotentiâ, quę in his quæ Deus absolutè fieri voluerit, nequaquam deficit: pro quibus iisque similibus exprimendis, si nomen magis aut æquè aptum reperire aut fingere quis valuerit, non tantam in me resistentiam experietur, quantam & ipsi cernimus in præfatum verbum fuisse allatam.

CAPVT SEPTIMVM.

Educitur ex D. Augustino ipsa Prædeterminatio Thomistica, saluâ libertatis creatæ indifferentiâ.

I. A Thomistis propugnatum Prædeterminationis vocabulum iam iam diximus, Primò vt inter cætera eo quantum fieri posset vniuersalissima Dei causalitas exprimeretur, tùm in agentibus liberis tùm in naturalibus; quam excuteret voluntas creata si ad agendum Deus eam actu non præueniret, sed tantum expectaret liberam eius determinationem, cujus ideò causa non esset. Secundò vt omnipotentia Dei vtcunque significaretur in his quæ absolutè fieri decreuisset, in quibus non potest deficere, &c. Quicunque igitur prædicta duo in aliquo loquendi modo obseruarint, imò vel horum alterum, scilicet aut absolutum Dei dominium in res omnes, nec minùs in creatam voluntatem, in quam tamen speciali modo operatur, quàm in cætera omnia: aut vniuersalem Dei in agendo causalitatem & certitudinem, quæ in iis quæ absolutè fieri voluerit, deficere non potest, vt ait D. Th. 1. 2. q. 112. a. 3. non minùs stabunt pro ipsa Prædeterminatione physica, etiam vt distincta à Præmotione, quæ communis est Deo certissimè operanti, ac creaturis non rarò ab eo quod intendunt deficientibus, quàm si eam proprio expressissent nomine.

Ex quo sequitur, & necessariò, admittendam esse præfatam Prædeterminationem, quâ solâ in agendo ritè exprimitur prædicta Dei certitudo, vniuersalisque eius causalitatis (etiam respectu voluntatis actu agentis) prioritas, sine dependentia à voluntate creata, quam solus immutare potest omnipotentissima facilitate quando, vbi, & quomodo voluerit, illæsa eius indifferentia. Atqui nihil facilius quàm demonstrare Sanctissimum Præsulem Augustinum sic de Deo sentire, & voluntatem Dei non posse impediri in iis quę fieri absolutè decreuerit, vt patet ex eius Euchyr. c. 95. & 96. vbi ait, *Si dicamus Diuinam voluntatem posse impediri à voluntate cuiusuis creaturæ siue in Cælo, siue in Terra, periclitatur initium nostræ fidei, quâ confitemur Deum esse omnipotentem.*

Et quoniam exosum esset innumera hic Sancti Pręsulis congerere testimonia, sex ad summum seligam, quibus euidentissimè elucescat quid hac in parte sentiat Diuinus Antistes, vbique velut è diametro oppositus mutuæ huic dependentiæ, quam per concursum indifferentem aut simultaneum, oppositæ sententiæ Authores moliuntur astruere.

Sit ergo primum quod habetur Oper. imperf. l. 3. c. 168. *Cur ergo, inquit, non confiteris sine vllâ forinsecùs sonante iussione Deum occulto instinctu ad quod voluerit efficacissimè implendum præparare, atque excitare hominum voluntates*, At; poterat-ne euidentiùs demonstrari aut influxus Dei in voluntatem, quàm dicendo illam à Deo præparari; aut exprimi certitudo Dei in attingendo id quod fieri voluerit, quàm per ly (efficacissimè)? Ergo non tantùm agit Deus cum voluntate, sed & in voluntatem; iamque per me licet, aliquod inquirant vocabulum, quod vtrumque meliùs exprimat, quàm Prædeterminatio Physica, siquidem non satis Dei efficaciam & certitudinem exprimit ly (Præmotio) agentibus creatis & ipsi Deo communis, cùm sæpè per eam deficiat agens ab eo quod intendit, vt patet in dirigente sagittam, aut præmouente pilam ad scopum. Aut certè dicendû est, carere nos nomine, quo hunc modum soli Deo proprium exprimamus, quod falsum esse demonstratur.

II. Secundò, Loquens de Diuinis subsidiis quibus suis Deus opem tulit, ait D. Augustinus de cor. & gra. c. 12. *Tantum quippe Spiritu Sancto accenditur voluntas eorum, vt ideò possint, quia sic volunt; ideò sic velint, quia Deus operatur vt velint: nam si in tantâ*

infirmitate vitæ huius, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam, perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, vt in adiutorio Dei, sine quo perseuerare non possunt, manerent si vellent, nec Deus in iis operaretur vt vellent: inter tot & tantas tentationes, infirmitate suâ voluntas ipsa succumberet, & ideò perseuerare non possent, qui deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, vt possent: subuentum est ergo infirmitati voluntatis humanæ, vt Diuinâ gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur, & ideò quamuis infirma, non deficeret, nec aduersitate aliqua vinceretur. Perpende attentiùs hæc verba (indeclinabiliter & insuperabiliter.)

Idem Sanctissimus Præsul libr. 2. contra Iulia. ait. [Dicite nobis ô vani, non defensores, sed inflatores liberi arbitrij: dicite inquam, nobis, si noluissent Gentes credere, iusteque viuere, euacuaretur promissio quæ facta est ad Abraham? Non, inquies: Ergo vt Abraham ob stipendium fidei consequeretur dilatationem seminis, præparata est Gentium voluntas à Domino: vt vellent, & quod nolle potuissent, ab illo factum est, qui ea quę promisit potens est facere.]

Et vt alibi idem Sanctus ait, [Promisit quod facturus ipse fuerat, non quod homines: quia etsi faciunt homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit vt illi faciant quæ præcepit, non ipsi faciunt vt ille faciat quod promisit: alioquin vt promissa Dei compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate: & quod à Domino promissum est, ab ipsis redditur Abrahæ: non autem sic credidit Abraham, sed credidit dans gloriam Deo, quoniam quæ promisit, potest & facere,] ita de Prædest. Sanct. c. 10.

Itidem in tom. 7. l. de corr. & gratia, c. 14. ait Diuinus Antistes. *Cùm autem homines per correptionem in viam iustitiæ seu veniunt, seu reuertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille qui quolibet plantante atque rigante, & quolibet in agris atque arbustulis operante dat incrementum Deus, cui volenti saluum facere nullum hominis resistit arbitrium? Sic enim velle & nolle in volentis & nolentis est potestate vt Diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem, de his enim qui faciunt quæ non vult, facit ipse quæ vult. Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in Cœlo & in Terra, omnia quæcunque voluit, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus quod vult, cùm vult, facit: Nisi fortè quando Deus voluit Sauli regnum dare, sic erat in potestate Israëlitarum subdere se memorato viro, siue non subdere, quod vtique in eorum propositum erat voluntate vt etiam Deo valerent resistere. Qui tamen hoc non fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates, habens sine dubio humanorum cordium, quò placeret inclinandorum omnipotentissimam potestatem.* Quomodò verò sic inclinet, & faciat Deus de voluntatibus hominum, quod sibi placet, explicat statim infra Augustinus [Intùs egit, corda tenuit, eosque voluntatibus eorum quas ipse in illis operatus est, traxit. Si ergo, cùm voluerit Deus Reges in terra constituere, magis habet in potestate sua voluntates hominum, quàm ipsi suas, quis alius facit vt salubris sit correptio, & fiat in correpti corde correptio.] Sic Aug.

III. Item lib de gra & lib. arb. c. 21. sic ait, *Agit omnipotens Deus in cordibus hominum, etiam motum voluntatis eorum, vt per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit.* Et post multa testimonia allata ex Scrip. quibus hoc probat, concludit, *His & talibus testimoniis Diuinorum Eloquiorum, quę omnia commemorare nimis longum est, satis, quantùm existimo, manifestatur operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit.*

Quintò, Eodem supradicto lib. c. 8. [Si, inquit, confiteris donum Dei esse perseuerare in bono vsque ad finem, cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat: puto quod mecum pariter nescis, & ambo hìc inscrutabilia Dei iudicia penetrare non possumus. Aut si ad liberum arbitrium hominis, quod non secundum gratiam, sed contra eam defendis, pertinere dicis, vt perseueret in bono quisque, vel non perseueret, non Deo donante vt perseueret, sed humana voluntate faciente: Quid molituros es contra verba dicentis? Rogaui pro te, Petre, ne deficiat fides tua. An audebis dicere, etiam rogante Christo ne deficeret fides Petri, defecturam fuisse, si Petrus eam deficere voluisset. i. si eam vsque in finem perseuerare noluisset? Quasi aliud Petrus vllo modo vellet, quàm pro illo Christus rogasset vt vellet. Nam quis ignorat tunc fuisse perituram fidem Petri, si ea quæ fidelis erat voluntas ipsa deficeret, & permansuram, si eadem voluntas maneret? Sed quia præparatur voluntas à Domino, ideò pro illo Christi non posset esse inanis oratio. Quando rogauit ergo ne fides eius deficeret, quid aliud rogauit, nisi vt haberet in fide liberrimam, fortissimam, inuictissimam, perseuerantissimam voluntatem? Ecce quemadmodum secundum gratiam Dei, non contra eam libertas defenditur voluntatis. Voluntas quippe humana, non libertate consequitur gratiam, sed gratiâ potiùs libertatem, & vt perseueret delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinem.]

Denique libro de gratia & lib. arbit. c. 20. loquens S. Præsul de voluntatibus hominum, ait illas ita esse in Dei potestate, *Vt eas quò voluerit, quando voluerit, faciat inclinari.* Et lib 1. contra 2 Epist. Pelag. c. 20. *Deus, inquit, occultissimâ & efficacissimâ potestate cor Regis conuertit, & transtulit ab indignatione ad lenitatem.* Legatur totum hoc caput, in quo aduertat Lector sermonem esse de Rege, qui tunc erat (vt ipsius vtar Scripturę verbis, velut taurus in impetu indignationis suæ.) Ex quibus euidentissimè patet quàm turpiter allucinentur, qui existimant Deum teneri humanis studere inclinationibus, occasiones expectare, &c. ne scilicet liberum lædatur arbitrium. Quibus præmissis, sic concludit Sanctus Antistes, *Nunquid homines Dei qui hęc scripserunt, immò ipse Spiritus Dei, quo authore per eos ista conscripta sunt, oppugnauit liberum hominis arbitrium? Absit: sed Omnipotentis in omnibus, & iudicium iustissimum, & auxilium Dei misericordissimum commendauit,*

His præmissis, resumamus compendiosè, si placet, quæ dicta sunt [Deus, inquit S. Præsul, operatur vt vellent, & nisi operaretur vt vellent, voluntas succumberet, & ideò perseuerare non possent: subuentum est infirmitati humanæ, vt Diuina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur, quia quæ promisit Deus, potens est & facere: sed vt vellent, quæ nolle potuissent, præparata est voluntas à Domino.

IV. At quid magis liberum, quàm conuersio Gentium? Quidue magis optandum, quàm delectabilis illa ad perseuerandum perpetuitas, quæ optimè stat & cum libertate (quia sic volebant, vt nolle potuissent) & tamen cum ipsa. [Insuperabili Dei fortitudine, cui volenti saluum facere, nullum hominis resistit arbitrium:] Quare autem non resistit, cum resistere posit? *Quia sic velle & nolle in volentis & nolentis est potestate, vt Diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem, facit enim Deus quæ vult de his qui non faciunt quæ vult.*

Item Christi oratio vt Petrus perseueraret, non pote-

erat esse inanis, teste S. Præsule: An ideò negabis eius in fide liberrimam fuisse voluntatem, quia hanc asserit fuisse fortissimam, inuictissimam & perseuerantissimam? Sic enim eodem Iudice secundum gratiam defenditur libertas contra vanos non defensores, sed liberi arbitrij inflatores.

Rursùm, Dices-ne Deum debere humanis studere inclinationibus, præuidere dispositionem, aut aliquam expectare temporis opportunitatem, vt aliquid per hominem operetur? Resistit D. Augustinus asserens à Deo fieri de ipsis hominum voluntatibus quod vult, cùm vult, conuertendo ipsa Regum corda ab indignatione in lenitatem efficacissima potestate, idque quoties, & quando, & quocunque voluerit.

Nihil profectò euidentiùs quàm quod possent Israelitæ Saülem non eligere, quod sic in eorum erat positum voluntate, vt etiam Deo possent resistere, En libertas: sed quia habet Deus hominum voluntates magis in sua potestate, quàm ipsi suas, habet quoque humanorum cordium in quodcunque voluerit inclinandorum, omnipotentissimam potestatem.

Perperam ergo prætextu huiusmodi certitudinis quę cernitur in Prædeterminatione Thomisticа, metuitur pro libertate creata, cùm satis probatum sit eà non lædi aut imminui eius potentiam in vtrumlibet: quare stabit perfectissima libertas cum certitudine infallibili Prædeterminationis Thomisticæ, nequaquam cum coactione aut necessitate, qualis reperitur in brutis animantibus.

Confer iam, si places, Candide Lector, hanc Sanctissimi Præsulis doctinam de efficacia Primæ Causæ quantùm ad ea quę Deus absolutè fieri voluerit, cum Recentiorum quorumdam dogmatibus, qui prospicientes per concursum simultaneum (quem in Prædeterminationis Physicæ locum substituere tamdiù frustra moliti sunt) explicari nusquam posse vniuersalem Dei causalitatem, quà omne agens creatum sic præuenit Deus, vt nullus sit realis modus entis qui ab ipso tanquam à primà & immediatà causà non proueniat: confugerunt ad concursum quemdam præuium quidem, sed indifferentem & indeterminatum, quem voluntas creata pro libito ducat ad exitum, faciatque vt suum sortiatur effectum, sicque homo (contra doctrinam Apostoli) seipsum discernat, & tantam in agendo relinquat incertitudinem hic influxus, vt in quam partem voluntas sese inflectere voluerit, teneatur Deus obsecundare & obsequi, eiusque in aliud determinationem expectare, dispositionem præuidere, & id genus alia, infimam redolentia dependentiam, ideòque Deo indignissima, nec minùs præfatæ D. Augustini opposita doctrinæ, quàm lumini tenebræ. Qui toties sub iisdem aut æquiualentibus verbis insinuat quod lib. 1. oper. vlt. in Iulian. c. 93. testatum reliquit. *Absit, inquit, vt impediatur ab homine omnipotentis & cuncta scientis intentio.*

CAPVT OCTAVVM.

Rationis naturalis lumine ipsa Prædeterminatio Thomistica fit manifesta, saluâ libertatis indifferentiâ.

I. SI vt ait Romanæ eloquentiæ Princeps, postulat ratio ne quid insidiosè, ne quid simulatè, ne quid fallaciter agatur, quoniam fortes non modò iuuet fortuna, sed multò magis ratio, quâ homo, Senecâ teste, cætera antecedit animalia, & Deum sequitur, hac carere non debuit præsens negotium tot hactenùs Doctorum Testimoniis roboratum, vt qui authoritati non deferentes; ab Angelico Doctore voluntariè recesserunt, ratione victi reuocentur, quæ Tullio authore est humanæ Societatis vinculum, quod sic inter se homines coniungit naturali quadam societate, vt ab eorum contubernio exulare dissidia faciat, vtpotè quæ pandat insidias, simulationes aperiat, omnesque fallaciarum extricet nugas, & hoc est signatum super nos vultus Diuini lumen, quo inter tot mundi huius tenebras regimur, donec illum videamus sicuti est in quo tenebræ non sunt vllæ: verùm quia vt ait Cassiodorus lib. 3. Epist. 52. *Ratio paucos capit ex illis quos probabilis oblectat intentio.* Hic non vna sed multiplex aperitur sine qua facilè euanesceret quidquid hactenùs stabilitum conspicitur. Nam vt ait Q. Curtius de gestis Alexandri, *Nihil potest esse diuturnum nisi cum subest ratio.* Ac fortassis inde in tot opinionum scissuras diuisi sunt oppositę sententiæ Authores, constantesque ex opposito semper fuerunt veri Thomistę. Quòd si vt ait Socrates, quemadmodum in nauigando auscultandum est Gubernatori, sic & vincendo illi, qui plus ratione valet, a quorum sit standum partibus hoc in litterario conflictu, seu quibus majorem adhibere fidem debeat, ex sequentibus, prudens lector iudicabit, si rationum momenta ponderare voluerit, quæ etsi non sint prorsùs inter se differentia, attamen quia non minus animum delectat eadem ratio variè disposita, quàm idem cibus palatum diuersitate condimentorum, sequentes vt à citandis authoribus traditas, fidelissimè referam, vt id ipsum paucioribus aut stilo strictiori exaratum ab vno, ab alio fusius aut alia methodo dispositum, facilius capiatur: duos igitur mihi inter cæteros selegi. Primus est R. P. Redmundus, Mailhat Ordinis Prædicatorum, cuius sunt quæ sequuntur tom. 2. Sum. Philosoph. [Dico, inquit, Deum omnes causas secundas tàm liberas, quàm necessarias quantumuis per sua principia & virtutes naturales in actu 1. completas Præmouere & prædeterminare physicè ad agendū. Hanc conclusionem pręter omnes Thomistas docent alij innumeri, & nonnulli etiam ex patribus Societatis (Cæteris reclamantibus) vt Bellarminus lib. 4. de gratia cap. 16. Cosmas Alamannius prima secundę Summę Philosophię quęstione secunda articulo quarto. Michaël Marcus, Henricus Henriquez Pererius & alij, quos infra referam.

Probatur. Omne agens secundū subordinatur essentialiter Primo & ab eo dependet non solùm in esse entis & in ratione principij habitualis suę operationis, sed etiam in ratione principij actualis eiusdem: ergo debet ab eo physicè Pręmoueri, & Prędeterminari ad operandum: antecedens est omninò certum & euidens: Tùm quia esse principium actuale operationis, est aliquid reale extra Deum, subindeque dependens ab illo: Tùm quia si Creatura esset independens à Deo in ratione principij actualis suæ operationis, iam esset Primum principium & Prima Causa respectu illius, in hac enim independentia consistit formaliter ratio Primi principij, Primi Agentis, aut Mouentis & Primę Causę: Consequentia verò de qua sola est controuersia sic efficaciter suadetur: vt agens secundum in ratione principij actualis suę operationis dependeat à Deo, debet ab ipso recipere pręuiam

uiam aliquam motionem aut influxum quo in ratione talis principij constituatur, seu de actu primo ad secundum reducatur: sed nomine Physicæ Præmotionis aut Prædeterminationis nihil aliud intelligitur: ergo, &c.

Tota difficultas est in Maiori, vt constat, quam inficiantur Aduersarij dicentes: Agens Secundum non constitui in ratione principij actualis suæ operationis per aliquid præuium ad eam, atque ita non esse opus quod tale quid in se recipiat ad hoc vt dicatur in illa ratione principij subordinati Deo seu ab eo dependere, sed constitui per ipsammet operationem actu elicitam, quæ cùm dependeat à Deo simultaneò seu concomitanter cum ipso agente secundo in eam influente, dicitur proindè ipsum agens secundum dependere ab illo in ratione etiam principij actualis talis operationis beneficio solius concursus simultanei.

II. Sed contra: probatur illa Maior, & impugnatur hæc Aduersariorum responsio: quia agens secundum debet necessariè constitui in ratione principij actualis suæ operationis per aliquid pręuium ad eam, & non potest per ipsammet in ratione talis constitui: ergo responsio nulla. Probatur antecedens sic: id à quo effectiuè procedit operatio, nequit esse ipsamet operatio, sed aliquid præuium ad eam & in agente receptum: atqui operatio procedit effectiuè à principio actuali vt tali, id est, vt constituto in ratione principij actualis, atque adeò à constitutiuo ipsius formaliter in ratione talis: ergo constitutiuum huiusmodi in ratione principij actualis suæ operationis nequit esse ipsamet operatio: sed debet esse quid præuium ad eam, ex quo sequitur subordinationem quidem & dependentiam operationis & effectus causæ secundæ à prima saluari sufficienter per concursum simultaneum, non autem subordinationem in ratione principij actualis.

Confirmatur & explicatur, aduertendo principium actuale posse dici dupliciter. Primò effectiuè, aut vt alij dicunt applicatiuè: secundò formaliter. Principium actuale effectiuè sumptum idem est ac principium in actu secundo constitutum & applicatum ad eliciendam operationem: Pincipium verò actuale, formaliter sumendo ly (actuale) est idem ac principium vt iam vltimò actuatum & completum per ipsam actionem elicitam: quo posito, sic formo argumentum.

Quamuis causa secunda constituatur in ratione Principij actualis formaliter & vltimatè per ipsam operationem; debet tamen priùs naturâ constitui in ratione principij actualis effectiuè influentis in illam per aliquid præuium, principio habituali superadditum; ergo debet pręmoueri. Probatur antecedens: Principium actuale influens in actionem antecedit illam prioritate naturæ & causalitatis, cùm sit actualis causa illius: ergo debet constitui tale per aliquid præuium ad eam.

Dices. Principium actuale effectiuè influens in actionem, esse solam virtutem actiuam causæ secundæ, quæ se ipsâ, Deo ex parte suâ simul concurrente & cooperante, elicit actionem absque alio influxu sibi superaddito.

Sed contra: quia virtus actiua causæ secundæ habitualis in ipsa permanens, de se est tantùm in potentia & in actu primo ad agendum, ergo vt actu agat & eliciat operationem indiget aliquo sibi superaddito, quo de potentia seu de actu primo reducatur ad actum secundum.

Dices: ipsamet, Deo simul concurrente, se reducit per suam operationem.

Sed contra: quia debet reduci vt operętur; ergo non per ipsam operationem reducitur, sed per aliquid præuium.

Confirmatur: quod de se non est tale, debet fieri tale per aliquid sibi superadditum, atqui agens secundum de se non est actu influens in operationem, sed solùm in potentia; ergo vt sit actu influens requirit aliquid superadditum, aliàs si nihil ipsi superaddatur, manebit semper in potentia indifferens & indeterminatum.

Innumera in probationem nostræ conclusionis, tùm Philosophica, tùm Theologica afferri possunt argumenta. Sed hoc vnicum quod omninò efficax est, sufficit; subordinatio scilicet, & depēdentia quam causa secunda debet habere in causando à prima: ex qua oritur quòd illam applicare debet ad agendum, & constituere in ratione principij actualis, quod sine aliquo influxu in ipsa causa secunda recepto fieri non posse ostendimus, atque adeò admittendus est ille influxus seu prædeterminatio.

Alter verò cuius doctrinam de verbo ad verbum hìc subjiciam, est: R. Pater Philippus à Sanctissima Trinitate Carmelita Discalceatus Prouinciæ Sanctæ Theresiæ in Gallia Prouincialis 1. 2. Summæ Philos. q. 11. a. 3. Qui postquam contrariam in Partem hanc quæstionem agitauit scil. vtrùm ratione naturali demonstretur necessitas Prȩmotionis Physicæ, sic concludit.

III. Respondeo dicendum, quòd Deus præmouet causas secundas necessarias ad suos actus influendo in illas aliquid reale physicum & prȩuium quo prȩmoueantur & prædeterminētur physicè ad operandum, ac proindè non sufficit concursus eius merè simultaneus; ad cuius euidentiam sciendum est hanc difficultatem solùm procedere de causis necessariis & non de liberis, quia tractare de causis liberis, inuoluit multa suprà captum Philosophiæ, nam inuoluit auxilia diuinę gratię per ordinem ad actus supernaturales, & similia; ideò remittimus ad Theologiam vbi Tractatus de Auxiliis Diuinæ Gratiæ est celeberrimus & diffusissimus: hæc enim paucis comprehendi non possunt: melius est autem nihil omninò dicere, quàm aliqua confusè & succinctè proponere, quæ potius confunderent quàm instruerent.

Probatur conclusio rationibus desumptis à D. Thoma; Causa Prima est causa actionis procedentis à causa secunda, non secundum substantiam, tantùm; sed etiam secundum illud modale quod includit, scil. prout est à causa secunda; quia cùm illud modale sit aliquid in rerū natura & reale, necessariò debet dependere à Causa Prima, sicut ens per participationem ab ente per essentiam: sed Prima Causa non potest esse causa talis actionis secundùm illud modale, scilicet prout procedit à causa secunda, nisi influendo in ipsam causam secundam aliquid reale quo actu applicetur ad operandum, quod vocatur concursus præuius; ergo datur talis concursus qui est Prȩmotio Physica: Maior constat, quia sicut Deus ex hoc quod est Primum Ens & Prima Causa, habet & esse, & virtutem operatiuam à se, & etiam hoc quod est esse Principium actuale operandi: sic creatura ex hoc quòd est Ens per participationem, habet esse & virtutem operatiuam ab alio; ex hoc verò quòd est causa secunda habet ab alio, esse actuale principium operandi, seu esse principium actualiter applicatum & determinatum ad agendum: hoc enim est quid reale vt patet: nam actio non pendet actu & in exercitio à principio habitualiter operatiuo præcisè sumpto, cum possit esse principium habituale operandi

absque eo quòd sit actio: sed pendet ab illo, vt est actuale & determinatum principium illius siue vt actualiter applicatum ad agendum. Deinde quia si esse operatiuum habitualiter est aliquid reale, multò magis erit quid reale, esse actuale principium operatiuum; nam ab illo vt sic, saltem in sensu composito non est separabilis actio; sed pendet ab illo actu & in exercitio: ergo totum hoc debet actu habere causa secunda à Prima.

Minor verò probatur: si Causa Prima mouet actu causam secundam ad operandum, & dat illi vt agat; oportet vt ponat in eâ aliquid, quo faciat vt faciat, & quo sit actu causa illius actionis prout ab illa, quia quod est causa physica actionis alicuius causæ necessariè, prout ab ipsa, ac proindè quod est illi efficaciter ratio agendi actualiter, debet esse quid physicum & inhærens ipsi, & præuium ad actionem; sicut quod dat illi habitualiter & sufficienter esse operatiuum est inhærenter necessariò in eadem causa secunda: vel dicendum est quòd solùm Deus concurreret remotè ad illam actionem prout est à causa secunda, quatenùs dedit esse & potentias operatiuas permanentes, & illas conseruat; quod est incidere in opinionem Durandi quoad hanc formalitatem: nam licet ex vi concursus simultanei illa actio sit absolutè & secundum suam substantiam à Prima Causa; non tamen secundùm illud modale, vt scil. procedit à causa secunda necessaria.

IV. Respondent Aduersarij, quòd licet illa actio causæ secundæ sit realiter à Deo Prima Causa; non tamen prout est à causa secunda; & quòd causam secundam agere nihil importat aliud, quàm ipsam causam secundam & eius actionem, & dicunt quòd vtrumque dependet à Deo, actio quidem, per concursum simultaneum; causa verò per conseruationem. Sed contra: illa dependentia actionis in causa secunda formaliter sumpta non est purum Ens rationis, sed aliquid verum & reale in rerum natura exercitum: ergo est ens participatum actu & immediatè ab Ente per essentiam, aliàs Deus non influeret in illam actionem secundum omnem rationem & formalitatem Entis realis, quod est falsum: maximè quia ipsa ratio entis, cùm sit vniuersalissima, correspondet Causæ Vniuersalissimæ: ergo licet factâ collatione inter duas causas eiusdem ordinis, repugnet actionem, prout est ab vna, esse ab alia, non tamen si fiat inter causas diuersi ordinis & essentialiter subordinatas.

Confirmatur: Actiones vitales partis vegetatiuæ secundum rationem suæ vitalitatis pendent à Deo actu & immediatè, quia cum hæc ratio sit valdè perfecta, necessariò debet pendere à Deo qui est vita per essentiam: sed etiam secundum suam vitalitatem intrinsecè dependent à suo principio intrinseco vitę: immò in hac dependentia consistit eius vitalitas: ergo etiam à Deo pendet, prout pendet causa secunda, & similiter dicendum est de aliis: nec etiam verum est quod subiungitur eâdem responsione, scil. quod causam secundam agere nihil importat aliud, quàm ipsam causam secundam & eius actionem: nam ignem v. g. calefacere, seu esse principium actuale calefactionis, non dicit solam entitatem ignis & calefactionis: siquidem posset Deus conseruare tàm calefactionem illam, quàm ipsum ignem absque eo quòd actio ignis calefaceret: nam in hoc distinguuntur actiones vitales creatæ à non vitalibus, quòd illæ non possunt esse aut permanere absque eo quòd actu exeant à principio vitę coniuncto: secùs verò illę quæ per solum influxum Dei possunt permanere: ergo hoc quod est ignem esse actuale principium calefactionis, est aliquid aliud præter ipsam entitatem ignis & calefactionis, scil. esse id à quo actu necessariò & inseparabiliter oritur ipsa actio calefactionis.

Secundò probatur conclusio principaliter: Si Deus non præmouet causam secundam ad agendum, sequitur quod prædicta causa secunda sit primum se mouens, & primum se determinans ad operationem: quod est esse primum principium simpliciter: quia causa quæ non mouetur ab alia ad operandum, est primum se mouens, & primum se determinans, sed admittere plura principia in ordine operatiuo, est incidere in errorem Manichæorum: ergo Deus præmouet causam secundam ad operandum.

Confirmatur: ignem v. g. esse principium actuale operationis & determinatum ad eam, est aliquid reale distinctum, tùm ab operatione, tùm à principio habituali & potentiali operandi, quod quandoque est in actu, quandoque verò cessat ab actu: vel ergo ignis habet à Deo esse tale principium actuale; vel à se: si primum, ergo mouetur & applicatur ab illo ad operandum: si secundum, ergo est primum principium actuale operandi; quia hæc à se habet, & consequenter esset primum Ens, quia si tale ens esset secundum, haberet omnia participata à Primo.

Respondent Aduersarij dupliciter. Primò quod ad rationem primi mouentis requiritur quod habeat esse à se, quod nulli creaturæ competit: Secundò quòd sufficit ad hoc vt non sit primum mouens, quod non possit operari sine concursu Dei.

V. Sed Contra: Prima solutio inuoluit contradictionem; nam esse & operari, vt patet, debent proportionari; ergo si conceditur quòd causa secunda operatur à se, debet etiam concedi quòd sit Ens à se, siue quòd habeat esse à se: & si negetur quòd sit ens à se, debet negari quod operatur à se. Deinde illa solutio solùm euitat quòd ignis non sit primum ens simpliciter: non tamen quòd non sit primum operans respectu suarum operationum: quia ab alio non moueretur ad illas. Denique manet ratio in suo robore: nam esse actuale principium operandi, est aliquid reale, quod non haberet ignis à Deo, & consequenter illud reale in igne non esset Ens secundum.

Nec etiam valet secunda solutio: quia licet Deus alio concursu posset calefacere sine igne, tamen concursu simultaneo non potest, cùm ab intrinseco petat simultatem concursus ignis, aliàs non esset simultaneus: & tamen Deus concurrit vt Prima Causa, & consequenter modo non derogante rationi Primi se Mouentis, & Primi Operantis: ergo ex hoc præcisè quod ignis indiget concursu simultaneo, non amittit rationem primi principij. Confirmatur: Deus non potest concurrere ad actionem vitalem nutriendi, nisi simul concurrat potentia vitalis creata; & tamen concurrit ad illam modo proprio Primæ Causæ: ergo quod requiratur concursus simultaneus alterius causæ, non derogat modo causandi Primæ Causæ, vt Primæ.

3. Prob. conclusio: Deus concurrit simultaneè cum causa secunda, ergo & præuiè: quia cùm duæ causæ concurrunt simul ad aliquam actionem, oportet vel vnam moueri ab alia vel vtramq; à tertia; alioquin omninò à casu sequeretur hæc simultas concursus; licet causæ illæ sint essentialiter, vt patet, subordinatæ; non habetur enim vnde hæc simultas per se sequatur: ergo cùm non possit dici quod Deus operetur à casu, nec applicetur à causa secunda ad agendum, nec detur alia tertia causa, quæ vtramque applicet, debet concedi quod Deus efficaciter

præmouet causam secundam necessariam, ad agendum.

Confirmatur: non potest intelligi causa secunda infallibiliter operatura, cùm ex natura sua sit impedibilis ab aliis causis efficacioribus, etiam ab ipso Deo, nisi efficaciter prædeterminetur à Deo quòd operetur & non impediatur ab aliquo: eo quòd decretum quia est extrinsecum non applicat ipsam ad operationem, nec remouet impedimenta, sed requiritur aliquod intrinsecum executiuum talis decreti intrinsecè applicans & immutans causam secundam, quod sic efficaciter applicet ad operandum, vt sic applicata infallibiliter operetur. Ergo causæ secundæ indigent præmotione Dei ad agendum, nec valet recurrere ad scientiam mediam, quam subtilissimè & euidentissimè probant esse impossibilem Patres Carmelitæ: quia cùm nihil possit esse futurum nisi Deo volente vel permittente, vt ait D. Augustinus, sic nihil potest intelligi esse futurum ante decretum Dei vel positiuum vel permissiuum, & sic excluditur scientia media, quam dicunt sui authores esse de futuris antecedenter ad decretum. Sed vt melius hæc difficultas percipiatur, & hoc subterfugium quod nonnulli hac in scientia (quam mediam vocant) habere se existimant, præcludatur, Existimo primò hanc scientiam mediam, seu conditionatam merum esse figmentum, quo ipsi iamdudum vsi sunt Hæretici, vt probarent gratiam non gratis dari, asserentes, paruulos ipsos post Baptismum ante rationis vsum morientes, fuisse gratiam consequutos propter bona opera sub conditione futura, illa scil. quæ fecissent, si vixissent: vnde & explicans illud Sapientiæ 4. [Raptus est, ne malitia mutaret, &c.) Asserit D. Augustinus quod propter bona opera sub conditione futura, nunquam tamen reipsà exhibita, non largitur Deus præmium aliquod, sicut propter mala opera eodem modo præuisa, nunquam tamen reipsa executioni mandata, non punit: ait siquidem Sanctissimus Præsul lib. 1. de anima & eius orig. cap. 12. [Si peccata, quæ si homo viueret, commissurus esset, etiam non commissa damnantur in mortuo, nullum beneficium collatus est illi, qui raptus est ne malitia mutaret intellectum eius, quandoquidem iudicabitur secundum illam, quæ in eo fuerat futura, malitiam, non secundum illam quæ in illo inuenta est innocentiam. Et de nullo mortuo baptizato, etiam paruulo, poterit esse securitas, quia & post baptismum non qualitercunque peccare, verùm etiam apostatare homines possunt. Quid si ergo qui baptisatur hinc raptus est, apostata erat futurus si viueret? nullum ne illi beneficium putabimus esse collatum, quòd raptus est ne malitia mutaret intellectum eius? & propter Dei præscientiam, non sicut fidele membrum Christi, sed sicut apostata iudicandum esse censebimus: Quantò enim meliùs, si peccata nondum facta, nondum cognita, sed præcognita & futura puniuntur! Projiceremur illi duo de Paradiso ante peccatum, ne in loco tàm sancto & beatifico peccarent]

VI. Diuus etiam Hylarius Arelatensis in Epistola ad Augustinum, quæ habetur ante librum de Prædestinatione Sanctorum, narrans quomodò Massilienses astruerent scientiam mediam conditionatorum ante decretum Dei, quod existimabant necessarium, ne læderetur libertas creata: ait. [Cùm autem dicitur eis quare aliis vel alicubi prædicetur vel non prædicetur, &c. dicunt id præscientię esse Diuinæ, vt eo tempore & ibi & illis veritas annuntietur, vel enuntiaretur, quando, & vbi prænoscebatur esse credenda. Et hoc non solùm aliorum Catholicorum, sed etiam Sanctitatis tuæ testimoniis disputatione antiquiore se probare testantur, vt est illud quod dixit sanctitas tua in quæst. contrà Porphyrium de tempore Christianę Religionis, tunc voluisse hominibus apparere Christum & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebát, & vbi sciebat esse qui in eum erant credituri]

Verùm, sufficienter asseritur mens Sancti Augustini pro prædicta obiectione ex illo opusculo orta, lib. primo de Prædest. Sanctorum cap. 9. vbi ipse sic respondet. *Illud autem quod in opusculo meo quondam contra Porphyrium sub titulo de Religionis Christianæ tempore me dixisse recolitis, ità dixi vt hanc diligentiorem & operosiorem disputationem de Gratia præterirem, &c.* Et postquam id recitauit de verbo ad verbum quod in illo opusculo asseruerat, addidit [Cernitis me sine præiudicio latentis consilii Dei, aliarumq; causarum hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod conuincendæ Pelagianorum infidelitati, qui hanc obiecerant quæstionem, sufficere videtur. Quid enim verius quàm præsciuisse Christum, qui & quomodo, & quibus in locis in eum fuerant credituri: sed vtrum prędicato sibi Christo à seipsis habituri essent fidem, an Deo donante sumpturi, id est, vtrùm tantummodò eos præsciuit, an etiam prædestinauerit Deus? quærere ac disserere tunc necessarium non putaui: proindè quod dixi, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicare doctrinam suam, quandò sciebat, & vbi sciebat esse qui in eum erant credituri: posset etiam sic dici tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat esse qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem. Sed quoniam si ita diceretur lectorem faceret intentum ad ea requirenda, quæ nunc ex admonitione Pelagiani erroris necesse est copiosiùs disputari, visum mihi est, quòd tunc satis erat breuiter esse dicendum, exceptà, vt dixi, altitudine sapientiæ & scientiæ Dei, & sine præiudicio aliarum causarum, de quibus non tunc, sed aliàs opportuniùs disputandum putaui.]

At, si admittatur scientia media, non est quo ad hoc latens consilium Dei: quid enim facilius est, quàm dicere, quòd post præuisionem consensus futuri, sub conditione si hic vel illi vocarentur, in hac vel illa occasione, decreuerit Deus quòd iste credat, ille verò minimè, &c.

VII. At, nolunt sapere Thomistæ plusquàm oporteat sapere: sed sapere ad sobrietatem, quod cum Augustino & Apostolo faciunt in ipsa Prædeterminatione penitùs opposita cum tali scientia media. Dicimus ergo, cum sancto Augustino lib. de prædest. sanctorum c. 18. *Non est sanarum mentium ita reprehendere inuestigabiles vias Domini, hoc est dona misericordię & iudicia veritatis, Pelagianorum elationi penetrabilia deputare, quia secundum ipsos non latet consilium Dei, nec in occulto est Diuina ratio voluntatis*

Confirmatur ex D. Prospero libro de vocatione gentium c. 25. [Contra omnem elationem de libero arbitrio gloriantem, illam inuictissimam reniti sententiam Apostoli dicentis, Quis enim te discernit, aut quid habes quod non accepisti? Illius igitur profunditas quæstionis quam secundum admirationem Apostoli impenetrabilem confitemur, per liberi arbitrii velle & nolle non soluitur, quià licet insit homini bonum velle, & nolle, tamen nisi donatum, non habet bonum velle.]

Quod si aliquando videatur D. Augustinus dicere vocationem esse congruam, non ita est intelligendus, quòd hęc congruitas aut idoneitas sit aliquid se tenens ex parte creaturæ, cuius Deus non sit causa: Quoniam hoc ipsum quo fit idoneum, semper est à Deo inspiratum seu ab illo vt à primo Agente proueniens: Idque totum est intelligendum sine præiudicio latentis consilii Dei: Ita, Sanctus Præsul lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2.

in fine, vbi optimus est sui interpres [Quis animo, inquit, amplectitur aliquid quod non eum delectat? Aut quis habet potestatem, vt vel occurrat quod eum delectare possit, aut delectet cùm occurrerit? Cùm ergo nos ea delectant, quibus proficiamus ad Deum inspiratur hoc & præbetur gratiâ Dei, non nutu nostro & industriâ vel operum meritis comparatur, quia vt sit nutus voluntatis, vt sit industria studii, vt sint opera charitate feruentia, Ille tribuit, ille largitur.

Sed vt vndequaque appareat, quàm aliena sit à vera Philosophia, fictitia hęc scientia (quam mediam vocant) per hanc tolli à Deo rationem Primæ Causæ, Primiquè Authoris gratiæ breuiter ostendo cum Corneio disput. 3. num. 107. & 108.

Quia ex scientia media sequitur primam radicem futuritionis conditionatæ, actus liberi etiam boni v. g. conuersionis Tyriorum si Christus eis prædicaret, non esse primò refundendam in Deum, sed in voluntatem eorum, & consequenter conuersionem illorum in statu conditionato non deberi Deo vt Primo Authori, sed propriæ illorum voluntati, atque hoc auffert à Deo rationem primę causæ respectu actuum liberorum, rationemque Primi Authoris Gratiæ: ratio est quoniam illi vt Primo Authori debetur illa conuersio, à quo primo orta est in executione eius futuritio, sed si sit futura antecedenter ad Diuinam voluntatem (quæ est causa rerum) non est orta primò à Deo eius futuritio, sed à propria illorum voluntate, ergo &c.

VIII. Nec sufficit dicere Deum esse primam causam huius conuersionis ratione decreti, dandi illud auxilium sufficiens, quo possint conuerti, & concurrendi cum illorum voluntate si ipsi conuerti voluerint: quoniam ratione illius decreti non est magis volita conuersio Tyriorum, quàm non conuersio: per tale enim decretum solùm vult Deus concurrere cum voluntate illorum hominum ad conuersionem, vel ad actum qui non sit conuersio, nisi prout ipsi ex sua natiua libertate voluerint operari: ideò ex hoc decreto non est magis futura eorum conuersio quàm eius omissio, quia voluntas illa Dei quæ vt objectiuè præsens prior est ordine rationis, quàm Deus nostro modo intelligendi cognoscat quòd voluntas illorum esset cum tali voluntate Dei erga ipsos consensura, nullo modo determinat illorum voluntatem ad conuersionem, sed eam omninò indifferentem, absque vlla determinatione infallibili relinquit ad vtramque partem contradictionis, vt fatentur Authores oppositæ sententiæ: ergo quòd voluntas Tyriorum antecedenter ad cognitionem Diuinam determinatè eligat conuerti, non est tribuendum voluntati Diuinæ, vt primę radici talis electionis & conuersionis, sed ipsi humanę voluntati Tyriorum, quæ cum volitione Dei indifferenti determinauit se ad vnam partem.

Deinde non negant huius sententię Authores Deo possibilia esse infinita media, infinitosque rerum ordines, in quibus, vt volunt, si creatura esset constituta, conuerteretur, sicut & si huius vel illius fuisset indolis aut temperamenti.

Quęro igitur ab eis, quare Deus illam in tali rerum ordine cum talibus circumstantiis aut conditionibus non posuerit? Certè nihil habent quod respondeant nisi Apostoli exclamationem mutuentur: ô Altitudo! sicque quantùm ad primam intentionem tota ratio facti est ęquissima voluntas facientis, inscrutabilia cuius iudicia iustificata in semetipsa, & in hoc Thomistę & omnes Catholici conueniunt & consequenter gratis & sine causa ab illis discedunt nonnulli, vt illis sola supersit nota singularitatis.

Prętereà, ex scientia media sequitur in Deo esse ignorantiam & cęcitatem, seu modum operandi cęcum & ignarum, Deumque ipsum absque finis intentione in particulari ad actus nostros liberos concurrere, quia si Deus agit tantùm (vt volunt scientię medię Authores) per voluntatem quamdam indifferentem, quâ paratus est influere ad id v. g. quod Petrus voluerit, ita vt voluntas quæ pręsupponitur in illo priori, antequam intelligatur in illo esse scientia media, non sit ad determinatè concurrendum ad consensum, v. g. actu fidei, alioquin efficaciter prędefiniret illum ante prędictam scientiam: sed ad tribuendum concursum indifferentem, seu ad concurrendum ad id quod Petrus voluerit, nempè vel ad assensum, si Petro placuerit, vel ad dissensum, si illum maluerit, ergo influit ignorando quidnam ex suo concursu subsequendum est, an nimirùm assensus ad fidem, an verò dissensus: ac proindè sine intentione eius in particulari quod debet subsequi, & consequenter cęco ignorantique modo & absque consilio & prouidentia de illo effectu determinatè & in particulari sumpto.

IX. Item: ex eadem scientia media sequitur Deum discere ex euentu id cuius anteà certam scientiam non habebat, atque adeò in eo dari aliquam ignorantiam & experimentalem scientiam, quia cùm iuxta sententiam Authorum scientię medię Deus nunquam cognoscat futura contingentia, siue absoluta, siue conditionata in suo decreto, sed solùm postquàm videt euentum, non potest non discere ex eodem euentu: Etenim in illo priori statu conditionatorum, in quo intelligitur dare auxilia, imponere pręcepta, dare inspirationes & illustrare intellectum causarum secundarum, non scit certò & infallibiliter ex vi horum quid inde sit euenturum mediante libertate creata, sed tunc est ei certò notum ex vi visionis effectus in se, quem voluntas creata ratione suę innatę libertatis & talibus auxiliis adiuta eligit: ergo discet ex euentu & per experientiam: nam siquis suaderet alicui vt sederet, & ex vi talis suasionis in actu primo spectatę non scit certò sessionem futuram, sed tantùm illam cognoscit quando illam in seipsa videt, tunc verè dicitur scire illum effectum ex euentu: ergo idem erit dicendum de Deo quoad cognitionem futurorum contingentium, si verum est ea per scientiam mediam, non verò in suis decretis liberis attingere.

Hęc de scientia media occasione tantùm dicta sunt: Etenim nisi de illa in sua pręfatione mentionem fecisset voluntarius ille defensor D. Thomę (in qua magnum se existimat habere præsidium) ne verbum quidem de illa dixissem, cum sit funditùs euersa à Religiosissimis ac Doctissimis Salmantiscensibus, legantur in 1. partem D. Thomę à pagina 449. vsque ad pag. 667. vbi efficacissimè hæc media scientia confutatur.

Consule si lubet recentiores Thomistas, R. P. Baronium & Gonetum, huius scientiæ mediæ fundamenta funditùs conuellentes, satis suspectæ, tùm sua nouitate, tùm solo suorum authorum dissidio. Et ne dubium ipse habeas Thomistarum iudicium, audi ipsum Thiphanium inter illustres Societatis celeberrimum, lib. de ord. c. 24. nu. 4. asserentem [Nullum alium Theologum ante Molinam, nec per somnium quidem de illa (id est de scientia media) cogitasse: nec eam vllibi vel supposuisse, vel adhibuisse ad vllam, siue Scripturæ Sacræ, siue Scholasticæ Theologiæ difficultatem expediendam.] Vbi cap. sequ. palam protestatur [Sententiam negantem scientiam mediam (sc. nostram) & antiquitate, & defensorum numero, & authoritate, longè esse meliorem.]

Potuissem ex aliis Philosophiæ principiis alias addere rationes in confirmationem Prædeterminationis Thomisticæ, v. g. quòd causæ singulari perfectissimæ, &

maximè independenti debetur agendi modus singularis, perfectissimus & maximè independens; sed per solam Prædeterminationem Physicam, talem sibi vendicat Deus agendi modum, quia sic præuenit causam secundam vt eam efficacissimè applicet ad agendum iuxta suum modum; ex quo fit vt Deus sit causa, & quidem immediata, non solùm effectus à creatura producti, sed & actionis illius, quâ mediante producitur, etiam secundum formalem præcisè rationem quâ talis actio est à creatura, quo non obstante ipsi creaturæ reseruatur vera ratio causæ, etiam principalis, non quidem absolutè, sed in suo duntaxat ordine, vtpotè cui assimilatur effectus: ergo talis prædeterminatio est necessariò admittenda; Maior est nota lumine naturali: Minor etiam constat ex dictis hactenùs, nominatim verò libro præcedēti, vbi de insufficientia cōcursus simultanei & motionis moralis.

Item si causæ in potentia respondeat effectus in potentia, causæ in actu, effectus in actu, & causæ particulari, effectus particularis: dubio procul causæ vniuersali debet respondere effectus vniuersalis, & vniuersalissimæ, effectus vniuersalissimus: sed in quolibet effectu creato est aliquid vniuersalissimū quod non potest esse nisi à solo Deo, hocque per Prædeterminationem Thomisticam: ergo hæc est necessariò admittenda, vnde ait D. Thom. 1. p. q. 45. a. 5. o. *Oportet effectus vniuersaliores in vniuersaliores & priores causas reducere: inter omnes autem effectus, vniuersalissimum est ipsum esse: vnde oportet quod sit proprius effectus Primæ & Vniuersalissimæ Causæ, quæ est Deus: vnde dicitur etiam in libro de causis, quòd neque intelligentia vel anima nobilis dat esse, nisi, quantùm operatur operatione Diuinâ.*

X. Explicatur: licet omnes gradus essentiales, tàm generici, quàm specificus & indiuidualis, ipsique transcendentales qui sunt in aliquo indiuiduo, non distinguantur realiter, sed sint vna eadem & indiuisibilis realiter entitas, tamen distinguntur ratione formaliter & virtualiter: & ita sunt diuersę formalitates: ex quo fit vt causæ proximæ & vniuocæ correspondeat solus gradus specificus, Causis verò vniuersalioribus, vniuersaliores quoque effectus; verum quidem est quòd hic homo non solùm generat hunc hominem, sed etiam hoc animal, hoc viuens, hoc corpus, hanc substantiam, & hoc ens, quia hæc omnia in homine realiter sunt homo, non tamen formaliter: & ideò non potest dici quod sicut homo generat hominem, vt hic homo est, sic quòd illum generet in quantum animal, in quantùm corpus, & in quantùm ens, sed isti gradus superiores ascribendi sunt causis superioribus: gradus verò vniuersalissimus qui reperitur in quolibet effectu est, cuius proprius actus est ipsum esse, quod Deo correspondet tanquàm causæ vniuersalissimæ, quod non impedit quominus causæ vniuersales producant effectum non solùm secundum gradus vniuersales (v. g. cœlum producit hominem principaliter in quantùm corpus, quia est primum corpus, & concurrit ad productionem omnium sublunarium corporum,) sed etiam producunt quantùm ad omnes gradus inferiores, qui si sint nobiliores ipsâ causâ vniuersali, causa concurrit ad illos tantùm vt instrumentum alterius causæ superioris: si verò non sint nobiliores, causa vniuersalis concurrit principaliter, sic cœlum est causa principalis auri, non solùm vt est corpus, sed etiam vt est aurum: in his verò quæ viuunt & generantur virtute cœlesti, cœlum non est nisi instrumentum intelligentiæ motricis respectu gradus viuentis, Deus autem qui est Prima & Vniuersalissima causa, concurrit tanquam causa principalissima & æquiuoca ad gradum primum & vniuersalissimum entis scilicet, & ad proprium eius actum scilicet ipsum esse, & simul ad omnes gradus inferiores maximè quia in illis omnibus ratio entis intimè imbibitur, & sic omnes causę producunt suos effectus sub ratione entis, eisque dant esse vt vera Dei instrumenta: ex quo patet quòd causæ superiores magis influunt in effectus, quàm inferiores, quæ non possunt agere sine superioribus, maxime sine Deo, qui solus est independens ac virtutis infinitæ, ideòque potest quodcumque ens producere.

Nec valet responsio illorum qui dicunt hominem producere alium, non solùm secundum quod homo, sed etiam secundum gradus superiores, v. g secundum quod est corpus: quia gradus hominis est perfectior gradu corporis: qui autem potest quod minus est, potest & maius: Non inquam valet, nam licet gradus corporis sit imperfectior intensiuè, est tamen perfectior extensiuè ratione maioris vniuersalitatis secundum quam pluribus conuenit: nec verum est quòd qui potest id quod perfectius est, possit semper id totum quod est magis imperfectum, vt patet in homine qui potest alium producere, non tamen muscam.

Et hoc solùm intelligunt Thomistæ cum Angelico Præceptore quando dicunt creaturam à Deo præmotam etiam ad effectum cuius ipsa est causa principalis, habere rationem instrumenti respectu Dei, cuius virtute in suo effectu attingit hæc, ipsum esse, quod cum sit vniuersalissimum, Causæ Vniuersalissimæ scilicet Deo debet correspondere. Hocque argumento specialiter innotescit necessitas Prædeterminationis. Et ne quis hæc à nobis voluntariò excogitata suspicetur, audiat sanctum Doctorem q. de potentia a. 7. in medio. [Sed vlteriùs inuenimus secundum ordinem causarum esse ordinem effectuum, quod necesse est propter similitudinem effectus & causæ, nec secunda potest in effectum Causę Primæ per virtutem propriam, quamuis sit instrumentum Causæ Primæ respectu illius effectus; instrumentum enim est causa quodammodo effectus principalis causæ, non per formam vel virtutem propriam, sed in quantum participat aliquid virtute principalis causæ per motum eius, sicut dolabra non est causa rei artificiosæ per formam vel virtutem propriam, sed per virtutem artificis à quo mouetur, & eam quodammodo participat: vnde quarto modo vnum est causa actionis alterius, sicut principale agens est causa actionis instrumenti, & hoc modo oportet etiam dicere quod Deus est causa actionis omnis rei naturalis: Quantò enim aliqua causa est altior, tantò est communior & efficacior, & quantò efficacior tantò profundiùs ingreditur in effectum, & de remotiori potentia ipsum reducit in actum.

In qualibet autem re naturali inuenimus quod est ens, & quod est res naturalis, & quod est talis vel talis naturæ, quorum primum est commune omnibus entibus, secundum omnibus rebus naturalibus, tertium in vna specie, & quartum, si addamus accidentia, est proprium huic indiuiduo: hoc ergo indiuiduum, agendo non potest aliud constituere in simili specie, nisi prout est instrumentum illius causæ quæ respicit totam speciem & vlteriùs totum esse naturæ inferioris. Et propter hoc nihil agit ad speciem in istis inferioribus, nisi per virtutem corporis cœlestis, nec aliquid agit ad esse nisi per virtutem ipsius Dei, ipsum enim esse, est communissimus effectus, primus & intimior omnibus aliis effectis, & ideò

soli Deo competit secundum virtutem propriam talis effectus: vnde etiam, vt dicitur in libro de causis, intelligentia non dat esse nisi provt est in eâ virtus Diuina, sic ergo Deus est causa omnis actionis, prout quodlibet agens est instrumentum Diuinæ virtutis operantis: si ergo consideremus supposita agentia, quodlibet agens particulare est immediatum ad suum effectum: si autem consideremus virtutem quâ fit actio, sic virtus superioris causæ erit immediatior effectui, quàm virtus inferioris: nam virtus inferior non coniungitur effectui nisi per virtutem superioris, vt dicitur in libro de causis, quòd virtus primæ causæ priùs agit in causatum & vehementius ingreditur in ipsum: sic ergo oportet virtutem Diuinam adesse cuilibet rei agenti, sicut virtutem corporis cœlestis oportet adesse cuilibet corpori elementari agenti. Sed in hoc differt, quia vbicunque est virtus Diuina, est essentia Diuina, non autem essentia corporis cœlestis est vbicunque est sua virtus. Et iterùm Deus est sua virtus, non autem corpus cœleste; & ideò potest dici quod Deus in qualibet re operatur in quantùm eius virtute quęlibet res indiget ad agendum: non autem potest propriè dici quod cœlum semper agat in corpore elementari, licet eius virtute corpus elementare agat. Sic ergo Deus est causa actionis cuiuslibet in quantùm dat virtutem agendi, & in quantum conseruat eam, & in quantum applicat actioni; & in quantum eius virtute omnis alia virtus agit: & cum coniunxerimus his quod Deus sit sua virtus, & quod sit intra rem quamlibet non sicut pars essentiæ, sed sicut tenens rem in esse, sequitur quod ipse in quolibet operante immediatè operetur, non exclusâ operatione voluntatis & naturæ] hactenus Doctor Angelicus.

Idem docet D. Thomas 3. contra Gent. cap. 66. vbi ostendit nihil dare esse nisi in quantum agit Diuina virtute, vbi per totum articulum hoc fusissimè, & efficacissimè probat sex rationibus quas ego breuitatis causa omitto.

XII. Denique aliud in gratiam Prædeterminationis Thomisticæ argumentum etnitur ex eodem Angeliço Doctore 1. p. q. 19. a. 3 ad 5. quod potest ad hanc formam reduci.

A causa contingenti & libera seu indifferenti non sequitur determinatus effectus, nisi hæc aliquo modo determinetur, sicut v. g. corpus sphæricum in plano existens (quod est indifferens ad omnes circumferentiæ partes) non potiùs ad vnam, quàm ad aliam mouetur, nisi ab aliquo determinetur: sed voluntas humana ex se est indifferens ad plura, scil. ad agendum vel non agendum, ad agendum hoc vel illud: ergo non potiùs vnum quàm aliud efficiet nisi determinetur ab aliquo; à quo, nisi à Deo? hoc autem fieri per concursum præuium solùm, hactenùs vsque ad satietatem ostendimus, demonstratâ tùm motionis moralis, tùm concursus simultanei insufficientiâ

Dices exemplum allatum ex toto deficere, ex eo quod cùm sit inanimatum quoddam, non potest se mouere, nec consequenter ad vnam partem determinare se: at agens liberum potest se mouere, ideòque se ipsum determinare.

Respondeo esse quidem discrimen inter viuens & non viuens; quòd non viuens mouetur solùm ab extrinseco: viuens verò ab intrinseco à se ipso; sed hoc non impedit quominus hic motus qui in viuentibus est ab intrinseco, sit immediatiùs & priùs à Deo, quàm ab ipsa creatura, vt iam sæpè diximus, cùm Deus sit immediatè vnitus animæ intellectuali, quantùm ad sua interiora, & sit essentialis subordinatio seu dependentia cuiuscunque etiam liberi agentis cum ipso Deo, tanquam illud in esse sustinente: & sicut, teste D. Thoma, non est de ratione causæ vt sit prima causa, sic non est de ratione agentis liberi vt sit primum liberum: esset autē si Deus actu illud non præueniret, cumque omnis actio sit à Deo, etiam immediatè, non potest non esse ab ipso, ipsius creaturæ libera determinatio qui operatur in natura & voluntate: legendus Diuus Thomas 3. cont. Gent. cap. 88. vbi sic concludit, *Solus igitur Deus potest mouere voluntatem per modum agentis*, Et ibidem infrà, *Impossibile est igitur quòd voluntas moueatur à principio extrinseco quasi ab agente: sed oportet quòd omnis motus voluntatis ab interiori procedat, nulla autem substantia creata coniungitur animæ intellectuali quantùm ad sua interiora nisi solus Deus, qui solus est causa ipsius vt sustinens eam in esse: à solo igitur Deo potest motus voluntarius causari.* Vt quid ergo ambigis de mente Sancti Doctoris, aut exemplum postulas in re singulari?

XIII. Confirmatur efficaciter à Diuo Hyeronimo in Epistola ad Ctesiphontem c.3. *Velle & currere, inquit, meum est, sed ipsum meum sine Dei auxilio non erit meum. Dicit enim Apostolus, Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere.* Hoc posito, inquiro vtrum meum velle, seu actus meus liber formaliter vt liber qui (vt volunt aduersarij Prædeterminationis Thomisticæ) non respicit causam primam, sed solam voluntatem creatam, meus sit? Certissimè respondebunt esse meum: quia nihil tàm meum est, quàm velle in quantùm est liberum, sed velle illud in quantum est meum, non sine Dei auxilio est meum, vt ait D. Hyeronimus: ergo in quantùm liberum (idem enim est esse liberum, & meum) Dei auxilio eget vt sit meum: est autem meum, vt causatur à me, & vt egreditur à mea voluntale: ergo velle meum (quod teste Apostolo Deus operatur) non solùm respicit auxilium Dei, vt cooperatiuum & sibi simultaneum, sed vt causatiuum sui, & quid antecedens se, quod vt exprimatur à Thomistis, Præmotio exigitur: Patet consequentis, quia auxilium cooperatiuum, seu concursus simultaneus non facit vt illud velle sit meum, sed iam supponit esse meum, vt cum eo simul tantùm influens, qua de causa simultaneus concursus dicitur: non enim vnum est simul cum alio, nisi illud aliud iam præsupponatur: si ergo velle meum debeat esse tantùm simul cum auxilio Dei quod est cooperatiuum tantùm (vt volunt) necesse est quod præsupponatur (velle meum) in se iam constitutum ante omne Dei auxilium, à quo non est, sed tantùm cum illo (vt illis placet) ergo iam est meum sine auxilio, quod est contra D. Hyeronimum: licet enim vt influat in actum, non sine auxilio simultaneo influat, tamen vt sit meum, id est, vt sit in se talis volitio, sine auxilio simultaneo est, quia vt simultaneè influat Deus cum ipso velle, ipsum velle supponitur esse in se, & meum esse. Hyeronimus autem non dicit quod sine auxilio Dei non influet aut non operabitur velle istud, seu ista volitio: sed quòd non erit mea, id est, quod non existet in se, seu quòd non exibit à me, exeundo enim à me secundum hunc præcisè modum, mea est: quod solâ Præmotione Thomisticâ saluari potest: hâc siquidem eliminatâ in genere causæ efficientis non superest nisi concursus simultaneus, qui non præuenit voluntatem vt operetur, seu eliciat volitionem, quæ verè sua est, sed iam operante solummodò concomitatur, ideò simultaneus concursus est apellatus.

XIV. Et hoc totum quod hactenùs diximus minimè impedit quominus voluntas creata sic à Deo prædeterminata non remaneat libera, se ipsam per consilium & deliberationem determinans, [Si enim ita moueretur ab extrinseco voluntas quòd se nullatenùs moueret, eius libertas destrueretur, vt ait D. Thom. 1. p. q. 105. a. 4. ad 3. & primo contra Gentes c. 68. & lib. 3. c. 90. & de potentia q. 3. a. 7. ad 13.] Quibus in locis probat quòd sicut de ratione causæ efficientis non est quòd sit Prima, sed quòd efficiat, licet moueatur ab alia priori, vt patet in igne & Cœlo, ita non est de ratione liberi, vt primò se determinet, sed vt determinet se iuxta suam naturam, v. g. si fuerit primum liberum, determinet se primò: si verò fuerit secundum liberum, qualis est voluntas nostra, determinet se secundariò, id est, dependenter à primo libero, scilicet à Deo.

Probatur ex D. Tho. in 2. dist. 25. q. 1. a. 2. ad 1. vbi ait, [Etiamsi Deus voluntatem hominis in aliud mutet, nihilominus tamen hoc suâ omnipotentiâ facit, vt illud in quod mutatur, voluntariè velit, &c. 1. 2 q. 10. a. 4. ad 1. Magis repugnaret, inquit, Diuinæ motioni, si voluntas ex necessitate moueretur, quod suæ naturæ non competit, quàm si moueretur liberè, prout competit suę naturæ. Item 1. p. q. 19. a. 8. & q. 83. a. 1. ad 3. ait. *Deus igitur est prima causa mouens & naturales causas & voluntarias: & sicut naturalibus causis, mouendo eas non aufert quin actus earum sint naturales, ita mouendo voluntarias non aufert quin actiones earum sint voluntariæ, sed potius hoc in eis facit, operatur enim in vnoquoque secundum eius proprietatem.*

Non aliter philosophatur Sanctus Prosper lib. 1. Cont. Collat. c. 38 [Non conturbat nos, inquit, superbientium inepta querimonia, quâ liberum arbitrium causantur auferri, si & principia, & profectus, & perseuerantia in bonis vsque in finem, Dei dona esse dicantur: quoniam opitulationes Diuinæ gratiæ, stabilitamenta sunt voluntatis humanæ. Volentes oramus, & tamen Deus misit Spiritum in corda nostra clamantem, Aba Pater, Rom. 8. Volentes loquimur, & tamen si pium est quod loquimur, non sumus nos loquentes, sed Spiritus Patris nostri loquitur in nobis, Math. 10. Volentes operamur salutem nostram, & tamen ipsum velle & operari, Deus operatur in nobis, Philip. 2.

Confirmatur: idem est voluntatem se liberè determinare ad aliquem actum, & habere dominium sui actus, vt docet D. Thomas 3. contra Gentes cap. 3. & 1. 2. q. 6. a. 2. ad 2. Sed voluntatem habere dominium sui actus, non impedit quominus etiam Deus habeat dominium suprà hunc actum, priùs quidem & excellentiùs, vtpotè vniuersalissimus omnium Dominus, à quo est omnis potestas, & à quo pendet omne dominium: ergo per hoc quod voluntas à Deo prædeterminetur, & sit à Deo dependens, hoc non impedit quominus sese voluntas determinet, ac consequenter sit libera.

Quomodo autem ex hac Prædeterminatione nulla fiat libertatis creatæ læsio, hìc vt certissimum suppono tanquam ex prædictis notissimum vsque ad facietatem repetitis; vel ex eo potissimùm quod Diuinæ voluntatis efficacia non solùm se extendat ad hoc quòd voluntas creata, v. g. actum amoris quoad substantiam producat: sed etiam quoad modum, id est, liberè illum eliciat: nam cùm ille modus libertatis sit aliquid reale, & quidem perfectius quàm sit modus necessitatis in agentibus necessariis, quem à Deo esse vt à vera causa non negant oppositæ sententiæ Authores, debet voluntatis Diuinæ efficacia sese extendere ad illum non minus quàm ad substantiam actus, ita vt velit Deus, non solùm vt hoc fiat, sed vt fiat liberè.

Ex qua igitur parte vult Deus efficaciter quòd actus amoris fiat, fiet in executione talis actus, ita vt nunquam sit verum quòd voluntas actu resistat: aliàs illa voluntas Dei non esset efficax; quippè quæ non inferret effectum quem efficaciter intenderet.

Ex eo verò quòd velit Deus non vtcunque fieri, sed libero modo fieri: oportet vt sequatur talis actus non qualitercunque, sed liberè, id est, quòd licet re verâ actus sequatur, nunquam tamen verum sit dicere quòd voluntas dissentiat, aut non consentiat, licet vtrumque possit, quia vtrumque vult Deus, volendo scilicet quòd liberè consentiat.

XV. Quibus præmissis, sic formatur argumentum. Prædeterminatio quâ Deus præmouet causam secundam liberam ad operandum non facit vtcumque quod voluntas faciat, sed quod liberè & infallibiliter faciat: Ergo libertatem non tollit hæc Dei prædeterminatio, sed potiùs eam tribuit. Consequentia est euidens: Antecedens verò probatur: Efficacia Diuinę voluntatis non solùm se extendit ad hoc quod voluntas creata eliciat, v. g actum amoris quoad substantiam, sed etiam se extendit quoad modum, efficiendo nimirùm quòd illum voluntas liberè & infallibiliter, vt dictum est, eliciat: ergo efficacia huius Prædeterminationis non solùm se extendit ad faciendum quod voluntas eliciat actum, sed etiam efficaciter & actu facit quòd illum liberè & infallibiliter operetur.

Confirmatur ex D. Augustino lib. de cor. & gratia cap. 14. in fine, vbi ait: Deum habere magis in sua potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas: ergo sicut ex hoc quod homo habet in sua potestate voluntatem suam, id est, facultatem se determinandi per illam ad operandum, quando sibi placuerit, inde fit, quod hoc ipso quod se determinat ad operandum, liberè velit id ad quod se determinat: ita etiam ex eo quod Deus magis habeat in sua potestate easdem voluntates, quàm homines ipsi quorum sunt, sequitur libertati nullum inferri præiudicium ex eo quod Deus determinet illas ad volendum iuxta suam naturam & modum.

Confirmatur secundò, quia causa secunda ex eo quod secunda est subordinatur causæ primæ ad nutum, vt pote illi subiecta quoad omnes suas perfectiones & modos reales bonos, tàm quoad fieri & esse, quàm quoad operari: ergo sicut causa necessaria ex hoc ipso quod Deus velit, (qui æqualiter est prima vtriusque causa) aliquid ab ea fieri, subordinatur illi iuxta suam naturam, faciendo illud necessariò: ita hoc ipso quod velit Deus efficaciter à voluntate creata fieri quidpiam liberè, ei libertimè subordinatur illud efficiendo iuxta suum modum id est liberè, idque erit valdè consonum libertati creatæ quatenùs libertas est secunda: sicut si fingeremus quod in manibus hominis v. g esset quædam libertas distincta à libertate voluntatis & illi subordinata, tunc illius natura esset quod hoc ipso quod voluntas efficaciter vellet aliquid fieri à manibus, ipsæ etiam liberè & secundariò vellent, licet possent non velle: ita Salmant. tract. 4. de volunt. Dei, disp. 10. dub. 4. sect. 3.

XVI. Confirmatur tertiò: Actus procedentes à donis Spiritus Sancti fiunt ex physica & reali motione Dei, & tamen sunt liberi: ergo physica præmotio non aduersatur libertati. Consequentia patet. Antecedens verò probatur, primò quoad primam partem. Nam ad Rom. 8. vbi dicitur, (Qui Spiritu Dei aguntur) ait D. Thomas, *Quod agi Spiritu Dei, non est tantùm regi & gubernari,* Quod quidem pertinet ad motionem moralem, *Sed est interiùs moueri & inclinari & impelli ad agendum per Spiritum Sanctum*, Quod attribuendum est motioni physicę & reali. Secundò probatur idem Ante-

cedens quoad secundam partem, Nam D. Paulus loco cit. addit, *Non accepistis Spiritum seruitutis iterùm in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis Filiorum.* Spiritus autem Filiorum est Spiritus libertatis. Vnde D. Thomas 4. contra Gent. c. 22. probat quod actus procedentes à donis Spiritus Sancti sunt liberi, quia seruus est qui mouetur ab alio: filius autem qui operatur liberè & voluntariè: ergo si per ista dona sumus filij & non serui, necesse est quod operemur liberè.

Confirmatur quartò: forma habitualis intrinseca voluntati, inclinans eam ad vnam partem priusquam ipsa se determinet, non tollit eius libertatem habitualem ad oppositum v. g. actus charitatis voluntati diuinitùs infusus eam habitualiter inclinat ad amandum Deum antequàm de facto vllum actum amoris eliciat: tamen nullo modo lædit eius libertatem: itaque infundi potest voluntati charitas actualis seu auxilium actualiter inclinans voluntatem ad amandum Deum, quod sit eiusdem rationis cum charitate habituali quantùm ad naturam & essentiam, licet differat ab ea quantùm ad modum, quia nimirum erit per modũ transeuntis, cùm charitas habitualis sit per modum immanentis: ergo gratis & sine fundamento dicitur Præmotione physica, qua de facto voluntas determinatur ad agendum tolli libertatem. Min. prob. quia sicut Diuo Paulo infusum est diuinitùs lumen gloriæ actuale eiusdem rationis quantùm ad essentiam cum lumine habituali Beatorum, sed ab eo diuersum quantùm ad modum essendi, quia scilicet erat per modum transeuntis, cùm istud sit per modum immanentis: ita non est cur negetur posse diuinitùs infundi voluntati gratiam actualem eiusdem rationis cùm habitu charitatis quantùm ad essentiam, sed ab eo diuersam quantùm ad modum essendi, quà voluntas actualiter & liberè inclinetur ad amandum Deum.

CAPVT NONVM.

Roboratur ipsa Prædeterminatio Thomistica ex Ecclesiæ orationibus.

I. IN derisum & cachinnos accipiendum duxit nonnullus, quòd à quodam Thomista dictum assereret, fide amplectendam esse ab eo Prædeterminationem, qui rationum momenta, quibus ipsa stabilitur, capere non posset: quasi verò non opportunum hoc consilio indicasset ille remedium iis præcipuè qui tantâ animi acie non pollent, vt ipsa naturæ opera sufficienter rimari valeant: non tamen hic fidem deposco religiosi lectoris, sed solummodò quam debet Ecclesiæ reuerentiam, cuius mentem si consulere voluerit, tàm firmum ex Ecclesiæ orationibus depromet argumentum, vt vel hoc solùm sufficiat ad roborandum id totum quod hactenùs diximus in gratiam veritatis quam hic propugnamus. Pro cuius intelligentia reuocandum est in memoriam id quod libro præcedenti dictum est, nimirùm eà potissimum ratione à nonnullis negatam esse Prædeterminationem Thomisticam, vt viam sibi sternerent ad faciliùs excludendum illud Diuinæ gratiæ auxilium, quod ex se prout procedit à Deo efficaciam habet, quasi nullum aliud esset præter sufficiens, quod dat solùm (posse) sic creatæ subordinatum voluntati, vt illo vtatur vel non vtatur voluntas creata, illoque mediante vnus ab alio semetipsum discernat homo: cuius sententiæ oppositum si ostendatur, tàm efficaci subsidio prouisum arbitror ipsi Thomisticæ Prædeterminationi, quàm vano & inutili commento sit impetitum illud Christianæ humilitatis fundamentum totiusque Philosophiæ firmissima basis.

Et hoc argumenti genus tantò accuratiùs inuestigabo, quòd ego ipse alias dum inter argumentandum aliquem contrariæ opinionis patronum ex Ecclesiæ orationibus vrgerem, quibus à Deo voluntatem nostram præueniri satis indicatur, nullum aliud tuli responsum, nisi quod Ecclesia parum attendisset quid, aut quomodo in suis precibus Deo Optimo loqueretur: quod quam parùm (si tamen parùm) absit à blasphemia, nemo non videt.

Non hunc igitur aut simile, sed Cælestinum Papam audiamus, *Legem credendi, inquit, in Epist. ad Gallos, lex statuat supplicandi*, Quid ergo de Diuinæ gratiæ auxilio sit sentiendum, ex ipsius Ecclesiæ orationibus, pro quibus tantam habuit venerationem Innocentius Primus, vt iure merito sit protestatus eo potissimùm Pelagij & Celestij doctrinam, se se detestari, quod pestiferâ suâ sententiâ orationes Ecclesiæ euerterent: quibus aliud quoddam auxilium efficacius postulatur, quàm sit illud quod dat tantùm posse, quodque ab aliis exprimitur nomine sufficientis gratiç, vel etiam indifferentis & simultanei concursus.

Quod si illud à Deo postulatur, quod ab ipso dandum est, daturque illud quatenùs ab eo causatur, dubio procul à vero aberrat opinio illa quç asserit nullum esse Dei auxilium, prçter id quod sufficiens dicatur, quodque efficax per cooperationem creaturç efficiatur, simultanei tantùm & indifferentis concursus expressum vocabulo: cui concursui tanquàm indeterminato & indifferenti non solùm possimus resistere, verùm sçpius & de facto resistamus.

Sed prçter talem concursum indifferentem seu auxilium, efficacius est aliud, cui etsi possimus semper resistere, non tamen resistimus, quippè quod ipsam auferat resistendi voluntatem, non vero potentiam, quç semper remanet indifferens etiam dum actu operatur, vt iam diximus: & hoc est auxilium efficax quod sçpiùs ab Ecclesia postulatur, vt non noster sensus in nobis, sed Diuinç gratiç iugiter prçueniat effectus, qui cum tali auxilio semper coniungitur, quoties à nobis, aut per nos aliquid fieri Deus absolutè voluerit, & quo non caremus nisi propter innumera peccata & quotidianas negligentias.

II. Et hoc auxilium quod efficax dicitur, ita manifestè ex dicendis probandum existimo, vt ea legisse quæ statim adjiciam, sit superasse: nam in pluribus Ecclesiç orationibus euidentissimè perspicies postulari à Deo auxilium non solùm indifferens & indeterminatum quod det tantùm posse, quale habetur per concursum indifferentem, sed aliquod efficax, quod sit cum effectu coniunctum, quodque à Thomistis nomine prçmotionis physicç nuncupatur: à Theologis vero gratiç efficacis & prçuenientis vocabulo: cuius Mysteria, vt prçmonuimus, non inuestigamus, sed proni adoramus.

Quid igitur à Deo opt. postulamus? quando petimus vt ea quç pro peccatis nostris patimur, Deo adiuuante vincamus, vt quç Deo placita sunt, & dictis exequamur & factis: vt videre possimus quç agenda sunt, & quç recta sunt agere valeamus? vt Spiritus Sancti feruore concepto, inueniamur & in fide stabiles, & in opere efficaces: vt det Deus perseuerantem in sua voluntate famulatum: vt dignitas conditionis humanç per immoderantiam

tiam

tiam fauciata, medicinalis parcimoniæ studio reformetur: vt quod professione celebramus, imitemur effectu: vt nostræ mentis intentio, quò salutis nostræ Author ingressus est, semper intendat: vt mente in cælestibus habitemus; & quò fide pergimus, conuersatione perueniamus: vt inserat Deus pectoribus nostris sui amoris affectum: vt largiatur Spiritum cogitandi quæ recta sunt, propitius & agendi. Sicque petit pro errantibus, vt in viam possint redire iustitiæ, veritatis suæ lumen ostendi; vt precetur insuper pro cunctis qui Christianâ professione censentur, illis dari respuere, quæ huic inimica sunt nomini, & ea quæ sunt apta sectari; vt eo largiente cogitemus quæ recta sunt, & eo gubernante eadem faciamus: & vt mereamur assequi quod nobis Deus promittit, petimus, vt nos faciat amare quod præcipit. Et quoniam sine Deo labitur humana mortalitas, rogat Ecclesia vt Diuinis insuper auxiliis & abstrahatur à noxiis, & ad salutaria dirigatur, ac denique postulamus vt mente & corpore pariter expediti, quæ Dei sunt, liberis mentibus exequamur, &c.

III. En igitur quid à Deo Opt. postulamus: vbi vides (erudite lector) non merum (posse) postulari, aut aliquid indifferens & indeterminatum, quale est id quod conantur stabilire loco illius pro quo militamus, sed aliquod auxilium efficax & determinatum quod sit cum effectu coniunctum: quodque præstet non solùm vt possimus exequi, sed vt defacto liberis mentibus exequamur: nô enim petimus solùm vt infidelis possit conuerti, sed vt conuertatur de facto, & credat: hoc autem auxilium quo quis conuertitur & credit, non est solùm concomitans, indeterminatum, & indifferens, sed præueniens, efficax, & determinatum: quod ex æquo respondet Thomisticę Prædeterminationi, vt ipsi fatentur oppositę sententiæ Authores; estque ipsissima Sanctissimi Præsulis Augustini sententia, *Quomodo, inquit, de gratia Christi c. 25. quod possumus benè agere Dei est, quod autem agimus nostrum est: cùm dicat Apostolus, Orare se ad Deum pro his ad quos scribebat, ne quid mali faciant, & quod bonum est, faciant: non enim ait, Oramus vt possitis nihil mali facere: sed ne quid faciatis mali, nec vt possitis bonum facere, sed vt bonum faciatis.* Verùm, per auxilium sufficiens, & indeterminatum, solùm possumus, vt aiunt, si volumus: ergo aliquo efficaciori auxilio opus est quo de facto velimus, quia Deus operatur & velle, & faciamus: quoniam vt ait D. Augustinus serm. 3. de verbis Apostoli, *Volo vt velis, sed non sufficit vt velis, adiuuandus es vt plenè velis.* Si autem quæris quomodo adiuuandus sit aliquis, vt plenè velit? Lege expositionem eiusdem Sancti Pręsulis quarumdam propositionum ex Epist. ad Rom. *Cùm voluerimus, inquit, non sufficit voluntas nostra & cursus noster, nisi Deus vires currentibus præbeat,* Atqui non per concursum simultaneum vires præbentur causis secundis, vt etiam fatentur eius defensores (qui non in causam, sed tantùm simul cum illa in effectum influit, idcircò simultaneus dictus) ergo præter hunc, necessarius est præuius qui ipsam causam secundam præuenit, vt agat, & ideò prius in illam operatur vt de potentia in actum reducat, simulque cum illa in effectum influat secundum omnem realitatis modum.

IV. Et hoc est potissimum quod frequentius à Deo postulamus, vt satis manifestum est ex suprà dictis: quare D. Augustinus Epist. 108. [Quapropter vt non intremus in tentationem, inquit, si voluntas sufficeret, non oraremus, quæ tamen si deesset, nec orare possemus: adsit ergo vt velimus; oremus autem vt valeamus] Vtrumque igitur à Deo est qui operatur velle & perficere: Ideòque vtrumque est humiliter postulandum: sed præcipuè istud secundũ quod efficax dicitur, quia habet effectum (factores enim legis iustificantur) quodque præmotionis nomine à Thomistis est expressum.

Hic breuiter subiiciam quod in secretis Missæ orationibus ex vsu Romano bis ad minus in anno habetur, scilicet Sabbato post Dominicam quartam Quadragesimæ, & Dominicâ quartâ post Octauas Trinitatis; hæc est autem oratio: Oblationibus quæsumus Domine placare susceptis, & ad te nostras rebelles compelle propitius voluntates. Ex quibus sic à Clarissimo D. Thomæ Interprete Ioan. à Sancto Thoma, formatur argumentum in hunc ferè modũ. Id quod postulamus à Deo, ex eius gratia & beneficio procedit: sed oramus pro nostræ voluntatis consensu, mutatione, & determinatione, firmitate &c. ergo ille consensus, hæc mutatio, ista determinatio, firmitas, &c. à Dei gratia causatur, non verò præsupponitur, aut expectatur à voluntate creata prout à Deo separata: Consequentia patet, quia si non causaretur v. g. hic consensus, sed præsupponeretur, non à Deo daretur; nihil enim dat Deus, quod non causet; non igitur Deum rogare deberemus, vt nos aut alios repugnantes faceret consentientes, aut fluctuantes determinaret: sed tantùm petere deberemus vt quando præscit nos consensuros, gratiam daret: hoc autem nusquam petimus, vt claret, ergo &c. Maior autem est certa, quia vt sæpè dicit D. August. Oratio est clarissima gratiæ testificatio, seu vt iam diximus ex Cælestino Papa, *Legem credendi lex statuit supplicandi*, Nemo enim petit ab aliquo, quod ab ipso dandum non est, nec dat Deus nisi causando; atque adeò si dat consensum, causat illum: si autem causat, antecedit, & antecedenter efficaciam habet & determinationem, sine qua non posset quidquam causare determinatè, & multò minus consensum si à consensu creaturæ determinandus sit Dei concursus, vt volunt. Minor etiam probatur, quia sæpius oramus vt nos & alios conuertat Deus, & rebelles compellat propitius voluntates: quod ideò fieri necesse est, quoniam non rarò videmus bona, melioraque probamus, & tamen adhuc deteriora sequimur.

Et eiusmodi orationes non fundit Ecclesia vt Deus solùm nobis proponat aliquod obiectum, seu vt doctrina prædicetur (quæ ad motionem moralem spectant) neque etiam petit vt Deus ex parte sua aliquem concursum indifferentem offerat, v. g. ad consentiendum vel non consentiendum: sed precatur, vt ipsum consensum faciat in nobis, seu vt efficiat ex repugnantibus consentientes, & ex nolentibus, volentes, sicut nec postulat indeterminatum aliquem Dei concursum quem nos electione nostrâ determinemus, sed aliquem determinatum qui nosmetipsos adhuc fluctuantes & indeterminatos ad id quod fuerit magis rationi consentaneum, vtile nobis, Deoque beneplacitum determinet.

Nec itidem postulamus à Deo concursum tantùm simultaneum precisè vt conuertamur & consentiamus, quia talis concursus supponit voluntatem nostram iam conuersam & consentientem, siquidem simul tantùm cum illa agit Deus tali concursu, vt volunt defensores sufficientiæ huiusmodi concursus simultanei.

Si autem orat Ecclesia vt Deus conuertat peccatores, vt ex nolentibus & repugnantibus efficiat volentes & amantes (quod est impossibile aliter fieri

quàm liberè) igitur Dei auxilium non solùm est cum voluntate, sed ante: quia est causa volitionis etiam vt est à voluntate creata: si autem causa, ergo præcedit; quia omnis causa præcedit effectum: nec quidquam amplius exigunt Thomistæ in defensione præmotionis physicæ, ritè ab ipsis nuncupatæ nomine Prædeterminationis, vt certitudo Dei in agendo quantùm fieri posset exprimeretur.

Et hanc prioritatem Dei agentis perpetuò deffendit contra hæreticos Sanctus Præsul Augustinus, etiam respectu voluntatis creatæ, ex iisdem quibus nunc vtimur armis, id est, Ecclesiæ orationibus, quibus contradici asserit per oppositam doctrinam, per illam scil. quæ asserit Deum non agere etiam in voluntatem, sed tantùm cum illa per concursum tantùm indifferentem & simultaneum, vnde postquam fusissimè exposuit verba Apostoli dicentis, Deum operari in nobis velle & perficere, In Epist. 107. sic concludit, *Hæc & alia testimonia quæ commemorare longum est, ostendunt Deum auferre suâ gratiâ infidelibus cor lapideum, & præuenire in hominibus bonarum merita voluntatum, ita vt voluntas per antecedentem gratiam præparetur.*

V. Quid est hoc? nisi id ipsum quod propugnamus: nimirum aliquod esse Dei auxilium efficax & potens ad hæc prædicta præstanda scil. & ad auferendum cor lapideum & ad præparandas voluntates, &c. Quod non præstat Deus voluntatem causando, aut eius indifferentiam coarctando, sed soluẽdo eius impotentiam pro actu secundo liberrimè exercendò: immutare enim voluntatem, non est illam cogere, aut vllam ei necessitatem imponere, vt ex D. Thoma iam ostendimus, exemplo lapidis, cui si tantùm daretur leuitatis, quantùm habet grauitatis, tàm naturaliter sursùm tenderet, quàm modò deorsùm.

Et hoc est auxilium ad quod stabiliendum ita viam sternit ipsa Prædeterminatio Thomistica, vt meritò indiscriminatim vnum pro altero accipiatur, vtrumque tamen sine vllo libertatis creatæ præiudicio, quia nunquam creatura præmouetur à Deo nisi iuxta suum modum: estque Deus causa (vtpotè virtutis infinitæ) substantiæ actus liberi, & modi ipsius libertatis: & ex hoc vnico principio euanescit quidquid afferri potest contra indifferentiam positiuam libertatis, quæ nunquam sic est ad vnum actum determinata, etiam dum operatur, quin remaneat in potentia ad oppositum, non quidem simul ponendum, quia nulla datur potentia ad actus oppositos simul producendos, v. g. (ad motum & quietem simul) sed successiuè: quod exprimunt Philosophi, per simultatem potentiæ, quæ semper stat cum libertate, non verò potentia simultatis quæ est impossibilis.

Confirmatur. Quis prohibeat iustum adhuc orare pro maiore obtinendâ perfectione, cui præcipitur vt sit perfectus, sicut Pater Cœlestis perfectus est? Nemo profectò, nisi impius. At, quid à Deo postulabit iustus ille? (quem doctissimum suppono) Non orabit vt sibi aliquod obiectum proponatur, aut doctrina prædicetur (en motio moralis) ille tamen adhuc perseuerat pulsans, quoniam non ignorat quod Iustorum semita quasi lux splendescens crescere debeat vsque ad perfectam diem. Quid igitur tàm piâ importunitate præstolatur? fortasse concursum hunc Dei quem vocant simultaneum, indifferentem & indeterminatum? (eliminatâ enim præmotione, nullus alius superest) sed nusquam petitur ille concursus quia post hunc remanet voluntas sicut anteà (non enim agit Deus tali concursu in voluntatẽ, vt aiunt, sed tantùm simul cum voluntate) quæ idcirco remanet semper indeterminata: siquidem tàm impossibile est vt indeterminatum determinet, quàm vt id quod non est calidum calefaciat. Et tali precanti posset Deus iustè dicere: quid amplius à me petis, cùm ego tuum expectem consensum, vt de facto tibi succurram meâ cooperatione, id est, concursu simultaneo; maximè cùm in manu tua sit incipere, & temetipsum determinare, vt ego prosequar: ergo irrisione dignus esset & repulsâ, qui ad maiorem perfectionis gradum aspirans, pro quo non nisi adhuc languenti præmereturdesiderio, postularet à Deo maiorem affectum & vires ad proficiendum in maiori bono, cui adhuc reluctatur voluntas, nondùm plenè consentiens, vtpote cui nondùm placet id totum quod lucet, neque adhuc sat suaue est quod iam vtcunque delectat, si Deus consensum expectare teneatur, iniustaque esset oratio quæ postularet, vt Deus aliquem adhuc reluctantem perfectè faceret consentientem; cùm, vt volunt, hominis consensum aut præsupponere aut expectare Deus teneatur, vtpotè nihil habens, quo hunc effectiuè causare possit sine præiudicio libertatis: in quo deterioris esset conditionis Supremus ac Prępotens Spirituum ponderator ipsâ voluntate creatâ quæ suum liberè elicit consensum, seque in vtramuis partem determinat. At, eliminatâ Prædeterminatione Thomisticâ, nihil Deo superest in genere causæ efficientis quo vtatur ille ad consensum nostrum efficiendum, præter concursum simultaneum, qui, vt fatentur eius defensores, non influit in voluntatem vt illam faciat consentientem, sed tantùm simul cum illa in effectum, qui hac de causa dictus est simultaneus.

VI. Confirmatur secundò Deus potest promittere alicui Sancto obedientiam, conuersionem ad fidem, & consensum alicuius infidelis, vt de facto promisit Abrahæ fidem gentium: ergo potest assensum & determinationem voluntatis creatæ causare. Consequentia est manifesta ex Diuo Augustino lib. de prędest. sanctorum c. 10. qui ait, *Quando promisit Abrahæ fidem gentium Deus, dicens, Patrem multarum gentium posui te.) Non de nostra voluntate, sed de sua prædestinatione promisit: promisit enim quod facturus ipse fuerat, non quod homines, quia etsi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit vt illi faciant quæ præcepit; non ipsi faciunt, vt ille faciat, quod promisit: alioquin vt promissa Dei compleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate.* Ex quibus sic declaratur vis argumenti, Deus promittit fidem gentium quæ stare non potest sine motu libero, consensu, & determinatione voluntatis creatæ, etiam vt talis consensus & determinatio liberè oritur ab ipsa voluntate creata: quia vt inquit D. August. credere non potest homo nisi volens: si ergo ad hunc motum & determinationem voluntatis creatæ habendam solùm offert Deus concursum indifferentem, qui nullam habeat efficaciam nisi ex præscientia, quâ videt Deus voluntatem creatam determinaturam talem concursum indifferentem: Ergo aliquid promisit Deus in hoc casu, quod non est ipse facturus, & cuius non est efficiens; sed tantùm coëfficiens: quoniam talem voluntatis determinationem præsciuit quidem, sed non causauit. Patet consequentia, quia in illa fide gentium quam Deus promittit, includitur ipse motus & determinatio voluntatis creatæ, etiam vt liberæ, cui solùm Deus offert, vt volunt, indeterminatum concursum: Verum promisit Deus non solùm quid indeterminatum; sed quid maximè singulare & determinatum, nimirùm ipsum actum credendi essentialiter inclusum in fide gentium: hunc autem determi-

natum actum; id est consensum gentium, vt volunt aduersarij Thomisticæ Prædeterminationis, solùm attingit Deus suâ præscientiâ, non verò causat: sed tantùm cooperatur, quatenùs, vt aiunt, voluntatem non præuenit Deus; sed tantùm simul cum illa operatur concursu simultaneo: ergo aliquid in illa fide promittit Deus quod non facit, sed tantùm præscit, supponit, aut expectat à creatura, quæ facit vt efficaciam habeat Dei auxilium, & tamen promiserat Deus etiam motum hunc determinatum, sine quo non fit conuersio gentium: quia totum quod est in fide, absolutè promiserat: si verò totum, non ergo excludendum quod principale est ac præcipuum, nempè consensus gentium. Quod si id neget quis, hęc infertur consequentia. Ergo promittit Deus quod non facit, sed quod implendum est per alium, scil. per voluntatem creatam, cuius consensum non poterit Deus causare, sed tenebitur expectare, vt ab illo concursus ipsius efficaciam sortiatur. Consequens verò prę-terquam quod est in vera Philosophia erroneum, ne dicam in fide periculosum, & planè hæreticum, est etiam non solùm contra prædictum D. Augustini testimonium, sed & contra ea quæ ipse statim subiungit. *Credidit Abraham dans gloriam Deo, quoniam quæ promisit potens est & facere: non ait prędicere, non ait præscire: nam & aliena facta potest prædicere, atque præscire: sed dicit, potens est facere, ac per hoc non aliena facta, sed sua.*

Si ergo promisit Deus propriam determinationem & consensum voluntatis humanæ in prædicta gentium conuersione, in qua essentialiter includuntur eiusmodi consensus & determinatio, etiam vt libera, & prout à voluntate humana egreditur, nam in promissione fidei gentiũ, hæc omnia continentur. Hinc inferre licebit Deum non solùm præscire, aut præsupponere determinationem & consensum voluntatis humanæ, sed & hunc causare: si autem causat, ergo præcedit, quia omnis causa præcedit effectum: Nec aliud exigunt Thomistæ in defensione præmotionis physicæ: & ita efficax visum est nonnullis istud argumentum, vt hoc solum sufficiens iudicetur in negotio, pro quo militamus.

CAPVT DECIMVM.

Ex Sacra Synodo Tridentina eruitur prędicta Prædeterminatio Thomistica.

I. Si supremo iudice Constantino Imperatore ait Euseb. de vita Const. l. 3. c. 18. *Quidquid in Sanctis Episcoporum Conciliis decernitur, id vniuersum Diuinæ voluntati debet attribui.* Quanti futurum sit roboris, quod statim in hoc capite subjiciam argumentum pro Prædeterminatione physica, non obscurè percipiet eruditus lector: etenim vnica hæc propemodùm subest ratio alicuius veritatis stabiliendæ in controuersiam adductæ, *Non enim (vt ait Isidorus Pelusiota lib. 4. ep. 99.) oportet eorum qui morbo laborant, sequi suffragia, sed ex iudicio sanorum hominum demonstrationes mutuari.* Quare nemini mirum esse debet, si in propugnando veræ Philosophiæ solidissimo dogmate (quo solidiùs firmatum in tota D. Thomæ doctrina vix vllum reperies) ad tàm sanorum judicum tribunal confugiam, quales in Sacro Tridentino Concilio scimus fuisse congregatos. Et sicut tempore Synodi Nicænæ (teste S. Isidoro) *Nec Deum esse alij perhiberent, alij verò esse quidem, sed nullâ vti prouidentiâ: alij sanè prouidentiâ præditum esse, sed cœlestium dumtaxat rerum: alij autem terrenarum etiam rerum procurationem habere, non tamen omnium, sed tantùm Regum & Principum, &c. Alij cæco ac temerario casu ferri: alij denique omnia fato fieri contenderent.* Sic nostrâ ætate, nullam esse Primæ Causæ cum secundis actionem nonnulli asseruerunt: alij moralem motionem solam quę fit per obiecti propositionem, quâ nobis solùm innotescat quid agendum sit, aut à quo abstinendum, iudicetur: alij verò totam agendi virtutem soli Deo tribuentes, nihil à creatura fieri, falsò somniarunt: Alij tandem aliquid à creatura fieri veriùs profitentur, sed illam à Deo nusquam præueniri, potissimùm si fuerit agens liberum, quod Deus concomitari tantummodò teneatur concursu quodam physico, sed tantùm simultaneo, indifferenti, & indeterminato, qui voluntatem creatam non determinet, sed ab illa determinetur, sicque omnes fere in hoc conueniunt, vt Prædeterminationis Thomisticæ, & vocem, & rem significatam, tam dissimili opinionum multitudine è medio tollere, vnanimiter satagant.

II. Idcircò sub tanta, tamque multiplici, ac periculosa sententiarum diuersitate hoc Diuinum Concilij Numen est inuocandum; quo omnibus innotescat, Deum ità agere cum causis secundis etiam liberis, vt eas in agendo verè, & quidem physicè præueniat, intactâ libertatis creatæ indifferentia, quod tantùm à Thomistis propugnatur nomine Prædeterminationis physicæ.

Cum clarissimo igitur D. Thomæ interprete Ioan. à S. Thoma, iisdem ferè verbis quibus vtitur ille, in Prędeterminationis prædictę gratiam, pro stabilienda intrinseca Dei efficacia, effectiuè causante ipsum voluntatis nostræ consensum, formabimus argumentum, quo non obscurè innotescat à Deo opt. non præsupponi voluntatis nostræ consensum, aut determinationem expectari, sed hanc ab illo priùs naturâ fieri, nobisque etiam principaliter operantibus ipsum cooperari. Ait enim Trid. sess. 6. c. 5. [Exordium iustificationis in adultis sumendum esse à præueniente gratia, hoc est à vocatione, quâ nullis eorum existentibus meritis vocantur, vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem atque adiuuantem gratiam, ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem eidem gratiæ liberè assentiendo & cooperando disponantur] Ex prædictis Sacri Concilij verbis non negabunt oppositæ sententiæ Authores, per gratiam, de qua loquitur Concilium, intelligi gratiam efficacem, cùm hoc ipso Concilij Decreto vtantur, vt probent gratiæ efficaci nos posse dissentire (quod & libentissimè fatentur Thomistæ.) Adde quod nisi gratiam efficacem hoc in loco intelligeret Concilium, nihil in eo actum esset contra hæreticos, contra quos potissimùm fuerat conuocatum, qui ex gratiæ efficacia, liberum hominis auferri arbitrium pertinaciter contendebant. Conueniamus igitur, Concilium ibidem loqui de gratia efficaci. Iam probandum superest quòd huiusmodi gratia sit efficax ex natura sua, seu ab intrinseco, & antecedẽter ad consensum nostrum: non verò ex eo præsupposito, aut præuiso futuro, quem expectare Deus teneatur. Quod si ita res se habeat, argumento à simili stat Thomistica Prædeterminatio, quæ potissimùm impugnatur prætextu libertatis conseruandæ, quam si minimè destruit prædicta efficax gratia, sed astruit, certe nec ipsa Prædeterminatio Thomistica, quam propugnamus.

Exordium iustificationis nostræ sumitur à gratia præ-

ueniente efficaci (de hac enim loquitur Concilium) sed consensus noster vt liber, & vt à nobis est, includitur in iustificatione nostra & ad illam pertinet, quia sine consensu nostro non iustificamur (nam loquimur de Adultis) ergo exordium illius consensus, etiam vt liber est, & vt à nobis, sumitur à gratia præueniente efficaci; non autem à gratia indifferenti expectante, ad suam efficaciam habendam, determinationem nostram & consensum; aliàs ab ipsa gratia in executione (de qua loquitur Concil.) non sumeretur iustificationis exordium, sed ab ipso consensu gratiæ iam præsupposito: quia gratia præueniens non potest exordiri, seu iustificationis causare exordium in executione, nisi efficax fuerit, dum enim indifferens est & indeterminata, nihil certò & determinatè exorditur. Ergo ipsa gratia dat exordium etiam consensui libero formaliter vt libero, & causat illum, vtpote intrinsecè inclusum in ipsa iustificatione, cuius gratia efficax est exordium: si autem causat consensum, ergo illum præcedit, quia omnis causa præcedit effectum: aliàs non esset verum Concilij Decretum (quod absit, vel suspicari) scilicet exordium iustificationis sumi ab ipsa gratia, vt à causa: nam si hęc gratia non sit causa ipsius consensus, sed consensus ipse, oblatum Dei auxilium indifferens & indeterminatum determinet, verè ab ipso consensu in exercitio desumitur iustificationis exordium, cùm causa determinans sit verum agendi principium: nam ante consensum vocatio semper est indifferens, ideoque nondum in executione dat iustificationi exordium, alias effectiuè suam exordirentur iustificationem, etiam & ipsi rebelles lumini qui exultant in rebus pessimis, & qui lætantur cùm malè fecerint, quoniam & ipsi sæpissimè vocantur, quod tamen nemo dixerit

Dices gratiam pręuenientem dare exordium nostræ iustificationi, ideò consensum antecedere, sed modo morali, scilicet vocatione, id est, iustificationem nostram incipere à vocatione, quæ pertinet ad intellectum, ipsum verò Dei auxilium præueniri ab ipso voluntatis consensu, quoniam ab illo determinatur omnis Dei influxus.

Sed contra: Per hanc vocantem gratiam non solùm intelligit Concilium gratiam excitantem seu moralem, quæ pertinet ad intellectum, sed etiam adiuuantem quæ spectat ad infirmitatem voluntatis adiuuandam: quod euidenter infertur ex solo Concilij textu, in quo dicitur, *Vt per eius excitantem atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam iustificationem, &c. disponitur.* Igitur sub hac vocatione duplex illa gratia intelligitur, scilicet excitans, & adiuuans: ideoque cùm dicitur quod iustificationis exordium sumitur ab ipsa vocatione velut à causa efficiente, verè intelligitur quod huiusmodi vocatio efficax, qualis est illa quę dat in executione iustificationis exordium, vtramque motionem scilicet moralem & physicam complectatur, cùm actus meritorius, qualis est adulti iustificatio, vtriusque potentiæ operationem, intellectus scilicet & voluntatis exigat: ergo nomine huius vocationis verè præintelligitur etiam illa gratia quę voluntatem pręcedat, eiusque consensum liberum efficiat in iustificatione adulti necessariò inclusum, quod sufficit Thomistis: nam si non obstante huius gratiæ efficaciâ, liberrimè conuertitur ille, qui Deo vocanti assentitur, sine causa impugnatur Pędeterminatio Thomistica tanquam libertati contraria, ex eo quod semper suum sortiatur effectum, vtpote habens ex infinita Dei virtute quod possit efficere & substantiam actus, & modum eius liberum.

IV. Confirmatur: Intolerabilis esset error, vel suspicari Sacrum Conc. Trid. in Syllam incidisse, cupiens vitare Carybdim, id est, quod damnando errorem Caluinistarum & Lutheranorum, hęresim Pelagianorum toties ab Ecclesia profligatam restituisset. At si Deus in iustificatione Adulti, illum adiuuet tantùm, vel per objecti propositionem, vel per illuminationem, hęc omnia non excedunt motionem moralem, quę fit per doctrinam, legem, vel reuelationem, quę omnia admittebat Pelagius, vt iam diximus lib. 1. Qui tamen nunquam voluit quidquam admittere quod voluntatem pręueniret, in illam directè influeret, ac spiritum & vires subministraret, duritiam cordis aufferret, &c. Pro quibus semper à D. August. premebatur: At constat ex eodem S. Doctore lib. de gratia Christi c. 7. & 10. fusiùs relato lib. 1. huius operis, familiarem fuisse Pelagio gratiam hanc excitantem, ait enim Pelagius, [Adiuuat nos Deus per doctrinam & reuelationem, dum cordis nostri oculos aperit, dum nos multiformi & ineffabili dono gratię cœlestis illuminat.]

Hęc autem gratia adiuuans, quę & ibidem cap. 10. dicitur à Pelagio *Stupentem suscitare voluntatem*, non est sufficiens, siue exprimatur nomine simultanei aut indifferentis concursus, siue aliquo modo motionis moralis, vt fusiùs lib. pręced. probauimus, requiritur ergo illa alia quę operatur, *velle*, subministratione spiritus & virtutis, quę auffert cor lapideum, & tribuit carnem, immutando affectum: Et hęc est de qua loquitur Trident. dum ait, *Exordium iustificationis in adultis sumendum esse à gratia præueniente*, quę est vera iustificationis causa: quę iustificatio in adultis ipsum voluntatis consensum includit, quem idcircò pręcedit hęc efficax gratia, tanquam vera illius causa.

Quod satis expressit Sacrum Concilium, dum asseruit Adultorum conuersionem fieri, *per excitantem atque adiuuantem gratiam.* Cùm enim vtraque potentia, intellectus scilicet & voluntas cooperari Deo debeant in iustificatione, vtraque potentia indiget auxilio sibi proportionato: sicut ergo excitans pręcedit intellectum, & est causa intellectionis, sic adiuuans pręcedit voluntatem, quam volentem efficit & consentientem, quia per illam, *disponuntur adulti ad ipsam iustitiam, dum excitati & adiuti, fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur:* ergo non solùm sunt excitati, sed & moti, & priùs quidem quàm liberè moueantur: igitur ista adiuuans gratia (quā supra diximus ex Conc. esse efficacē) est vera causa fidei, quę non est sine consensu & determinatione voluntatis, cùm vt toties insinuat D. August. nemo possit credere nisi volens: hęc igitur iustificationis gratia non solùm est concomitans aut indifferens respectu voluntatis, eius ambiens aut expectans consensum, sed pręuia & antecedens, quę tanquam vera causa efficiens, voluntatem pręuenit, effectiuè disponendo ipsam, vt ex nolente fiat volens, ex repugnante consentiens, nullâ interueniente vi coactionis, aut impositione necessitatis, sed ablatâ cordis duritiâ, quam solus Deus aufferre potest, immutando voluntatem, vt diximus ex Diuo Thoma in pręcedentibus.

V. Declaratur magis: Sub hac vocatione intelligit Concilium, id, quo efficaciter disponitur voluntas vt de facto conuertatur, sed hoc ipsum quo sic disponitur, vtramque gratiam scilicet & excitantem & adiuuantem, includit, nullusque est bonus consensus prior hâc dispositione, quę ideò datur vt quis fiat bono consentiens, vt patet ex textu eiusdem Concilij, in quo dicitur, [*Vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se...eidem gratiæ, liberè assentiendo & cooperando disponantur.* Ergo talis dispositio quę conuersionem exorditur, fit per gratiam adiuuantem, quę pręuenit voluntatem, illius liberum efficiens consensum, necessariò in adulti con-

uersione inclusum. Perperam igitur, & sine causa metuunt pro libertate creata Prædeterminationem admittere Thomisticam, cujus vna est ratio cum prędicta gratia adiuuante efficaci supernaturali, vt etiam fatentur Thomistarum Anthagonistæ.

Cùm igitur Caluinus & Hæretici obfirmato animo contenderent quòd, gratia esset efficax ex natura sua & antecedenter ad consensum nostrum; ex quo principio hanc inferebant consequentiam, nimirùm ex hac gratia lædi libertatem nostram, cogi voluntatem, eique talem imponi necessitatem, vt gratiæ huiusmodi non posset resistere. Hoc vt eliderct Concilium necesse erat, vel vt negaret Antecedens, asserens ab Hæreticis falsum supponi, nempè auxilium gratiæ esse ex natura sua efficax: vel, vt acceptâ suppositione, quòd nimirùm daretur aliquod auxilium gratię ex natura sua efficax, negaret consequentiam, scilicet quòd talis efficacia destrueret libertatem, ac voluntatem vt inanimè quoddam relinqueret, aut ad summum cum solo motu spontaneo, non verò libero, qui esset cum potentia ad oppositum (non enim suppetere poterat nisi duplex ille modus, huiusmodi errorem destruendi.) Sed Concilium contra Hæreticos nusquam declarauit Antecedens esse falsum, id est, suppositionem illam, quod scilicet (præter gratiam sufficientem, quæ dat posse) aliquod aliud auxilium gratiæ ex natura sua efficax daretur, ex quo iuxta modum liberum operatio sequeretur, id est cum potentia ad oppositum; Ergo admittit Concilium tale Antecedens, & solam negat consequentiam: nempè quòd ex tali auxilio gratiæ quo Deus attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, vllo modo lædatur libertas in agentibus liberis, in quibus semper remanet potentia resistendi; Et hoc ipsum sentiunt Thomistæ de Physica Prædeterminatione, pro qua tàm firmum stat argumentum à simili, ex prædicto gratiæ auxilio, ex natura sua efficaci ac potenti ipsius voluntatis causare consensum sine vlla læsione libertatis creatæ, vt vel ipsis oppositæ sententiæ authoribus nihil sit metuendum pro libertatis indifferentia, ex Thomistica Prędeterminatione, si tale admittatur auxilium gratiæ; Quî autem negetur? Viderit, qui de omnipotentia Dei dignè sentire voluerit.

VI. Verùm hìc morem geramus, ac nonnullis concedamus gratis, non vnius esse, aut duorum priuatorum hominum præsumere veram se Concilij intelligentiam aperuisse; maximè cùm viri graues & periti de vero illius sensu non sine causa dubitarint. Fateor, & quidem ex animo; sed contendo nullum esse Concilij interpretem, cui maiorem adhibere fidem debeamus, quàm qui ipsi Concilio interfuerunt, quique ad præcipua in eo munia, dignitates & officia delecti sunt, inter quos si Thomistas nostræ Prædeterminationis propugnatores recenseam, nemo non suffragetur, si sub Thomistarum vocabulo intelligendos dixero illustrissimos Ecclesiæ Præsules, ac præcipuos omnium ferè Ordinum viros, vtique hoc nomine dignissimos, vtpote Doctrinæ D. Thomæ addictissimos. Ex quibus inter cæteros erant tres Patres Societatis Iesu, Salmeron scilicet, cum duobus sociis, quos per litteras monuit B. Patriarcha Ignatius; ne ad vllam deflecterent nouitatem qui quidem pro Prædeterminatione Thomistica sinceri ac integri erant, vt ex vno Salmerone infrà constabit.

Ex omnibus igitur hìc referam solùm, qui ex vna Prædicatorum Familia dicto Concilio interfuerunt, quibus cùm magis incumberet necessitas amplectendæ Doctoris Angelici doctrinæ, cui hac in Synodo tantoperè fuit acclamatum, nihil mirum si dixerimus, Thomistas Dominicanos in vera Concilij intelligentia tantò plus fuisse perspicaces, quòd nec numero, nec merito essent in illo cæteris inferiores.

Primus ergo eorum qui prædicto adfuerunt Concilio, fuit Reuerendissimus Iustinianus (ex nobilissima ortus stirpe Regum Cyprianæ Insulæ, qui omnium Religiosorum ac Prælatorum animos sibi; suoque Ordini, amicitiæ fœdere singulari conciliauit) Ordinis FF. Prædicatorum Magister Generalis, cum socio Reuerendo admodùm Patre Seraphino de Caballis Brixiensi Terræ Sanctæ Prouinciali: cum quibus conuenerunt viginti septem Sacræ Theologiæ Professores, missi ab Ecclesiæ Principibus, Cardinalibus, &c. quin & ab ipsis Regibus nominatim verò à Rege Hyspaniæ Philippo II. delecti, illucque missi sunt R. P. Ioa. Gallo: & R. P. Petrus Fernandez. A Rege autem Portugaliæ, R. P. Ludouicus de Soto major (qui à Patribus dicti Concilij Princeps Theologorum est appellatus) cum R. P. Francisco Forerio Lusitano in Secretarium Concilij à SS. illis PP. electo, nec non ab iisdem ad librorum prohibendorum censuram dato; cui post Concilium à Summo Pontifice ex Concilij Decreto, vnà cum duobus aliis Ecclesiæ Præsulibus ex eodem Prędicatorum Ordine assumptis, scilicet Leonardo Marino Archiepiscopo Lancian. & Ægidio Fuscario Episcopo Mutin. Breuiarum, ac Missale Romanum reformandi, Catechismumque selectissimum conficiendi ex mente ipsius Concilij cura commissa est: cui operi perficiendo adiunctus est Sirletus non minùs pietate & doctrina, quàm dignitate Cardinalitia illustris; cuique demùm poliendo adiunctus est R. P. Thomas Manrique, Sacri Palatij Magister, eique assistente indefesso labore R. P. Eustachio Leucatello nostri Ordinis Procuratore generali.

VII. Item ad idem Concilium conuenerunt pures fidei inquisitores ex eodem Prædic. Ordine, de speciali mandato Sedis Apostolicæ: ex quibus post Concilium in Archiepiscopos constat tres à Summo Pontifice fuisse assumptos: quorum omnium nomina & cognomina, patriam, &c. videre poterit lector in tabulis Cronologicis R. P. Louuet Diuionensis, ex Typographia Taupinard, Viâ Iacobeâ, Parisiis 1630.

Hìc nulla fit mentio de multis aliis Patribus eiusdem Ordinis Prædic. qui delecti sunt vt coram tota Synodo Trident. conciones haberent: ex quibus vnus fuit Dominicus Soto, qui durante dicto Concilio tres libros de Natura & Gratia contra Lutherum & Caluinum composuit, quos & præfatæ Synodo dedicauit, eidem acceptissimos.

Insuper deputati sunt à Pio V. summo Pontifice quatuor alij Patres eiusdem Ordinis, qui in eodem Concilio quatuor Ecclesiæ Doctores repræsentarent, nimirum Petrus Soto, Adrianus Valentico, Camillus Campigio, Hieronimus Brauo.

In eodem Concilo claruerunt septemdecim Episcopi, cum sex Archiepiscopis, omnes ex eadem prædicta Prædicatorum familia assumpti.

His præmissis, solam obtestor lectoris synceritatem, cuinam potiori iure fidem adhibere debeamus (saluâ tamen debitâ cuique reuerentiâ) circa veram Concilij intelligentiam, quàm illis, quibus pręcipua dicti Concilij negotia commissa sunt?

Non negamus, inquiunt: at vbi in illo ista Prædeterminatio Thomistica, de qua dubitamus? Certè nullibi euidentior.

Primò, quam in iis quæ diximus, argumento à si-

mili ex aliquo gratiæ auxilio ex naturâ suâ efficaci deprompto, quo possit Deus adulti conuersionem efficere, immutando cor illius absque vllo libertatis creatæ præiudicio.

Secundò: in Concilij Catechismo Sess. 24. de reform. c. 7. eiusdem ac Summi Pontificis iussu edito, in quo syncaram Ecclesiæ Doctrinam comprehendi mandarunt, qualem Christi Fidelibus proposuerunt; idque multis annis antequam Salmanticæ prima illa (nescio quo zelo) oriretur controuersia: (de hac autem eiusque origine legendus est P. Vinc. Baronius 3. parte manuduct. disp. 2. sect. 2. parag. primo) quod diligenter velim annotatum, ne quis suspicetur id quod statim ex dicto subjiciam Catechismo; ab eius dictum esse authoribus, vt Thomistarum fauerent Doctrinæ, quæ cùm sit ipsissima Ecclesiæ doctrina, & in Summum Pontificem, & in ipsam Christi Sponsam rediret huiusmodi suspicionis iniuria; tùm quia actio mandata magis tribuitur mandanti, vtpote causę principali, quàm mandatorio. Reg. 73. de Reg. iur. in 6. c. 1. de proc. c. qui cap. de sent. excom. in 6. l. qui mand. ff. de sol. lib. 1. quoties ff. de vi. & vi. arm. l. qui iussu, ff. de Reg. iuris: tùm quia si prudentum responsa quibus de iura respondendi à Principe sit potestas, plenissimam authoritatem sortiuntur, perinde ac si ab ipsis Principibus constituta fuissent: parag. Sed neq. in Const. de conc. digest. parag. esp. de iure Nat. Gent. & Ciuil. Quantò magis hic liber ab iis compositus, quibus nedum concessa facultas, sed & per speciale mandatum parendi imposita fuit necessitas à Summo Christi Vicario Pio V. Gabut. in vita Pij 5. lib. 1. c. 2. Et ex eiusdem bulla dat. Rom. apud S. Marcum 7. Cal. Oct. an. 1. Vt exequente Concilij Tridentini Decretum ex continuatione Sess. 25. vbi de indice librorum prohibendorum, & de ipso Catechismo perficiendo decernitur.

Hic autem Catechismus 1. p. a. 1. Symb Fidei num. 24. in expositione art. de omnipotentia Dei, quam suprà diximus cum D. Thoma esse primum fidei fundamentum, & consequenter omnis veræ Philosophiæ basim ac præsidium, sic habet. *Non solùm autem Deus vniuersa quæ sunt, prouidentiâ suâ gubernat atque administrat, verùm etiam quæ mouentur & agunt aliquid intimâ virtute ad motum atque actionem ita impellit, vt quamuis causarum secundarum efficientiam non impediat, praeueniat tamen; cùm eius occultissima vis ad singula pertingat: Et quemadmodum Sapiens testatur: Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Quare ab Apostolo dictum est, cum apud Athenienses annunciaret Deum, quem ignorantes colebant. Non est longè ab vnoquoque nostrum: in ipso enim viuimus, mouemur & sumus.* Poteratne opinionis Thomisticæ de Prędeterminatione physica fieri perfectior Synopsis, quàm quæ in prædicto habetur Tridentini Catechismo?

VIII. Profectò si attentè perpendatur hoc testimonium, nulla apparebit subterfugij vmbra, quæ statim non euanescat: Sat quidem superque satis & motio moralis si sola sit eliminatur; & concursus indifferens & indeterminatus excluditur, sicut & simultaneus, &c.

Et cùm, vt iam non semel insinuauimus, Deus non minùs sit primum agens, quàm primum ens; ex quo fit vt omne agens creatum sit illi in agendo essentialiter subordinatum; sicut omne ens creatum fouet per conseruationem ne in nihilum reducatur; sic omne agens creatum per prædictam causalitatem præuenit vt hoc reducat in actum, quia Prima Causa non solùm est principium agendi habituale, sed & actuale respectu cuiuscunque creaturæ, quam perpetuò conseruat in esse, vt ex eodem Catech. ibidem suprà legitur: Ex quo apparet singulare discrimen inter Agens Primum, quod est causa rerum, non solùm in fieri, sed & in facto esse, & alia agentia creata, quę solùm sunt causa in fieri, quo transacto stat effectus & in essendo, & consequenter in agendo ab ipsa causa solutus; quod dici non potest de Primo Agente, vt patet his verbis, *Non verò (ibidem loco supra cit.) ita Deum Creatorem atque Effectorem omnium credere oportet, vt existimemus perfecto absolutóque opere, ea, quæ ab ipso effecta sunt, deinceps sine eius infinita virtute constare potuisse. Nam quemadmodum omnia vt essent, Creatoris summâ potestate, sapientiâ & bonitate effectum est; ita etiam nisi conditis rebus perpetua eius prouidentia adesset, atque eâdem vi quâ ab initio constituta sunt, illas conseruaret, statim ad nihilum reciderent. Adque id Scriptura declarat, cum inquit; Quomodo posset aliquid permanere nisi tu voluisses, aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur?*

Et hoc de industria referre necessarium duximus, vt ex eodem Catechismo appareat & ipsum concursum Dei conseruatiuum rerum, esse distinguendum ab hoc præuio pro quo militamus, quo omne agens creatum sic præmouet Deus ad agendum iuxta propriam cuiusque rei conditionem, vt attingat à fine vsque ad finem fortiter, & disponat omnia suauiter.

En igitur præuia Dei causalitas formaliter expressa in dicto Catechismo, saluâ semper libertatis creatæ indifferentiâ: vnde & Doctor Angelicus qq. disp. q. 3 de verit. a. 1. viam veritatis sternens Thomistis, ab vtraque fugit extramitate, eorum scilicet qui omnia ex casu, aut ex necessitate fieri assererent. *Hanc, inquit, rationem ponendi ideas, scilicet prædefinitionem operum agendorum, innuit Dionysius cap. 5. de Diu. Nomin. dicens: Exemplaria dicimus in Deo existentium rationes substantificas & singulariter praexistentes, quas Theologia Prædefinitiones vocat, & Diuinas & bonas voluntates existentium prædeterminatiuas & effectiuas: secundum quas supersubstantialis essentia, omnia prædefiniuit & produxit.* Quod confirmat S. Doctor ad 5. dum ait, ideas in Deo *esse creatiuas & productiuas rerum; &c. & secundum eas informari omne quod oriri & interire potest.*

IX. Hæc igitur expressa D. Tho. de Prædeterminationa doctrina, quam *qui denigrat.. (vt ait Vniuersitas Parisiensis Epist. dat. 1325. vide P. Mallet. p. 302.) occultat veritatem, dehonorat Romanam Ecclesiam.* Cuius authoritati reluctantur, qui Prædeterminationi Thomisticæ aduersantur, cunctis tàm euidentet exhibitæ in prædicto Concilij Catechismo; cuius Authores sunt tres prædicti, quamuis anteà quidam fidei articuli nonnullis aliis jam commissi fuissent enucleandi, vt Illustrissimo Cardinali Seripando Ordinis Eremitarum S. Augustini, cui sequens particula obtigerat examinanda. *Et in vnam sanctam Ecclesiam Catholicam.* Et quartus symboli Articulus, Michaëli Medinæ Ordinis FF. Minorum; attamen operâ, studio ac perseuerantiâ prædictorum ex Dominicana Familia assumptorum, prodiit opus integrum, quale modò habetur, accuratiùs limatum; vt testatur Gaspar Silingandus, lib. de Episc. Matin. & Cron. Ord. Pręd. quibus à Sūmo Pontifice erat præceptum, vt non ex suo, si quem priuatum haberent, sed ex Ecclesię sensu omnia tractarent; Quod & actum est, idque tantâ synceritate, vt vniuersali Ecclesię sit propositum hoc opus à Pio 5. & Gregorio 13. omnibusque Christi fidelibus acceptissimum; Et à Clarissimo totius Gallię Clero in Con-

uentu Melodunensi maximè approbatum.

Hunc eundem Catechismum susceperunt quinque Synodi Prouinciales: Mediolanenses sub S. Carolo Borromæo, Boneuentana, Rauennas, Salisburgensis, Gennensis, Rothomagensis, Burdegalensis, Turonensis, Tolosana, Gnesuensis, Aueniononensis, Aquileiensis, quibus aderant plusquam viginti ex Præsulibus, qui Tridentino Concilio interfuerant: à cuius lege, si vel iota vnum, aut vnus apex prætetiisset, fuisset sanè & quidem seuerè castigatum.

Et quod hic singulari animaduersione dignissimum iudico, est, præfatas Synodos ferè omnes à sacra Cardinalium Congregatione, vel à summis Pontificibus approbatas & confirmatas fuisse.

Singulari quoque reuerentiâ (vt omnes cæterorum Ordinum cœtus prætermittam, ei addictissimos) hunc ipsum venerantur Catechismum R. Patres sacræ Societatis IESV, vt patet in regula de Pręfecto Lectoris mensæ.

Mitto Synodos Diœcesanas complures, in quibus hic Catechismus maximè quoque approbatur. Item magni nominis Doctores, qui post libros Canonicos vix vllum librum huic ferè comparandum affirmant. Mitto & ipsa Clericorum omnium Seminaria, qui ex hoc Catechismo velut ex fœcundissimis sanctæ Matris Ecclesiæ vberibus sanæ doctrinæ lac suauissimum sugunt.

Potuissem hic addere quod ex 2. Concil. Arausic. can. 25. suprà retulimus, vbi dicitur, *Salubriter profitemur & credimus quod in omni opere bono nos non incipimus.* Sed ne actum agamus, legatur totum cap. 10 lib. præced. ex quo apparebit vera, hac in re Conciliorum concordia: ne quis improperet, nos in huius operis titulo plus fuisse pollicitos, quàm præstiterimus.

Verùm, quoniam ex prædictis vehementer vrgeri se sentiunt, duo obiiciunt, scilicet prædictam prioritatis causalitatem explicari posse per Pręmotionem moralem, quæ prouenit ex propositione obiecti, minis, terroribus, pollicitationibus, lege, doctrinâ, &c. quæ spectant ad intellectum; non verò ad aliquod auxilium efficax, quod voluntatem præueniat, sicuti iam præmonuimus.

X. Sed contra: Primò quia euidenter est huiusmodi responsio contra Catechismi textum, qui licet videatur loqui tantum in communi de causis secundis naturalibus, tamen satis indicat etiam agentia libera comprehendi, dum ait, *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* idque physicè & effectiuè, his verbis, *Ad motum & actionem ita impellit, &c.* Secundò, insufficientiam motionis moralis suprà ostendimus ex D. Thoma (per quam non saluatur subordinatio & dependentia essentialis causæ secundæ cum Prima) qui toties repetit solum Deum agere directè in voluntatem creatam, eumque solùm cum voluntate posse esse causam efficientem actus liberi: quamuis etiam quantùm ad modum motionis moralis Deo & creaturis communem, quatenus vniuersale bonum, aliquam sibi prærogatiuam arroget.

Quibus addas quod ait S. Doctor q 3. de malo a. 3. o. scilicet quòd sola causa efficiens sit *propriè & verè causa,* vbi sic concludit, *Relinquitur ergo quod causa perficiens & propria voluntarii actus sit solum id quod operatur interiùs: hoc autem nihil aliud esse potest, quàm ipsa voluntas sicut causa secunda, & Deus sicut Causa Prima.*

Assignans autem rationem cur actus voluntatis qui essentialiter est inclinatio, possit esse effectiuè à solo Deo, ibid. infrà ait, *Inclinatio naturę est à forma naturali, & ab eo qui dedit formam; vnde dicitur quod motus ignis sursum est ab eius leuitate, & à generante, qui talem formam creauit.*

Et ne quis illo abutatur exemplo, autumans Deum dici causam volitionis, quia dedit potestatem volendi, scilicet voluntatem, sicut generans ignem, dicitur causa motus sursùm, quia igni dedit leuitatem.

Meminerit prudens Lector hunc esse Origenis errorem, sic hæc verba glossantis, *Operatur velle,* quatenus inquiebat, dedit virtutem volendi) & ab Ecclesia proscriptum, & ab Angelico Doctore suprà reprobatum.

Pro cuius etiam subterfugij conuictione, non leue erit argumentum id quod supra dictum est, scil. Deum, qui rerum omnium tenax est vigor, esse causam cuiuslibet effectus, non solùm in fieri, sed & in facto esse: & quidem immediatiorem ipsâ creaturâ. Ita D. Tho. q. 3. de pot. a. 7. & 1. p. q. 21. a 4 o. 3. contr. gent. c 70. & locis infrà citandis.

XI. Alterum quod obijciunt contra relatum à D. Thoma D. Dionysij testimonium, quo ait, *Ideas esse existentium prædeterminatiuas & effectiuas,* est, quòd ideæ, de quibus agit Doctor Angelicus, pertineant ad genus causæ formalis extrinsecæ, & ad genus causæ finalis. Et hoc & nos libentissimè fatemur; sed præmisso discrimine quod est inter scientiam nostram, quæ accipitur à rebus, & scientiam Dei quæ est causa rerum: sicut & ars est causa artefactorum. Sciendum est ex Philosophia, quòd idea etiam ad genus causæ efficientis pertineat, vt patet ex D. Tho. q. 3. de verit. a. 1 Quod ratione etiam confirmatur: Primò, quia cùm Deus sit rerum omnium Supremus Artifex, & ad artificis actionem tria concurrant, scil. ars, voluntas, & potentia exequens: si voluntas vt mouens potentiam exequentem pertineat ad genus causæ efficientis: & ars vt dirigens & ordinans, quod non fit nisi mediante ideâ, pertinebit quoque & ipsa idea ad idem genus causæ efficientis. Secundò, Quod facit forma naturalis in agentibus naturalibus, hoc facit idea in agentibus per intellectum: nam sicut forma naturalis determinat agens naturale ad determinatum effectum, & secundum eam præcipuè attenditur similitudo inter vtrumque, ita idea determinat agens per intellectum ad effectum, & facit illum similem sibi suo modo; sed forma naturalis est principium effectiuum operandi, ergo & idea: quam idcircò in Deo ait S. Doctor esse *prædeterminatiuam & effectiuam existentium, productiuam rerum, & secundum eam informari omne quod oriri & interire potest.*

Sententia igitur de Prędeterminatione Thomisticâ nedùm habeatur tanquam Thomisticarum opinio, vt nonnulli suadere moliti sunt: sed velut ipsissima D. Tho. doctrina, totiusque Ecclesię in dicti Concilij Catechismo formaliter expressa; in cuius historię contextu hoc habetur, *Non potuit D. Tho. Ecclesiasticis interesse Concilijs morte præuentus: verùm ecce superstes, atque in æternum victurus nobis adest, bona sua, spiritualis doctrina thesauros hæreditario iure nobis delegauit. Nulla proinde ab eius fælici transitu Concilia sine S. Doctore celebrata sunt: vt enim de cæteris sileam, quod audiuimus, quod videmus, quod manibus nostris contrectamus, quidni apertâ voce ad laudem eius testemur? Vestra comitia perpendite, &c.*

Quod sanè non mirandum existimo, vel ex eo potissimùm quòd B. Patriarcha Franciscus è Cœlis in terram aliàs descenderit, vt Fratri Eleutherio sui Ordinis Religioso opinionum diuersitate distracto aperiret, sequendam esse D. Tho. doctrinam, dicens *Crede huic, quia eius doctrina non deficiet in æternum.* Ita refert F. Ioan. à Iesu Maria, in lib. de arte vitę spirit. l. 5. c. 8.

Non ignoro quosdam Dominicanæ Familiæ inimicos scripsisse, hanc historiam fuisse à Thomistis recenter confictam in commendationem doctrinæ D. Tho.

Sed nos ab hac calumnia vindicauit Ioannes Gielmans. Canonicus Regularis, qui primo è quinque manuscriptis ingentibus voluminibus in Monasterio Rubeæ Vallis apud Bruxellas accuratè asseruatis fol. 297. c. 86. fusiùs prædictam descripserat historiam à ducentis annis, quam dicebat Petrus Alua adinuentam à Dominicanis anno 1620. Et sanè mirum est, vel potiùs dolendum, quòd vir ille qui seditionis vexillum fert à tot annis per totam ferè Europam, in Doctorem Angelicum, suis libris in Hispania & Romæ damnatis, non resipiscat aliquando, toties ad fidem huius historiæ comprobandam, à doctissimis D. Tho. Apologistis prouocatus, cùm degens in Belgio id facillimè possit: quam tamen calumniam iteratis tot editionibus perpetuò intrudit, quas ipse curat & spargit etiam propriis expensis, cum magno salutis suæ piaculo, nec minore præiudicio ac dedecore Seraphicæ, quam sic infamat, familiæ.

XII. Candide Lector, si Apostolo æmulorum fraudibus ac maledictis lacessito, Ioboque ipsi patientissimo amicorum injuriis appetito, proprias laudes non omninò tacere licuit: vix crediderim, mihi vertendum vitio, quòd prædicta in nostrorum commendationem retulerim: præsertim cùm non mei ipsius causa ageretur, sed amplissimæ familiæ per totum orbem propagatę, scholæ scil. Thomisticę, famam, iura & doctrinam vindicandi necessitas mihi incumberet. Quis enim queat obmutescere, auditis calumniis, quibus S. Doctorem eiusque Scholam labefactare moliti sunt tres aut quatuor Moderni: quorum vnus ementito nomine, veluti laruatus hostis, Angelici Doctoris Discipulos dixit seruili ac pecuino spiritu agi, eosque fatuo erga ipsum amore dementari. Absit à me vt reddam maledictum pro maledicto, aut ipsi vel sua verba reponam. Sufficit mihi dicere, vt testis & iudex esse poterit totus Orbis Christianus, Angelicum Doctorem, eiusque Discipulos de Ecclesia, ac de toto genere humano fuisse semper optimè meritos: & hoc aduersus calumniatorem qui tàm imprudenter, quàm falsò (ne duriùs loquar) scribere ausus est, *Dominicanos sentibus scholæ assuetos, Ecclesiæ esse infensos.* Et quoniam hìc Historicum non ago, sed Apologistam, vnum tantùm quęram: Quinā fuerint vnquam, qui ardentiori zelo aduersus barbaras nationes & Hęreticos suas posuerint animas, quàm Dominicani? Vix elapsi erant quadraginta anni ab instituto Prędicatorum Ordine, & tamen iamiam reperti sunt ex illo trecenti Religiosi, qui proprij sanguinis effusione Euangelij veritatem consignarunt. Estque huius rei testis locupletissimus Beatus Humbertus Quintus eiusdem Ordinis Generalis Magister, vt patet in Comitiis Generalibus Mediolani habitis anno 1256.

Sed quasi horum priorum sanguis semen fuisset posterorum: si Ourretam to. 2. hist. Ætyop. c. 7. consulas, reperies vnico currente sęculo 1500. centum supra mille Dominicanos Martyrij gloriâ fuisse coronatos. Quibus si addas & illos de quibus Lopez. 4 parte in centuriis: Petrus Caluus, de lachrymis Iustorum: Bosius, de signis Ecclesię: Vinc. Gomez. in sua versione: cum iis qui vsque in nostram ętatem testimonium de Christo perhibuerunt, ex vno FF. Prędicatorum Ordine habebis centum millia Cœlitum, qui stolas suas dealbauerunt in Sanguine Agni.

XIII. Fateor ex nostris in Anglia, Scotia, & aliquibus Germanię partibus, nonnullas extinctas esse Prouincias, cùm in his locis constet, septingentos Conuentus nostri Ordinis ab Hęreticis funditùs euersos: Sed hoc damnum cumulatissimè à Deo Opt. est compensatum. Nam pręter gloriam Martyrij, ac superstites triginta sex antiquas Dominicanorum Prouincias, & complures alias eorumdem Congregationes, de nouo institutę sunt in vtraque India octo Prouincię, in quarum vna, scil. Peruana, anno huius sęculi tertio-decimo Limensis iam numerabat 29. Conuentus, & 531. Religiosos, & insuper sexaginta colonias, quas quadringenti Dominicani incolebant, qui erudiendis ad fidem Indis operam nauabant (ex hac autem Prouincia alias nosse licebit) Porrò ex hac noua ad Ecclesiam accessione ex FF. Prędicatorum Ordine duodecim Episcopi, & sex Archiepiscopi nouis Ecclesiis à Sede Apostolica sunt prefecti. Lege prędictos Authores, & discurre cum illis per quadraginta annorum spatia, & reperies ex vna FF. Prędicatorum familia centum millia Martyrum.

Si ad prędictos Authores accedat Sabellicus, hęc quoque apud ipsum reperies lib 6. Ænead. 9. *Nec facile est*, inquit, *referre quot numero Viri sanctitate & doctrinâ conspicui in ea familia, scil. Prędicatorum, extiterint: qui partim sunt Diuorum numero ascripti, partim Beatorum appellationem sortiti, &c.*

Sed quorsùm, amabò, hęc tàm prolixa exercitatio? Primò ad gloriam illius, cuius singulare dominium ac potestatem hìc suscipimus propugnandam, quę in nulla re alia tàm euidenter, quàm in agone Martyrum elucet. Etenim, teste D. Augustino, *Vt mala fortiter perferamus, ab illo est, non nostrâ patientiâ.* Secundò, quia nihil efficacius ad obstruendum os prędictis ac similibus calumniatoribus, quorum morsus & dicteria ita dissimulare volui, vt hęc legisse non videar, qui doctrinam Diui Thomę, quam tot Heroes Christi Athletę professi sunt, labefactare; eiusque Discipulos lacessere moliti sunt: quorum injurię euanescunt, tùm ex dictis, tùm ex honoribus quibus pro meritis hactenùs in Ecclesia decorati sunt Dominicani, de quorum meritis in synopsi compendiosiùs: immò & prę encomijs, quibus illos tùm Reges Christianissimi, S. Ludouicus, & Franciscus I. in Comitiis nostris generalibus Lugduni 1534. habitis; tùm Christi Vicarij extulerunt: quę profectò talia sunt, vt ea referre vix modestia sinat. Vide illa, si lubet, apud Vinc. Baronium lib. 5. Apol. sect. 4. Mihique iterim dicere liceat cum D. Hieronimo in epist. ad D. Aug. *Non sum aggressor, sed aggressos innoxios tueor: non offendo, sed defendo: non prouoco, sed resisto: non sum inuasor, sed defensor.*

CAPVT VNDECIMVM.

Summum in S. Scriptura præsidium reperit prædicta Prędeterminatio Thomistica.

I. SI Philosophiâ duce, sydera quid lucis mutuentur à Sole, quamuis proprio non careant lumine: hoc totum quod hactenùs ex humana ratione accepit nostra Cassyopeię stella minus esset, nisi maius aliquod affulgeret luminis incrementum ex sacra Scriptura acceptum, quæ humanæ caligini comparata, velut Luminare Maius sine vlla habetur controuersia. Hæc est candelabrum insigne, ac lucens in hoc caliginoso loco, cui attendentes benè facimus, donec dies illucescat; hæc est, Bernardo teste, *Speculum veritatis quod*

nemini

nemini blanditur, neminem palpat, in quo talem se quisque reperiet, qualis fuerit, Seu vt ait D. August. lib. 22. contra Faustum cap.65. *Est fidelis speculi nitor, nullius accipiens adulandam personam, sed laudanda & vituperanda hominum facta illis ipsa indicans.* Cuius non solùm verba loquuntur & syllabæ, sed nec muti sunt apices, qui non præteribunt à lege. Huius hìc nominatim opem implorat tota Thomistarum prosapia, vt eius splendore offusas quorumdam Modernorum latebras, hac in parte aperiat; rata, hìc luce tàm splendidâ, non posse non produci calorem, qui heterogeneas Doctrinæ Thomisticæ opiniones disgreget, seu verum sanæ Doctrinæ triticum à vano nouæ cuiusdam complacentiæ lolio separet.

Primum igitur quod in hoc capite præstandum videtur; est, ostendere ipsam Thomisticam prædeterminationem euidentissimè ex sacra Scriptura desumendam, non verò illum Dei concursum quem Prædeterminationis loco quidam intrudere moliuntur.

Secundum quod penitùs necessarium iudicatur; est, absolutam indicare necessitatem distinctionis sensus compositi & diuisi, pro concilianda cum Conciliis Scripturâ, non à Thomistis excogitatam (vt volunt) sed longè ante ab excellentissimis Scholę Magistris traditam; à qua possunt Thomistæ, & quidem facillimè, (si exosa videatur aduersariis) abstinere; quibus positis, nihil dicendum supererit, nisi vt tertiò manifestus fiat verus præfatæ distinctionis sensus: ex quo non obscurè patebit ab ipsis exprobratoribus imponi Thomistis, quibus nunquam venit in mentem id quod ipsis falsò affingunt: in quos ideò non irruunt illorum argumenta, vt suo loco patebit; sed in monstra quæ ab ipsis sunt voluntariè conficta. Quòd si omni iure, accusationis crimen penes sit accusatores donec probetur: viderint ipsi qui peruersam distinctionis sensus compositi & diuisi interpretationem (quam non nisi in hæreticorum libris reperient) Thomistis falsò imponunt, quomodo sese ab horrendo calumniæ purgent vitio.

II. Quantùm igitur ad primum spectat, ne actum agamus, hic solùm opus est in memoriam reuocare quæ præcedenti libro diximus cap. ij. vbi fusissimè omnia, aut saltem præcipua, & quæ maiorem præ se ferebant speciem aduersus sententiam quam hìc propugnamus, Scripturæ testimonia retulimus, quæ syncerè exposita, non quidem cuiusque marte proprio; sed ab ipsis Sanctis Ecclesiæ Patribus Augustino & Angelico Doctore, ipsam Prædeterminationem Thomisticam sic euidenter probant, vt nullo vrgentiori opus esset argumento.

Vt tamen res meridianâ luce euidentior appareat, sciendum solùm est, quòd superiùs demonstratâ ad satietatem vsque concursus simultanei & motionis moralis insufficientiâ, nihil superest, nisi vt ostendamus concursum quo Deus cum causis secundis etiam liberis in sacra Scriptura expressum, non esse indifferentem & indeterminatũ, sed efficacem, habentem ex infinita Dei virtute vt faciat creatura & quidem certissimè quod ab ea fieri voluerit Deus; & tamen liberrimè, cùm nunquam sit ita efficaciter prædeterminata ad agendum, quin possit non agere: agamus igitur. Ex sacra Scriptura docemur decretum & voluntatem Diuinam, quæ est prima causa rerum, esse infallibilem, Deum immutare cor, illud conuertere, & quidquid motus quantumcunque interni voluntas faciat, ab eo esse: & sic quidem, vt ei resisti non possit. Sed hìc te iterum atque iterum velim admonitum erudite lector, non sic loqui Thomistas, sed Spiritum Sanctum, cuius loquendi modum non venerari intolerabile esset arrogantiæ crimen: igitur secundum Scripturam cùm Deus vult efficaciter aliquid fieri, illud fit, & eius decreta intrinsecè sunt effectiua seu efficacia aut factiua etiam liberi consensus, non verò tantùm suppositiua. Consequentia probatur: omnis immutatio & operatio in voluntate quæ fit solùm per oblationem indifferentem & indeterminatam concursus alicuius, & propositionem obiecti, aut alterius cuiusuis modi motionis moralis, quæ expectet consensum nostrum, vt iuxta eius determinationem ei cooperetur, est talis cui resisti possit etiam in sensu composito: nec verè aut propriè causat & facit consensum nostrum, sed solùm præscit quid nos simus acturi, &c. Atqui voluntas & decretum Dei efficaciter agens ex modo loquendi Scripturæ, tale est cui resisti non possit in sensu composito: ergo voluntas Dei ratione sui debet habere antecedentem hanc efficaciam & infallibilem causalitatem. Maior est certa quia omne obiectum voluntati propositum præter Deum clarè visum insufficiens est ad voluntatem efficaciter determinandam: sed ei potest voluntas resistere etiam eo stante & in sensu composito; quia potest aliorsùm diuerti, non enim habet bonitatem adæquantem totam voluntatis capacitatem: & similiter Deus offerens concursum ad vtrumque, & ad neutrum determinans, sed à voluntate nostra determinationem expectans, non facit voluntatem facere; sed supponit voluntatem iam facere & acceptare; nec est talis cui resisti non possit in sensu composito, & in quantum voluntas est omnipotentis, quæ cùm nihil determinet, nihil est ex parte Dei cui resistentia fiat; quia ne ei aliqua fiat, nihil præuiè Deus operatur, sed operationi creatæ obsecundat, eam sequitur, aut ad summum concomitatur, vt volunt. Mi. probatur, simulque primum antecedens: nam quòd voluntati Diuinæ efficaci, vt voluntas est, non resistatur, apertè dicitur Esther 13. (Non est qui possit resistere voluntati tuæ, si decreueris saluare Israël) & iterum ibidem, *Dominus omnium tu es, nec est qui resistat Maiestati tua*, Rom. 9. *Voluntati eius quis resistet?* Iob. 41. *Quis enim potest resistere vultui meo?* Genes. vlt. *Num Dei possumus resistere voluntati?* Quasi diceret, Minimè possumus Deo resistere: Item super illud, *Qui vult omnes saluos fieri*, ait Glossa: *Rogandus est vt velit: quòd si vult, necesse est fieri*, Isa. 14. *Dominus exercituum decreuit, & quis poterit infirmare: manus eius extenta, & quis auertet illam.* Item cap. 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Et cap. 47. *Non resistet mihi homo*, Item Isai. cap. 14. versu. 24. *Iurauit Dominus exercituum dicens, si non, vt putaui, ita erit, & quomodo mente tractaui, sic eueniet*, Sap. 16. ver. 16. *Manum tuam effugere impossibile est*, Num 24. de Balaam dicitur quòd, *Irruente in se Spiritu Dei assumptâ parabolâ*, Benedixit iis, quibus volebat Balac maledici, & inde irato Rege, respondit Balaam ad Balac, *Nonne nuntiis tuis quos misisti ad me dixi, si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri, non potero præterire sermonem Domini, vt vel boni quid, vel mali proferam ex corde meo: sed quidquid Dominus dixerit, hoc loquar.* Item. cap. 23. *Num aliud possum loqui nisi quod iusserit Deus*, & cap. 22. *Si dederit mihi Balac, &c. non potero immutare verbum Domini Dei mei, vt vel plùs vel minùs loquar.* Psal. 74. *Vt terribilis es, & quis resistet tibi?*

III. His consonat D. Augustinus libro de cor. & gratia cap. 14. *Deo volenti, inquit, saluum facere, nullum humanum resistit arbitrium: sic enim velle & nolle in*

volentis & nolentis est potestate; *vt Diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Idem confirmat Doctor Angelicus passim, nominatim verò in hæc verba Genesis cap. 32. Tetigit neruum fœmoris; vt (inquit Doctor Angelicus) efficaciam virtutis per quam facillimè potest præualere, sensibiliter experiretur, etiam tunc cum Deo præualere videretur.]

Quòd autem hæc suprema Dei potestas, cui non resistitur, faciat & operetur, ipsum, etiam prout à nobis, cordis humani motum, deducitur etiam ex sacra Scriptura primo Reg. 10. *Immutauit ei Deus cor aliud.* Asther 14 *Transfer cor illius in odium hostis nostri.* Prouerb. 21. *Cor Regis in manu Dei, quocumque voluerit inclinabit illud.* Isa. 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine* Ephes. 2. *Ipsius enim factura sumus, creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus.* Si creamur in operibus bonis; Ergo illa bona opera sunt effectiuè à Deo, & quidem creatiuè, nullo præsupposito: sed bonum quoddam est, bonus consensus, quia meritorius: causatur igitur à Deo, non præsupponitur. Ex prædictis vides absolutam & per se efficacem Dei potestatem, ipsum cor immutantem humanum & aperientem, vt dicitur Act. 16. *Cuius Dominus aperuit cor.* Quo non obstante, & ipsa anima dicitur cor suum aperire. Cant. 5. Pessulum ostij mei aperui dilecto meo.] Facit ergo Deus, vt Causa Prima, hoc ipsum quod voluntas creata operatur: & quamuis dicatur quòd sit proprium hominis, animam præparare, per hoc non impeditur, quin voluntas à Deo priùs naturâ præparetur. Ex Scriptura igitur nihil à voluntate creata oritur, quantumuis intimum, quin ab ipso priùs naturæ ordine nascatur tanquàm à prima radice, & consequenter nihil Diuinæ causalitati præsupponitur, sed vt primum agens semper præuenit, faciendo vt faciamus, iuxta illud Ezech. 36. *Faciam vt in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & faciatis ea.*

At, quomodo facit Deus vt faciamus? an offerendo concursum indifferentem & indeterminatum, expectando donec voluntas consentiat, aut sese determinet, vt volunt Prædeterminationis Thomisticæ aduersarij? minimè sanè, vt patet ex dictis. Superest igitur vt faciat eo modo quo cum Augustino sentiunt Thomistæ, efficaciam scil. præbendo, illamque in voluntate causando. Ita Sanctis. Præsul libro de gratia & lib arbit. cap. 16. *Ille facit vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Si præbet, ergo non expectat à voluntate, aut in ea supponit, sed causat: Nam si voluntas creata efficax est quando operatur & sese determinat, vtique hanc efficaciam à Deo habere debet, & non ex se, quoniam hæc efficacia maximum est donum Dei, & quidem in executione operis præcipuum: nec vllus hoc negabit, nisi Pelagiano errore infectus, hoc autem quod est à Deo, ab illo causatur, & priùs est ab eo, quàm ab agente creato: ipsa igitur voluntatis creatæ determinatio priùs quoque erit ab ipso Deo tanquàm à Prima Causa, quæ, vt verbis vtar Apostoli, *Omnia portat*, seu, vt loquitur D. Thomas, *Ipsam animam sustinet in esse*: Et hunc agendi modum independentem & absolutum, iamdudum ante insinuauerat D. Augustinus lib. 1. contra 2. Epistolas Pelagianorum cap 20. *Cor Regis Deus efficacissimâ & occultissimâ potestate conuertit, & transtulit ab indignatione in lenitatem.* Efficax ergo est Dei potestas, non denominatione extrinsecâ sumptâ à conuersione, à consensu & determinatione voluntatis nostræ, sed causando illam, quia efficaci potestate conuertit cor, quotiescumque vult: si autem conuertit, ergo non supponit conuersionem, sed efficit illam: quomodo efficit? *Efficacissimâ potestate:* Ex se ergo est efficax infinita hæc potestas, non ex denominatione extrinsecâ nostri consensus, vt aliqui somniarunt.

Prætereà: si Deus consensum nostrum & determinationem expectare teneatur, ex se autem concursum indifferentem & indeterminatum offert, expectando donec voluntas sese determinet & consentiat, ergo etiam expectat ablationem dissensus: idem enim est expectare consensum, ac expectare negationem sui oppositi, qui est dissensus: sed per dissensum cor est durum, seu durum est cor dissentiens & resistens conuersioni & consensui, ergo Deus expectat ablationem duritiæ à corde; non eam effectiuè auffert, cùm, vt volunt oppositæ sententiæ Authores, offerat tantùm Deus concursum indifferentem ad auferendam duritiam vel non auferendam, ad dissensum vel ad consensum.

IV. Nec sufficit obiectum proponere, & illo mediante voluntatem inclinare, quia obiectum per se non sufficit ad auferendam duritiam & consensum efficiendum, vt apparuit in Iudæis Lazari resurrectionem videntibus. Ratio est quia obiectum non agit nisi alliciendo, rogando, terrendo, &c. Et hoc totum non est efficax, potestque voluntas illud rejicere vel absolutè, vel ad aliud diuertendo (si illud duntaxat excipiamus, quod in se omnem continet boni rationem) Sola ergo voluntas creata tollit duritiam suam, tollendo dissensum suum. At in oppositum Scriptura sacra reclamat. Ezech. ij. *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum, &c.* Quod explicans D. Augustinus libro de prædestinatione Sanctorum cap. 8. [Hæc, inquit, gratia quæ occultè cordibus humanis Diuinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur, ideò quippè tribuitur, vt cordis duritia primitùs auferatur.] Si autem ideò tribuitur, vt cordis duritia auferatur, ergo illa gratia non supponit cordis duritiam iam ablatam, sed ipsa auffert illam, quòd si effectiuè auffert, ergo ex se efficax est, non ex obiecti propositione, quod ex se efficax non esse, vel ex eo dignoscitur, quod sæpius à voluntate respuatur. Vt ergo illud non respuatur, aliud quidpiam exigitur præter obiectum, eiusque influentiam tanquam absolutè necessarium quod efficaciter illam auferat duritiam: id autem vel est propria voluntatis creatæ efficientia, vel ipsius Dei influxus in voluntate receptus ipsam immutans: Primum dici non potest, quia vt voluntas creata efficiat, (cuius, vt iam toties ex Diuo Thoma diximus, nullus est motus quem non præueniat actio Diuina) necessariùs est influxus Dei præuius vt etiam dictum est: ergo secundum est admittendum, & hoc tantùm volunt Thomistæ, qui cum D. Augustino sentiunt eiusmodi Dei concursum esse valde occultum, vt illorum elidant subterfugium, qui ad motionem moralem hac in parte confugiunt.

Ex quibus sic formatur argumentum. Voluntas cui resisti non potest: (intellige semper in sensu composito, iuxta quem intelligendus est præfatus loquendi modus sacræ Scripturæ, hic v. g. locus, *Non est qui possit resistere voluntati tuæ.* Quis enim dicat ipsam in nullo sensu explicari posse?) est ex se & intrinecè efficax, etiam antecedenter ad præuisionem nostri liberi consensus: sed ex Scriptura, talis est voluntas Diuina: ergo, &c. Min. probatur sic ex opposito. Si voluntas Diuina talis est quòd ei resisti possit secundum se, solùm autem non potest resisti ex præuisione & suppositione consensus: ergo considerata vo-

luntate Diuinâ secundum se & ante præscientiam nostri consensus, possibilis est resistentia aliqua contra voluntatem Diuinam, non orta nec deriuata à Deo, sed à sola creatura sine vllo influxu Dei. Et sic talis actio creaturę Deo resistentis, quę est entitas quædam realis non erit à Deo, ideòque dici poterit quòd aliquid reale creatum possibile sit, quod tamen non sit à Deo creatum, quod impium est & blasphemum.

Quod si antecedenter ad omnem præuisionem mei consensus possibilis non sit resistentia aliqua in sensu composito voluntatis meæ cum Diuina comparatæ, seu contra Diuinam voluntatem, ergo antecedenter ad omnem præuisionem & suppositionem mei consensus, Diuina voluntas est infallibilis in sensu composito: ergo & efficax, quia si efficax non est, sed tantùm indifferens etiam in hoc sensu, ei resisti potest: & sic frustrà recurritur ad præuisionem mei consensus vt infallibilis & efficax sit Dei voluntas ex tali præuisione, si ex natura sua & antecedenter ad talem suppositionem & præuisionem est impossibilis essentialiter in sensu composito, & illâ voluntate stante, omnis resistentia contra Diuinam voluntatem.

Quòd si dicatur ideò voluntati Diuinæ non resisti quia tunc Deus solùm operatur quando præuidet nihil sibi fore resistendum, ergo à pari dicendum est quòd voluntati humanæ nihil resistit, quia tunc solùm operatur quando præscit nihil sibi resistendum. Non autem sic loquitur Scriptura, singularem in Deo ex infinita eius potentia prærogatiuam semper venerata: ex cuius opposito præter prædicta euidentissima Scripturæ testimonia, euertenda essent omnium S. S. Patrum oracula de quibus hactenùs, præsertim D. Augustini asserentis Deum habere ad immutandam voluntatem humanam quando, vbi, & quomodo voluerit omnipotentissimam facilitatem: & magis habere in sua potestate hominum voluntates, quàm ipsi suas: Deum facere ex nolente volentem, ex repugnante & contradicente amantem & consentientem: rebelles ad se compellere voluntates, &c.

Confirmatur ex illa frequenti Scripturę sacræ comparatione, quâ nos, nostrasque voluntates cum omnipotentia Dei collata affirmat Deus, esse velut lutum in manu figuli, qui massam terræ sine vlla resistentia pro libito disponit, eique formam quamlibet affingit.

Non quòd tollat à nobis Deus optimus virtutem aut facultatem liberè operandi, sed quia dat illam, sicque suo motu & præuia operatione disponit, vt in ea, per eam, & cum ea faciat quidquid fieri voluerit, Ierem. 18. *Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea dicit Dominus.* Hâc prædictâ luti comparatione sępiùs vsus est Doctor Angelicus, vt dependentiam voluntatis à Deo in efficacia & cooperatione propria exprimeret, in qua etsi operetur creatura, & quidem liberè si fuerit libera, semper tamen incipit moueri à Deo, sicut & instrumentum ab artifice, quod non mouet nisi motum. Ita Sanctus Doctor 3. contra gentes cap. 147 [Sub Deo, inquit, qui est primus intellectus & volens, ordinantur omnes intellectus & voluntates, sicut instrumenta sub principali agente: oportet ergo quòd eorum operationes efficaciam non habeant respectu vltimæ perfectionis quę est adeptio beatitudinis, nisi per virtutem Diuinam: indiget ergo auxilio Diuino, &c.] Et capite 148. [Auxilium Diuinum sic intelligitur homini adhiberi ad benè agendum, quòd in nobis nostra opera operatur, sicut causa prima operatur operationes causarum secundarum: & agens principale operatur actionem instrumenti: vnde dicitur Isa. 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.] Causa autem prima causat operationes causæ secundę secundum modum eius, ergo & Deus causat in nobis nostra opera secundù modum nostrum, qui est vt liberè ac voluntariè & non coactè aut necessariò agamus.

V. His præmissis resumantur si lubet omnia prædicta Scripturę testimonia quibus efficax Dei omnipotentia stabilitur: v. g. Non est qui possit resistere voluntati tuæ, &c. Ita vt in agendo eius nunquam frustretur intentio in iis in quibus aliquid fieri absolutè voluerit.

Et è regione ponantur quæ iuxta prædeterminationis Thomisticæ principia docent Thomistæ de infallibili modo agendi in iis quæ decreuerit Deus fieri, saluâ semper libertatis indifferentiâ, vt hactenùs dictum est: sanè percipies non tàm simile, quàm id ipsum, quòd Sanctis viris Spiritu Sancto afflatis fuit diuinitùs inspiratum, & in sacra Scriptura expressum, ab ipsis Thomistis in prędicta prædeterminatione esse propugnatum.

Nam, an ideò Præmotionem modò rejicient tamquam libertati contrariam, quòd per illam certissimè fieri asserant Thomistæ id ad quod efficiendum creatura fuerit à Deo præmota? at quis vnquam dixit certitudinem libertati esse oppositam? Num tam miserè quàm liberè illi peccabant, quibus tamen erat prænuntiatum, *Certissimè auertent corda vestra?*

Sed hoc fusiùs non prosequor, ne tædio sim lectori multoties eadem repetendo.

Quantùm autem ad secundum: Qui à distinctionibus abstinendum in scientiis suaderet, vtilissimum, ne dicam necessarium sciendi modum à Scholis eliminaret: quare cùm nihil efficaciùs demostretur, quàm id quod ad formam syllogisticam reducitur, necesse est quosdam excogitare terminos quibus ex communi Philosophorum consensu vterentur: tùm in argumentorum responsionibus, tùm in conciliandis quibusdam Sacræ Scripturę testimoniis cum communibus Sanctorum Patrum sanctionibus, sine qua respondendi methodo vix vlla est perspicuitas in forma syllogistica arguentibus, aut vllus superest modus, quo multa etiam paris authoritatis oracula apparenter inter se opposita vtcumque conuenire inter se ostendantur: quis enim nisi blasphemus Deo optimo qui semetipsum negare non potest contradictionis adscribat vitium, quod tamen frequenter apparet in sacris codicibus, nisi promptum distinctionis adesset remedium? Et ne alienam in messem falcem mittamus, quis falcitatis arguat omnia supradictaScripturę testimonia, quæ Spiritu veritatis afflati Sancti Dei homines protulerunt, quibus omnibus euidenter demonstratur nullum agens creatum posse Diuinæ voluntati resistere. Et quis aliundè pro Catholico habeatur, si Sacro Concilio Tridentino in Spiritu Sancto congregato aduersetur, asserenti nullum esse auxilium gratiæ licet efficacissimum, cui liberum hominis arbitrium resistere non possit? Diuisus est Christus? aut scissa Christi Tunica? aut non sibimetipsi consentiens Diuinus ille Spiritus, qui facit concordiam in sublimibus? Num & ipse idem est, qui in Conciliis & in Agiographis locutus est? Idem sanè, ideòque verissima Concilia, sicut & Sacra Scriptura Diuinitùs inspirata, vnusque vtriusque Spiritus, ac eadem vera intelligentia, quæ non à propria cuiusque mente, Hæreticorum more est depromenda, sed à Sanctis Patribus in Conciliis legitimè congregatis, siue à Summo Christi Vicario, qui verum nobis Scripturæ sensum tamquam Filiis hæreditario iure reliquerunt. Ex quibus colligitur præfataScripturæ testimonia eodem modo intelligenda quo illa sacrum intellexit Tridentinum, ita vt nullus possit Diuinæ voluntati resistere in sensu composito: quo in sensu Scriptura sacra loquitur, possit verò & semper in sensu diuiso, secundum quem intelligi debet prædictum Concilium, quod consequenter non est sa-

cræ Scripturæ contrarium, sed tantummodo in sensu diuiso accipiendum.

Superest igitur vt inquiramus, quis sit huius distinctionis Author, quæue syncera illius intelligentia?

Huius distinctionis (sensus scil. compositi & diuisi) authores, existimarunt nonnulli solos esse Thomistas, idque (vt vulgò fieri solet) deteriorem in partem accipientes, factum ab illis crediderunt, vt rem totius Theologię difficillimam, difficiliori distinctione obscuriorem redderent; verùm facile est ab hac suspicione, D. Thomæ Discipulos liberare.

Primus igitur præfatæ distinctionis Author est sapientissimus Sententiarum Magister, (quem ante D. Thomam & Thomistas floruisse constat) qui in primo dist. 38. circa finem sequens argumentum, *Illud quod Deus pręscit, non potest aliter euenire: ergo aut necessariò euenit, aut si potest non euenire, potest quoque falli scientia Diuina*, sic soluit, dicens, *Quod ista possunt intelligi coniunctim vel diuisim: & coniunctim, necesse est ita esse sicut Deus præsciuit, non diuisim*, Ex quo limpidissimo fonte ad Clarissimos vtriusque scholæ Magistros promanauit hæc distinctio, quam & apud ipsum D. Thomam dist. supra citata q. 1. a. 5. ad 3. reperies, & magis expressè q. 6. de verit. a. 4. ad 8. *Dicitur communiter, inquit, quod hæc propositio: Deus potest non prædestinatum prædestinare: in sensu composito est falsa: in diuiso, vera.* Item & apud Scotum dist. 39 parag. quantum ad quartum. Quinimò & apud Aristot ipsum 1. de cœlo text. 119. *Sedendi, inquit, & standi simul quis habet potestatem: quia quando habet illam & alteram: sed non sic vt simul sedeat & stet, sed alio tempore.*

Hanc distinctionem sub aliis terminis insinuauit Pererius, consimile soluens argumentum, *Potest, & potentiâ ab actu opposito remotâ, concedo. Potentiâ coniunctâ actui opposito, nego.* Qui enim habet oculos benè dispositos, verè dicitur posse videre, etsi nondùm videat, & hęc potentia est ab actu separata; & quando ipse videt actu, non ideò hanc amittit potentiam, sed illam habet actui coniunctam.

Necessaria est igitur distinctio aliqua quocunque illa nomine insigniatur: Quis enim v. g. huius testimonij legitimam assequatur intelligentiam: *Ioan. 3 Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius manet in eo, sed nec peccare potest, quoniam ex Deo natus est*, nisi aliquâ distinctione vtatur; siue igitur dicant iustificatum, *peccare non posse*, vt sic, formaliter & reduplicatiuè, sicuti communiter Theologi: siue cum Pererio infrà laudando existiment, *Non posse peccare potentiâ proximâ & actui opposito coniunctâ*: Seu denique vt post alios loquuntur Thomistæ, intelligant, *non posse peccare*, in sensu composito, posse verò in diuiso, sicut & potentiâ remota ab actu opposito, vt loquar cum Pererio, certè parùm interest, dummodò sine vlla fraude & dolo sciant prædictam hanc distinctionem fuisse à Thomistis vsurpatam, à qua facillimum esset abstinere, præterquam in argumentis ex sacra Scriptura depromptis, cuius loquendi modus pari omnium venerationi est excipiendus, prædictaque distinctione aut æquiualente explicandus.

VI. Verùm, semel saltem discant quàm sit facile Thomistis ab hac distinctione prorsùs abstinere, si nihil aliud intendant quàm prædeterminationem physicam propugnare. Patiantur si placet, in memoriam reuocari nunquam à Deo sic efficaciter attingi substantiam actus liberi, quin attingatur & ipsius libertatis modus, cui per ipsam efficaciam prouidetur, & ex hoc solo, non obscurè patebit, nunquam ad hoc inconueniens reduci posse Thomistas, vt fateantur creaturam à Deo etiam efficacissimè prædeterminatam, non posse ipsi Deo resistere, cùm proprius prædeterminationis effectus sit rem per se intentam producere cum resistendi facultate.

Iam ergo in semita tàm trita non impingant oppositæ sententiæ Authores, sed legitimam solummodò præfatæ distinctionis intelligentiam inquirant, iamque monstra non fingant, vt illa contriuisse videantur, quæ nusquam apud Thomistas visa sunt, nisi velut ipsis falsò imposita: quod vt neminem lateat, relictis D. Thomæ interpretibus innumeris, sufficiat id quod statim à Ioanne à Sancto Thomâ & Patribus Carmelitis subijciam, quo, meridianâ luce euidentiùs appareat sensus compositus & diuisus, toto differre cœlo ab illa explicatione, quam voluntariè sibi finxêre nonnulli vt illam Thomistis imponerent.

Cæterum, inquit Ioan. à Sancto Thoma in 1. p. D. Tho. disp. de voluntate Dei to. 2. q. 19. a 6. pag. 203. Authores oppositi eatenùs illam admittunt, prædictam intellige distinctionem, quatenùs sensus compositus formari potest ex suppositione illius actus: supposito enim quod aliquis velit, non stat non velle: non autem admittunt formari posse ex aliqua suppositione antecedente ad actum, quia si ex tali suppositione necessariò sequitur actus, putant destrui libertatem, & existimant sensum compositum & diuisum esse explicandum eo modo quo in argumento dicitur, nempe quòd ablato auxilio potest oppositum facere, & hunc dicunt esse sensum diuisum: & quòd posito auxilio non stat oppositū facere, & hunc dicūt sensum compositum. In vtroque falluntur, nam sensus compositus & diuisus etiam fit ex suppositione aliqua antecedenti, & non solùm ex suppositione ipsius actus: nam scientia Dei est aliquid antecedens actum, & tamen ex suppositione ipsius fit sensus compositus & diuisus: nam ex suppositione quòd Deus scit me ambulaturum, necesse est quòd ambulem in sensu composito, & est contingens & liberum in sensu diuiso, vt docet Magister sent. & omnes eius expositores: & quoad præsentem materiam, inquit, de operatione nostra libera, id clarè docet D. Thomas.

Dicendum, inquit, 1. 2. q 10 a. 4. ad 3. quod si Deus mouet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni quod voluntas ad illud non moueatur: non tamen est impossibile simpliciter: vnde non sequitur quòd voluntas ex necessitate moueatur. Et 2. 2. q. 24. a. 2. docet quòd considerando motionem charitatis ex parte Spiritus Sancti mouentis animam infallibiliter operatur, *Et sic impossibile est hæc duo simul esse vera, quòd Spiritus Sanctus velit aliquem mouere ad actum charitatis, & quod ipse charitatem amittat peccando*, Ergo in sensu composito admittit Diuus Thomas impossibilitatem in coniungendo illa duo: licet Spiritus Sanctus mouens sit principium antecedens actum atque certum sit quòd actus ille in se sit liber, etiam postquam habet in se motionem Spiritus Sancti, quia ad hoc ipse mouet vt fiat actus liber. Vnde sumitur explicatio legitima sensus compositi & diuisi ex ipsa doctrina Sancti Thomæ, non vt putant aduersarij, quòd sensus compositus sit posito auxilio, & quòd diuisus sit, illo sublato, contra quem sensum tot adducunt absurda: sed Diuus Thomas sumit sensum diuisum etiam stante auxilio & voluntate Dei, ita quòd adhuc illo posito sequatur in sensu diuiso actū esse liberum, quia ex hoc concordat D. Thomas efficaciam voluntatis Diuinæ cum nostra libertate & contingentia, quia Deus voluntate sua infallibili non solùm vult quòd ego faciam, sed etiam quòd faciam liberè, & super hoc totum quod est facere liberè, cadit infallibile decretum Dei, vt patet 1. p. q. 19. a. 8. & in 3. contra gentes cap. 94. & quæst. 23. de verit. a. 5. & in primum sent. dist. 47.

quæ loca sæpè citata sunt, & ideò nunc omittuntur: ergo sentit D. Thomas quod etiam stante voluntatis infallibilis decreto & consequenter eius influxu, sequitur libertas; sed libertas sequitur in sensu diuiso: ergo sensus diuisus non debet accipi semoto influxu seu voluntate Dei infallibili, sed eâ posita; nec sensus compositus in hoc solùm quòd ponatur auxilium, & eo stante: nam etiam eo posito sequitur libertas, quia causat illam.

VII. Quare sensus compositus & diuisus sic explicandus est, quòd stante auxilio Dei & voluntate eius efficaci, habet duplicem considerationem; primò ex parte rei causatæ in nobis: secundò ex parte ipsius causantis & modi causandi eius. Ex parte rei causatæ præcisè, id quod in nobis causat illa voluntas efficax, est apperire cor, & duritiem eius auferre, hoc est determinare & inclinare ad tale obiectum, conseruando potentiam ad oppositum, in quo stat modus libertatis, seu tollere indeterminationem suspensiuam; quod est determinare & resoluere vt talem actum faciat, & conseruare indifferentiam potestatis & dominij quod habet ad vtrumque actum, ad facere & non facere: sicut enim Deus concurrendo cum causis secundis determinat illas ad agendum, & ad tali modo agendum, quia etiam ipse modus cadit sub causalitate & prouidentia Dei; ita causat modum libertatis & contigentiæ, quia hic modus cadit sub prouidentia Dei, & hoc totum pertinet ad rem causatam, determinatio actus & modus eius. Ex parte Dei causantis & modi quo causat, est summa infallibilitas, quia causat modo infallibili ex parte sui etiam quando causat mutationem & mutabilitatem ipsam in creatura. Vnde opponi solet modus causandi Creatoris modo causato in creatura, quia ille causat vt actus purus, ista causatur vt ens potentiale; ille immutabili modo, ista vt res mutabilis: ille modo infinito, ista vt res limitata & finita: vnde motus immutabilitatis & consequenter infallibilitatis in illo non tollit nec diminuit modum mutabilitatis in ista.

Hinc ergo facilè intelligitur sensus compositus & diuisus, si consideremus voluntatem efficacem Dei eiusque influxum vt præcise causat effectum determinationis cum modo libertatis & contingentiæ causato in nobis, facimus sensum diuisum etiam stante ipso auxilio, quia consideramus ipsum effectũ Dei in nobis præcisè & diuisè à modo quo Deus causat illum. Si verò consideremus, non solùm effectum causatum, sed etiam modum ex parte Dei se tenentem quo iste effectus procedit à Deo qui est modus infallibilitatis, & ipsum coniungimus cum re causata, sic facimus sensum compositum: & sub hoc respectu sequitur infallibilitas & non resistentia ex parte creaturæ ad Deum, quia ille modo immutabili operatur quidquid operatur; quis autem potest resistere modo immutabili vt stat sub tali respectu? Cæterùm, quia vnumquodque iudicatur simpliciter & absolutè iuxta ea quę sibi propria sunt, & ad suam lineam pertinent, non iuxta ea quæ supra se sunt & ex parte Dei se tenent: quia modus Dei licet ex se sit immutabilis non tollit, sed seruat modum proprium creaturarum: ideò cum effectus Dei sit causare actum seu determinationem ad actum simul cum libertate & contingentia sua & consequenter cum potentia ad rejiciendum, ad resistendum, ad dissentiendum; ideò simpliciter iudicandum est iuxta sensum diuisum: & ideò optimè dicit Concilium Tridentinum quòd recipiens illustrationem Dei etiam efficacem, potest illam rejicere & dissentiri: quia hoc ipsum posse, causat influxus Dei, qui vtrumque intendit, sc. & quòd faciat homo hoc determinatum, & quòd libero modo faciat, seu cum potentia non faciendi. At verò considerando totum hoc vt subest modo immutabili & infallibili Dei, quo pacto sit sensus compositus; non stat poni influxum illum vt descendit ab isto modo infallibili Dei & frustrari ab effectu suo, *Quia voluntati eius quis resistit*? Cui authoritati Scripturæ non contradicit Concilium.

Tota hæc explicatio potest reperiri apud D. Thomam 3. contra Gentes cap. 94. circa finem, & c. 98. Nam primo loco sic ait, *Hoc quod ponitur esse à Deo vt sit futurum, si sit de genere contingentium, poterit non esse secundum se consideratum; sic enim prouisum est vt sit contingens, potens non esse, non tamen est possibile quòd ordo prouidentiæ deficiat quin contingenter eueniat, & sic tertia ratio soluitur. Vnde potest poni quòd iste non sit regnaturus si secundum se consideretur, non autem si consideretur vt prouisum.* Posteriori verò loco ita loquitur, *Ordinem vniuersalem secundum quem omnia ex Diuinâ Prouidentiâ ordinantur, possumus considerare dupliciter, scilicet quantùm ad res quæ subduntur ordini, & quantùm ad ordinis rationem quæ ex principio ordinis pendet: Ostensum est autem in secundo, quòd res ipsæ quæ à Deo sub ordine ponuntur, proueniunt ab ipso, non vt ab agente de necessitate naturæ, &c. sed ex simplici voluntate, &c. relinquitur ergo quòd præter ea quæ sub ordine Diuinæ Prouidentiæ cadunt, Deus aliqua facere potest, &c. Si autem consideremus prædictum ordinem quantum ad rationem à principio dependentem, sic præter ordinem illum Deus facere non potest.* Quod ibi probat ex vniuersalitate scientiæ & voluntatis Diuinæ immobilitate, & subdit quòd, *Hanc distinctionem quidam non considerantes in varios errores inciderunt.* Si ergo Deus non potest facere præter modum & ordinem à se procedentem, multò minùs poterit voluntas creata facere, & sic vt subest illi ordini & in sensu composito, quatenùs stat sub illo, infallibiliter operatur, nec potest illi resistere quamuis ex parte rei causatæ à Deo possit dissentiri, quia totum hoc Deus vult, scilicet quòd iste faciat hoc determinatum, & quòd liberè faciat.

VIII. Explicatur magis. Voluntas prædeterminata v. g. ad amorem potest adhuc non amare, vel odio prosequi: quamuis hæc non possit illa duo coniungere scil. quòd sit actu prædeterminata ad amandum, & tamen non amet, & quòd simul odio prosequatur, seu quod simul sit amor & odium. Fundamentum est quia in libero arbitrio simul est potentia ad opposita, non ad ea simul ponenda: quod nullo modo requiritur ad libertatem. Etenim in eo est simul potentia ad consentiendum vel dissentiendum quæ sunt opposita contrariè; item ad consentiendum vel non consentiendum, quæ sunt opposita contradictoriè: non tamen in eo est potentia ad simul habendum vtrumque extremum, siue contrariè, siue contradictoriè sumatur. Ratio aperta est, quia potentia ad vnum actum non opponitur potentiæ ad actum contrariũ, cum eadem sit potentia actuum contrariorum. Duo autem actus oppositi sunt inter se incompossibiles in eodem subiecto simul. Quod explicat Capreolus dicens, esse in libero arbitrio simultatem potentiæ ad opposita, non autem potentiam simultatis, id est, potentiam ad opposita simul habenda. Ex quo fit quod dum quis amat, liberè amet, & consequenter retineat potentiam ad non amandum, & ideò toto illo tempore quo amat, potest continuò mereri, ad quod requiritur continuata libertas: quamuis ergo non possit coniungere vel componere (seu quod

idem est) simul ponere vtrumque oppositorum scilicet amorem & eius cessationem (per quod denotatur sensus compositus) attamen per amorem non tollitur à voluntate, illa potentia quam habebat ad odiendum vel cessandum ab amore, & ideò factâ collatione inter illam potentiam & cessationem ab amore, adhuc dum voluntas amat, habet vim ad coniungendam illam potentiam cum tali cessatione: Etenim ad possibilitatem huius coniunctionis non desideratur possibilitas ad coniungendum simul amorem & odium vel cessationem ab amore; sed satis est quòd etiam tunc habeat potentiam ad actum odij vel ad cessationem ab amore, quorum quodlibet, si esset, destrueret oppositum actum: per quod significatur sensus diuisus seu possibilitas in sensu diuiso, quæ sola sufficit ad libertatem. Et ideò libertas non definitur per hoc quòd sit potentia ad vtrumque, id est ad velle & nolle simul; sed ad vtrumque scilicet velle & nolle diuisiuè, id est, ad eligendum vnum ex his duobus quod magis libuerit.

Ex his inferre licet, quòd voluntatem prædeterminatam v. g. ad amorem, posse in sensu composito dissentire, denotat eamdem posse coniungere cum hâc prædeterminatione, dissensum: Ita vt simul sit verum; voluntas est premota efficaciter ad amandum, & tamen non amat; vel odio habet. Et rursùs voluntatem sic præmotam efficaciter ad amandum, posse in sensu diuiso dissentire, denotat quòd adhuc præmota, licet non possit coniungere carentiam amoris cum præmotione illa efficaci; attamen potest illam coniungere cum voluntate: At, ad libertatem licet requiratur hoc posterius, non tamen est necessarium illud prius, immò est impossibile. Ergo voluntatem prædicto modo ad amandum prædeterminatam, non posse non amare in sensu composito, non tollit libertatem, si possit aliunde (vt verè potest) non amare, in sensu diuiso: quod docent Prædeterminationis Thomisticæ Defensores.

Et in hoc sensu dicitur communiter quòd falsa sit ista propositio in sensu composito, *Iustus potest peccare mortaliter.* Quoniam in hac designatur quòd iustus possit coniungere cum sua iustitia seu cum gratia peccatum mortale) Ita vt in vno simul sint gratia & peccatum. Dicitur tamen vera in sensu diuiso, quia tantùm denotat quòd iustus, etiam si sit iustus, potest coniungere peccatum mortale cum libero arbitrio, quod statim gratiam amittet; peccatum efficiens diuisionem (vt loquitur Scriptura inter Deum & animam) & hic est sensus diuisus.

Hâc positâ præfatæ distinctionis sensus compositi & diuisi explicatione; quæro, quæ sit quibusdam modernis fides adhibenda, dum sine scrupulo publicè affirmant, vt ipsorum vtar verbis, *Non re ipsâ sed tantùm appellatione à Caluinistis Thomistas differre; vtpotè qui libertatis nomen retinent, rem licet auferant, cum iisdem.* Si penes sit accusatores calumnia antequam probetur, videant ipsi Thomistarum æmuli, quo pacto suę consulant conscientiæ, honori ac famæ, post impactum insontibus tam atrox ac nefarium calumniæ flagitium; quod hactenùs non probauerunt, nec vnquam probabunt.

CAPVT DVODECIMVM.

Probatur prędicta Prędeterminatio Thomistica ex Diuo Bonauentura.

I. SI Regum sapientissimo iudice, Prou. 18. v. 19. *Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma,* Hic velut in arce firmissima tutissimum reperiet præsidium Prædeterminatio Thomistica, dum Angelico Doctori sic accurret Diuus Bonauentura, vt fęliciùs aut efficaciùs nequeat quisquam alteri vlla in re succurrere. Quos enim fraternâ charitate olim Diuina sic adunauit Prouidentia, vt nedum communem Christianæ Religionis causam agerent, verùm & priuatas Diuorum Dominici & Francisci familias propugnarent: hos quoque ita hac in re coniunxit, vt vnico ore sicut & vno Spiritu locuti videantur. Hic igitur Boëtium, D. D. Ambrosium, Anselmum, Chrysostomum, Cyprianum, Fulgentium, Gregorium, Hylarium, Hyeronimum, aliosque ex SS. Patribus minimè inuocabimus: (quamuis fortasse ex eorum aliquo, occasione tantùm nonnulla irrepserint testimonia) tùm ne in immensum intumescat hoc opusculum, tùm ne actum agere videamur, cùm iam hos omnes citatos habeas à Syluio in libro ab ipso Duaci & Parisiis edito pro defensione similis motionis Primi Motoris.

Vt ergo breuitati studeamus, libenti animo omittimus quod ait Sanctissimus Doctor D. Bonauentura (non minùs scientia, quàm dignitate Cardinalitiâ toti Christiano orbi conspicuus) in lib. primum Sent. dist. 47. a. 1. q. 1. Vbi inquirens, vtrum voluntas beneplaciti Dei possit impediri? Toties terque modis longo discursu certitudinem Dei in agendo repetit ac prosequitur, vt solo Prædeterminationis Thomisticæ vocabulo ad hanc exprimendam indigere iudicetur: cùm enim fusissimè hac de re disseruisset, sibique obiecisset [Omnis causa quæ per aliam agentem expletur, potest per illam deficientem impediri, si illa possit deficere: hæc propositio per se nota est: sed Diuina voluntas est huiusmodi: nam Deus vult multa fieri per causas creatas, quæ non facit sine ipsis, sicut generare hominem, asinum, & similia: similiter de his quæ sunt ab opere nostro, & hæc possunt deficere: ergo Diuina voluntas potest impediri.

Ad hæc autem sic respondet ad secundum [Illud ergo quod objicitur, quòd potest impediri propter defectum causæ cooperantis, dicendum quod sicut Diuina voluntas, siue Diuinum velle, connotat effectum, ita connotat efficientiam causæ particularis. Cùm enim dicitur, Deus vult istum saluari, non est sensus quod velit in omnem euentum, sed quòd vult istum saluari, & vult istum velle. Vnde sicut Diuina voluntas connotat istum effectum euenire, & ideò necessariò sequitur effectus ad ipsum, ita connotat causam creatam concurrere: & ideò necessariò sequitur, quòd si Deus vult istum saluari, quòd iste etiam velit, & ita nunquam deficiat; sicut nec effectus, & ita nunquam impeditur.]

II. At, quid sibi volunt hæc verba? [Diuina voluntas sicut connotat effectum, ita & efficientiam causæ particularis, & quòd non solùm vult istum saluari, sed & vult istum velle] Nisi vt illis manifestè ostendat Sanctus Doctor voluntatem Diuinam non solùm esse causam effectuum causarum secundarum, sed & actionis earum, ipsiusque volitionis. Quod

cum fieri non possit per concursum simultaneum qui non influit in actionem, nec eius est causa, sed tantùm in effectum, vt fatentur omnes, euidentiùs apparet necessitas præuij influxus, cùm in genere causæ efficientis nullus supersit alius, vt iam centies diximus.

Secundò. Inquirens Sanctus Doctor: vtrum voluntas Dei sit immediata causa rerum: in primum Sententiarum, distinctione 45. q. 2. Respondet affirmatiuè: quod sic probat, *Ad huius intelligentiam est notandum, quòd cùm in creaturis sit reperire causam vniuersalem & particularem: causa vniuersalis vno modo plus influit in effectum, quàm particularis, alio modo minùs. Quantùm enim ad intimitatem, causa vniuersalis quia agens prior est, magis influit: sed quantùm ad actualitatem & quantùm ad ea quæ sunt propria rei, minùs influit. Et ratio huius est, quia causa vniuersalis creata non habet omnimodam actualitatem nec perfectam potentiam, & ideò non potest peruenire ad formam specialem nisi per accidens, vt per formam agentis particularis, quæ non est ab ipsa. Diuina autem voluntas est Causa Prima & vniuersalissima & actualissima, ideò potest in totum effectum & in totam rei substantiam, etiam sine adminiculo alterius causę: nec aliqua causa potest aliquid vel modicum sine ipsa: & ideò necesse est quod ipsa sit causa immediata in omni actione & re, & concedendę sunt rationes ad hoc*, Illæ verò sunt sex, omninò legendæ.

Cùm verò sibi obiecisset in oppositum, *Vnius est causa immediata: ergo si Deus est causa omnium immediata, nihil habet aliam causam quàm Deum: & si hoc, cessat omnis operatio & ita potentia cessat, cessat & bonitas: & cætera sunt otiosa.*

Sic respondet, *Ad obiecta in contrarium, intelligendum quòd cùm Deus sit omnium causa immediata, quorumdam tamen est tota causa, sicut eorum quæ creantur. Quorumdã autem est causa cum alia causa particulari, vt eorum quæ sunt à natura particulari: & hac quidem causa concurrit, non propter indigentiam Diuinæ voluntatis, sed propter summam liberalitatem, quæ non tantùm dedit rebus esse, sed & operationem & diffusionem. Et propter ordinem & connexionem vniuersi ad inuicem. Nec vna causa derogat alteri, sed totus effectus est à causa creata, & totus à voluntate infinita increata. Et sic patet responsio ad primum obiectum: obijcit enim de causa immediata respectu alterius causæ creatæ, quia duæ causæ creatæ non sunt immediatæ in eodem genere causæ.* Quo nihil euidentiùs aut efficaciùs ad probandum id quod intendimus: videtur enim Sanctus Doctor, nedum sensum, sed & ipsum loquendi modum vbique accepisse ab Angelico Doctore.

III. Verùm, ne ex hac Prædeterminatione quis trepidet timore vbi non est timor, pro liberi arbitrij indifferentia & libertate, legat quæ sequuntur: Inquirens Diuus Bonauentura in secundum sent. dist. 25. q. 2. an liberum arbitrium à Deo cogi possit, sic respondet [Ad intelligentiam autem rationum in oppositum adductarum, notandum est, quod differt dicere voluntatem induci, & voluntatem mutari, & voluntatem cogi: tunc enim induci dicitur quando aliqua persuasio fit, quâ disponitur, vt ad aliquod appetibile inclinetur, quæ si valdè intensa sit, nomen coactionis sortitur, quamuis non sit vera coactio, sicut supra ostensum est. Tunc autem voluntas mutatur, quando ipsâ volente vnum, potenti virtute affectio immittitur ei ad contrarium, & de volente fit nolens, ita quòd vna affectio expellitur & contraria inducitur, sicut patet cùm Deus de amatore temporalium, facit temporalium contemptorem: & hæc dicitur esse quædam compulsio & tractio Diuina vt voluntas ab eo separetur, cui per amoris glutinum fortiter iungebatur. Tunc autem voluntas dicitur cogi, quando intelligitur ipsam inuitam aliquid velle, & repugnante actu voluntatis deliberatiuæ aliena virtute mouente & repugnantia manente ad idem aliquid volendo inclinari, & hæc duo posita implicant, sicut ostensum est. Voluntas igitur induci potest ab agente creato: mutari verò ab alio non potest, nisi ab Agente Increato: cogi verò ab aliquo non potest. Et pro tanto dicit Bernardus de lib. arb. inter princ. & medium, quòd libertas voluntatis est ita plena suo modo in creatura, sicut in Creatore: & quòd in omnibus reperitur æqualiter. Hoc enim sicut supra explicatum fuit, intelligitur quantùm ad coactionis priuationem: & per hoc manifesta est responsio ad authoritates & rationem primam, 2. & 3.]

[Quod enim dicitur in Scriptura Deum voluntatem hominis compellere, & voluntatem hominis trahere, & voluntatem hominis ad quodcùnque voluerit inclinare, sicut ostendunt illæ tres primæ authoritates, hoc intelligitur, non quia voluntatem cogat, sed quia voluntatem creatam non solùm inducit sicut agens creatum, verùm etiam immutat, immittendo affectiones varias, in qua immissione non est coactio pro eo quòd ita voluntariè volo illud quod Deus immittit, sicut illud quod ex me ipso volo: & si aliquid volo, volens volo non inuitus & ita in volendo ad nihil compellor.

IV. [Ad illud quod obiicitur de perfecta creaturæ obedientia, dicendum quod ex hac ratione potiùs potest concludi oppositum, quàm propositum: quia enim vbi est obedientiæ perfectio, & liberum arbitrium respectu Dei ad omne quod Deus voluerit, sic habet moueri sicut pila ad omnem partem: ideò quidquid de ipso vel circa ipsum faciat, non compellit nec violentat, nec etiam alicui creaturæ violentiam inducit quantùm ad illam potentiam obedientiæ: quantùm autem ad potentiam specialis naturę, benè aliquando alicui infert violentiam in miraculorum operationem: sed talis potentia infertur, virtuti naturali, non voluntati, quia virtus naturalis sic est determinata ad vnum, vt si trahatur ad oppositum, hoc est per violentiam: voluntas verò est vertibilis ad vtrumque oppositum, sicut & rota & pila habent vertibilitatem ad motum.]

Ad illud autem quod objicitur, quòd plus potest liberum arbitrium Diuinum super hominem, quàm humanum. Dicendum, inquit, quòd verum est in his quæ posse est potentiæ, posse autem cogere brutum, hoc est potentię: sed posse cogere liberum arbitrium manens liberum, hoc est inordinationis & impotentiæ sicut priùs ostensum est. Coactio enim non sic repugnat naturæ brutali sicut repugnat libertati arbitrij, & propterea illa obiectio non concludit,] Hæc ille.

At, poterat-ne magis syncerè Sanctus Doctor exprimere quid sentiret de libertate, quàm ex supradictis? An improperabis ipsum à libertate creata solam coactionem remouere, ex eo quòd de ipsa coactione pro rei exigentia loquatur? Manifestè declarat voluntatem esse ad vtrumque: ex quo licet inferre non minùs à libertate creata necessitatem remoueri à Seraphyco Doctore, quàm coactionem: cùm enim in communi modo loquendi necessitatis nomine intelligatur id, sine quo res non potest esse, cùm nunquam sic ad agendum vnum; præmoueatur agens liberum, quin possit & oppositũ, immò verè possit, quia præuenitur vt plenè possit, seu vt potentiam reducat in actum secundum, quo non amittit potentiam, quam habet actui coniunctam: nunquam conciliandum est cum libertate necessitatis vocabulũ, sitque verè damnata ab Innocentio X. & Alexandro VII. propositio quędam, quæ oppositum asserere iudicata est.

Sed quomodo, inquies, fieri potest vt Deus effica-

citer efficiat me velle aliquid, & liber maneam? Respondeo cum D. Tho. fieri à Deo cor hominis immutante; idque ex efficacissima Dei virtute quæ, non solùm substantiam actus, sed & omnes illius modos attingit: seu vt vult D. Bonauentura immittendo affectiones, qua in immissione, inquit, *Ita voluntariè volo illud quod Deus immittit, sicut illud quod ex me volo.* Quod sanè coincidit cum his quæ iam toties insinuauimus cum D. Thoma de cordis immutatione (quam à solo Deo fieri posse asserit.) comparatione lapidis expressâ, a quo Deus aufferret grauitatem, & cui daret leuitatem: At, an non Deus ipse est, qui vt det cor carneum, prius auffert cor lapideum, tollitque duritiam cordis? Idque per gratiam, quæ ideò datur (teste Augustino) vt cordis duritia primitùs aufferatur. Vrgeo magis: si idem sit iudicium (vt est verè) de gratia præueniente in ordine supernaturali, ac de Prædeterminatione in ordine naturæ, eundem Seraphicum Doctorem iterùm audiamus. Ille autem in lib. 2. sent. q. 6. inquitens, an gratia comparetur ad animam in ratione Motoris? Respondet affirmatiuè, & probat primò [Per authoritatem Sancti Augustini, epistola 106. tomo 2. quam Magister adducit in littera: quòd gratia præueniens est, quę præuenit bonę voluntatis meritum, & respectu cuius ipsa voluntas bona, pedissequa est, non pręuia: igitur gratia respectu voluntatis se habet per modum excitantis & imperantis & regentis, & omne tale se habet in ratione Motoris: ergo, &c.

[Item hoc videtur, inquit, ratione: Plus est potentiam aliquam suprà se erigere, quàm ipsam mouere: sed gratia eleuat potentiam liberi arbitrij ad opera meritoria, quæ sunt suprà ipsam: ergo est liberi arbitrij motrix.]

[Item: Plus potest gratia supra liberum arbitrium, quàm liberum arbitrium possit super seipsum: sed liberum arbitrium est instrumentum seipsum mouens, sicut dicit Anselmus, lib. de concord. pręsc. & lib. arb. longè ante finem; & voluntas mouere potest se ipsam: ergo multò fortiùs moueri potest à gratia.]

V. *Item: Omne, inquit, quod est principium vitæ perfectæ, est principium motus in eo quod viuificat: sed gratia est principium vitę in anima: ergo, &c.*

Idque fusiùs prosequitur ibidem in conclusione [Dùm (inquit) absque dubio, sicut authoritates Sanctorum dicunt, necesse est ponere liberum arbitrium à gratia moueri & excitari: ab ipsa enim gratia operante pręuenitur, & à cooperante ad opera meritoria eleuatur: ita quòd respectu operis meritorij, gratia est sicut principalis motrix, & voluntas sicut pedissequa. Qualiter autem ipsa gratia cùm sit accidens animę, ipsam habeat mouere, hoc habet difficultatem. Ad huius autem difficultatis explicationem duplex est modus dicendi siue intelligendi, secundum quem liberum arbitrium dicitur à gratia moueri. Vnus modus dicendi est, quòd gratia mouere dicitur liberum arbitrium, quoniam ipsa est dispositio ad quemdam spiritualem motum. Sicut enim pondus in corporibus disponit ad motum, sic & suo modo pondus in spiritibus: gratia autem est, quoddam Spirituale pondus datum animę per quod habet sursùm tendere: Et quoniam liberum arbitrium est natum seipsum mouere secundum actus in quos potest de se, cùm est adiutum & informatum gratià, excellentiùs mouet seipsum: ita quòd cùm liberum arbitrium sit mouens & motum, gratia disponit ipsum sub ratione mouentis: & pro tanto dicitur gratia mouere liberum arbitrium, quia liberum arbitrium gratià informatum mouet seipsum, per quem modum amor dicitur mouere hominem ad magna opera facienda. Alius est modus intelligendi, secundum quem liberum arbitrium dicitur à gratia moueri. Gratia enim est sicut quædam influentia procedens à luce superna, quæ semper habet coniunctionem cum sua origine, sicut lumen cum sole: & quia semper suæ origini coniungitur, ideò non tantùm attribuitur ei operatio ratione subiecti in quo est, sed etiam ratione subjecti à quo est: vnde sicut lumen non solùm operatur cum aëre, sed etiam operatur in ipsum aërem ratione continuationis cum suo fonte, sic & gratia non solùm operatur cum libero arbitrio, sed etiam operatur in liberum arbitrium, & liberum arbitrium mouet. Vnde non est aliud dicere, gratiam liberum arbitrium mouere, quàm gratiam esse Spiritus Sancti instrumentum ad mouendum liberum arbitrium. Vterque horum modorum intelligendi conueniens est & rectus, nec vnus sine altero sufficit. Nam primus competit gratię cooperanti, siue subsequenti: secundus competit gratię operanti, siue pręuenienti. Gratia enim operans, liberum arbitrium pręuenit, & mouet, quia Deus illam infundendo, voluntatem hominis sanat & prędparat. Gratia verò cooperans siue subsequens, liberum arbitrium dicitur mouere, quia voluntas tali dono gratiæ informata mouet seipsam: hanc enim potentiam habet voluntas, scilicet mouendi seipsam, quia est potentia materiæ non alligata, sicut suprà ostensum est, cùm de libero arbitrio agebatur. Concedendę sunt igitur rationes ostendentes quòd gratia ad liberum arbitrium comparatę habet in ratione Motoris. Ad rationes autem ad oppositum plana est responsio ex iam dictis. Hæc ille.

His præmissis resumamus si placet (erudite lector) quæ ad rem directè collineant. Si nullus sit necessarius præuius Dei concursus, sed sufficiat simultaneus, poterit-ne dici gratia, *Principalis Motrix, & voluntas pedissequa?* Petrus & Paulus simul ferunt ingens pondus (en concursus simultaneus) Aut vt aduersariorum vtar exemplo, duo homines simul trahunt nauim: vter quæso dicetur pedissequus? Neuter sane: sed simul influit vterque in effectum, & neuter in alterum, aut in eius actionem, quod necessarium foret vt actio vnius prout ab ipso est, ab altero esset.

Rursùm, si tantùm simultaneo influxu Deus concurrit cum creatura, quomodo, *Plus potest gratia suprà liberum arbitrium, quàm liberum arbitrium suprà seipsum?* Sed liberum arbitrium se mouet & se determinat ad aliquid etiam efficacissimè, saluâ & intactâ libertate, an non poterit & hoc ipsum Deus sine libertatis destructione? Num Deus formando hominem liberum, nexus sibi quosdam iniecit, vt non ipse possit, etiam de potestatis plenitudine, quæ possit homo, idque facillimè? Quis tàm indignè de Deo sentiat? & quomodo verum erit quod hic à Diuo Bonauentura asseritur; *Liberum arbitrium esse gratię instrumentum: & quod gratia multò fortiùs mouere possit voluntatem, quàm seipsam possit voluntas mouere?* At, ex iam toties decantatis, Motio mouentis præcedit motum mobilis ratione & causâ, vt iam ex Aristotele, relato ab Angelico Doctore, ad satietatem vsque diximus: si autem pręcedit, ergo non sufficit simultaneus concursus, sed præuius, Pędeterminationis nomine à Thomistis iusta de causa insignitus. Et hoc ipsum est quod suprà cum D. Augustino diximus, quòd scilicet. *Deus magis habet in sua potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas*, Idque ex omnipotentia, & ex vniuersalissima causalitate sua, quæ nullam tribuit perfectionem aut virtutem suis effectibus quam sibi non reseruauerit, vt possit ipse totum quod potest creatura, & in infinitum perfectiora: vnde postquam Scriptura hanc Dei omnipotentiam expressit, contra quam nemo præualere possit, statim causam adiunxit dicens, *Tu enim fecisti omnia.*

Prætereà, aduertas quomodo Sanctus Doctor, & excitantem gratiam requirat, contra Caluinistas & Lutheranos;

nos: & adiuuantem seu mouentem contra Pelagianos', vt hæreticus animus vndequaque profligetur.

Denique perpende hos duos mouendi modos, quorum neuter separatim sufficit, sed præter primum requiratur secundus ille (pro quo militamus) qui est per modum influentiæ, quâ non solùm Deus operatur cum libero arbitrio; sed etiam in liberum arbitrium: at, vt iam diximus, etiam de consensu aduersariorum, si sit aliquis effectiuus Dei influxus in liberum arbitrium, ritè Præmotio, rursumque conuenientiùs Prædeterminatio nuncupatur ob rationes supradictas: ergo, &c.

V. Verùm ne exosa repetitione lectorem grauemus, hunc remittimus ad cap. 4. libri 2. vbi ex dependentia causæ secundæ à Prima, euidentissimè demonstrauimus necessitatem Prædeterminationis quam propugnamus, quæ ratio non minus efficaciter eruitur à D. Bonauentura, quàm à D. Tho. cùm vterque iisdem ferè verbis vtatur, eodemque lucis & solis exemplo: quis enim dicat solem agere cum luce aut radio tantùm, & non potiùs priùs radio, per radium, & cum radio, vt volunt Thomistæ, loquentes de Deo, ex quo, per quem, & in quo sunt omnia, qui in bonis nisi præueniat & sequatur, ac bonis operibus præstet nos iugiter esse intentos, statim deficimus.

Quartò, denique ne vllus supersit dubitandi locus; prosequamur id quod profitetur D. Bonauentura lib. 2. sent. dist. 34. q. 1. vbi inquirens an omnis actio, secundum quod actio, sit à Deo? Respondet affirmatiuè: & post multa sic concludit, [Ideò hæc positio quę dicit omnem actionem esse à Deo, secundum quòd actio est, absque omni ambiguitate tenenda est. Vnde Anselmus in lib. de concordia prædestin. & præscien. Omnis, inquit, qualitas & omnis actio, & quidquid habet aliquam essentiam, à Deo est, à quo est omnis iustitia, & nulla iniustitia. Facit igitur Deus omnia, quæ iustâ, vel iniustâ voluntate fiunt, id est bona opera, & mala. In bonis quidem facit quòd sunt, & quòd bona sunt: in malis verò facit quòd sunt, sed non quod mala sunt. Et iterùm ibidem Omnes actiones, & omnes motus facit Deus, quia ipse facit res à quibus, & ex quibus, & per quas & in quibus fiunt: & nulla res habet vllam potentiam volendi, aut faciendi, nisi illo dante: ipsum quoque velle (quod aliquando iustum est, aliquando iniustum) in quantum est, bonum est, & à Deo est. Non esse verò bonum, non est quid, nec à Deo est. Concedendæ sunt igitur omnes rationes ad primam partem inductæ.] Sunt autem sex, quæ ibidem legi poterunt, & quæ breuitatis causâ omitto.

Cumque sibi obiecisset argumento quinto in contrarium, *Si operatio quæ est subiecta peccato, est à Deo, & à libero arbitrio, aut tota est à Deo & tota à libero arbitrio; aut pars à Deo, & pars à libero arbitrio: si tota à Deo, & tota à libero arbitrio: ergo videtur quod tota sit simul & bona & mala: quod est omninò impossibile, si pars à Deo, & pars à libero arbitrio: sed quâ ratione ponitur, vna pars esse à libero arbitrio, eâdem ratione potest poni & altera: & sic videtur quod tota operatio ita sit à libero arbitrio quòd non sit à Deo.*

Sic ad quintum respondet, *Ad illud quod quaritur, Aut tota operatio est à Deo, &c. Dicendum, quod tota est à Deo & tota à libero arbitrio: non enim est intelligendum quòd Deus cooperetur libero arbitrio, sicut cum duo ferunt lapidem, vnus cooperatur alteri: sed quia Deus est intimè agens in omni actione, & intimus est ipsi potentia operanti; ita quòd potentia ipsa in nihil exit, quod non sit ab ipso. Et si obiiciatur, quòd eadem actio erit tota bona, & tota mala; Dicendum quòd Deus illi actioni non dat nisi bonitatem naturæ: liberum autem arbitrium non priuat eam bonitate naturæ, sed bonitate moris. Et ista duo non habent oppositionem; videlicet quod aliquid habeat bonitatem naturæ, & priuatum sit bonitate moris.*

Denique lib. 2. sent. dist. 28 q. 3 inquirens an liberum arbitrium omni gratiâ destitutum, possit in aliquod bonum? Post multa sic ait, [Si autem intelligantur authoritates de alio bono, tunc nomine gratiæ non est intelligendus aliquis habitus superadditus naturalibus; sed intelligitur gratuita Dei influentia per quam cætera conseruat & adiuuat, vt compleant operationes suas. Et sic intelligitur illud verbum Ioannis: Ioan 15 (Sine me nihil potestis facere) & illud Isaiæ: (Omnia opera nostra in nobis operatus es Domine: & consimilia, &c.) Patet nihilominùs quantùm sit necessaria gratia gratis data, quia sine ea non potest liberum arbitrium ad gratiam gratum facientem sufficienter se disponere, non potest etiam omni tentationi resistere: non potest etiam in aliquod bonum quantumcunque modicum, quod sit ordinatum ad salutem. Et licet possit in aliquod bonum morale, vix aut nunquam tamen faceret nisi malum propter peccati originalis corruptionem. Et ex iis manifestè conuincitur error Pelagij, & superbia quâ se contra Diuinam gratiam erigebat; & ingratus gratię Dei, sibi, quod erat gratiæ vsurpabat: & dum hoc agebat, seipsum à munere Diuinæ gratiæ elongabat; & propterea error ille cauendus est non modicùm. Vnde Bernardus in lib. de libero arbitrio cap. 18. ad fin. libri. Cauendum est, ne cùm hoc bonum propositum, inuisibiliter intra nos, aut nobiscum excitari sentimus, aut voluntati nostræ attribuamus, quæ infirma est aut Dei necessitati, quæ nulla est, sed soli gratiæ, quâ plenus est: hæc liberum arbitrium excitat, cùm seminat cogitatum; sanat, cùm immutat affectum; roborat, vt perducat ad actum; seruat, ne sentiat defectum. Sic autem cum libero arbitrio operatur, vt tantùm illud in primo præueniat, in cæteris comitetur; ad hoc itaque pręueniens, vt sibi deinceps cooperetur: ita tamen, quod à sola gratia cœptum pariter ab vtroque perficitur, vt mixtim, non sigillatim; simul, non vicissim per singulos profectus operentur; non partim gratia, partim liberum arbitrium: sed totum singula opere indiuiduo peragunt; totumque hoc, & totum illa: sed vt totum in hoc, si totum ex illa.]

VI. Profectò hos rebelles lumini existimo qui tàm apertæ veritati contradicere non erubescunt: nam respondeant istis Diui Bonauenturæ testimoniis, illi, quibus sufficit concursus simultaneus, *Omnis actio secundum quod est actio, est à Deo*, Item. *Deus dat non solùm potentiam volendi, aut faciendi (inquit Sanctus Doctor) sed & ipsum quoque velle*, Non dat verò Deus nisi causando & efficiendo: Causa autem efficiens præcedit effectum: si ergo volitio seu velle sit effectus Primę Causæ, vt de facto est, igitur non expectat Deus quòd homo velit, vt simul cum illo operetur per concursum scilicet simultaneum: sed facit ipsum velle per præuium, quod intendimus.

Sed quid euidentius quam id quod sequitur? *Non est, inquit, intelligendum quod Deus cooperetur libero arbitrio, sicut cùm duo ferunt lapidem*, Ecce concursus simultaneus prædamnatus, cuius sufficientiam probare moliti sunt: Quare? *Quia Deus est intimè agens in omni actione, & intimus ipsi potentia*, Hoc explicent, si possint, sine præuio concursu: quod cùm verè non possint, dicant cum Thomistis, sed exerto ore, sicut & corda fateri euidentiâ coguntur, Prædeterminationem esse admittendam, quam sufficienter exprimit

Diuus Bonauentura quantùm ad rem significatam (quod sufficit) nominatim verò his extremis verbis quibus prçter gratiam habitualem asserit necessariam esse, *Influentiam per quam Deus cætera conseruat & adiuuat vt compleant operationes suas*, Quod coincidit cum his quæ ex Diuo Thomâ retulimus, quod scilicet Deus sit causa rerum, non solùm in fieri, sed & in facto esse, vtpotè continuò eas sustinendo in esse: ex quo fit, vt ipse ait cum Diuo Bernardo: vt Deus & creatura, *Mixtim, non sigillatim: simul, non vicissim per singulos profectus operentur; sed totum singula opere indiuiduo peragant: ita vt totum operetur liberum arbitrium, & totum gratia: verùm vt totum in hoc, sit totum ex illâ.*

Verùm, ne quis arbitretur, nos hic necessitate referendi Authores finem facere, quasi plures non sint qui Thomisticis (hac in parte, id est, pro physica prædeterminatione) insistant vestigiis: legat qui voluerit præter præfatos, plusquàm quadraginta alios quos statim subiiciam, ex quibus integrum volumen de sola prædeterminatione Thomistica coalesceret. Illi autem sunt imprimis.

B. Albertus magnus in summa tract. 15. q. 67. membr. 4. part. 2. Alensis 1. p. q. 23. memb. 3 a. 4. Richardus in 1. dist. 45. a. 2. q 3 Scotus dist. 39. q. 3. sect. viso. & dist. 41. q. vnic. sect. Sed contra. Nec non & quodlibeto 14. & in dist. 1. q. 3. & in 4. dist. 49 q. 6. sect. dico ergo. Gabriel in 1. dist. 35. q. vnic. c 2. Capreolus in 1. dist. 45. q. 1. a. 2. & in 2. dist. 28. q. 1. a. 3. ad 12. Ferra. 3. contra Gent. c. 89. Caiet. 1. p. q. 14. a. 13. & q. 45. a. 5. Cabrera tom. 3. in 3 p. q. 62. a. 1. disp. 19. sect. 4. & tom. 2. in eand. 3. p. q. 18. a. 4. disp. 2. sect. 4. vbi plures alios refert. Aluarez de auxil. disp. 22. Ledesma etiam lib. de auxil. q. vnic. a. 9. Nazarius. Bannes. Nauarreta. Zumel. Gonzales. Zanardus, & Machim cùm de voluntate Dei, & q. 23. a. 5. Gaspard Ram tract. de Diuinis præmotionibus fol. 68. Cornejo tom. 1. in 1. p. tract. 1. in q. 14. a 13. disp. 2. dub. 6. & tract. 2. in q. 23. a 6. & 7. disp. 1. dub. 2. Iosephus à Sancta Maria tract. de lib. arb. q. 4. a. 3. concl. 1. Villegas Controu. 12. disp. priori c. 2. referens Mayronem Bassol. Nyssen. Orbel. Lychetum. Rubionem. Castronomum. Baronem. Bononiam. Vegam. Trigosum, & alios. Idque plures alij tuentur, vt Ægidius Romanus Cardinalis (citatus à Ioa. à Sancto Thom. pag. 189.) in 2. dist. 5. q. 2 & dist. 14. q. 3. & dist. 36. a. 3. (Roardus Tapper lib. 7. de lib. arb. pag. 216. & 217. & 226) Driedo de concordia lib. arb. pag. 43 & 46. Et de captiuitate & redemptione generis humani c. 2. tract. 6. Ioa. à Sancto Tho. q. 19. in 1. part. D. Tho. disp. 5. a. 4. pag. 187. citans Nunonem, Syluium in opusculo de motu primi Motoris Duaci 1609. in quo plures ex Louaniensib. antiquis, aliisque Doctoribus laudantur pag. 61. & sequent.

VII. A prædictis inquam exscribendis, de industria abstineo, vt in prædicto sexdecim capitulorum numero (quẽ non excedit quilibet huius operis liber) RR. PP. Societatis IESV suus supersit locus, quos in Thomistas prouocare, aut ab illis eos saltem diuellere (quorum in Christo cor vnum est & anima vna) moderni quidam totis viribus moliti sunt; de quorum concordia, nemo est quin potius iudicandum existimet ex iis quæ statim subiiciam, quàm ex multorum falso rumore, qui schismatibus studentes discordiam satagunt disseminare inter fratres. Attamen sicut in Ecclesia, quæ Sancta est & sine macula, non ex priuatorum lapsibus aut scandalis, ferenda est de eius sanctitate, sententia; sed ex eius sanctissimis legibus, Conciliis, & Patribus: Sic nec in Religiosorum Cœtibus ex quorum tanta multitudine vix fieri potest, vt non sit aliquis, qui viâ Regiâ relictâ, rectoque spreto tramite, priuatam semitam quandoque non ingrediatur, quod nec aliorum dignitati derogat, nec sanctitati.

Hoc sit ergo specimen ex quo liceat dijudicare de sinceritate doctrinæ sacræ Societatis IESV in via D. Thomæ, eorum nempe tùm constitutiones, tùm generales congregationes, quibus D. Thomæ doctrina à suis omninò sequenda decernitur: nominatim verò constitutiones illæ 1570. in 8. editæ Romæ apud Victorium Hælianum part. 4. c. 14. sect. 1. Item in Congreg. 5. can. 41. qui in MS. 55. est, item decreto 42. eiusdem Congregationis. Item decreto 43 & can. 56. qui in MSS. 72. est, subditur, [Præfatio ad regulas de delectu opinionum à deputatis pro ratione studiorum confecta. Patres deputati ex variis nationibus pro libro de ratione studiorum recognoscendo, cum de delectu opinionũ primo loco tractandum censuissent, ac tanquam fundamentum proposuissent Doctrinam Societatis esse debere vniformem, securam & solidam iuxta constitutiones, parte 3. cap. 1. parag. 18. & parte 4. cap. 5 parag. 4. post accuratam discussionem & collationem multorum dierum, statuerunt communi consensu ea quæ sequuntur: 1. Nostri omninò S. Thomam vt proprium doctorem habeant, eumque in Scholastica Theologia sequi teneantur: tùm quia Constitutiones eum nobis commendant, part. 4. cap. 14. parag. 1. Et summus Pontifex Clemens VIII. id sæpe significauit: tùm quia cùm vnius Scriptoris Doctrinam in Societate eligendam Constitut. moneant part. 8. cap. 1. litt. K. nullius hoc tempore doctrina potest occurrere, quæ sit eâ solidior aut securior, vt non immeritò S. Thomas Theologorum Princeps ab omnibus habeatur.] Et mox subditur ibidem num. 4. *Præscribendum videtur, vt nullus ad docendam Theologiam assumatur, qui non sit verè S. Thomæ Doctrinæ studiosus: qui verò ab eo sunt alieni, omninò remoueantur. Nam qui ex animo S. Thomæ fuerint addicti, certum erit eos ab eo non recessuros, &c.*

Et in libro de ratione studiorum, iussu Congregationis 7. Generalis à Reuerendo Patre Bernardo ab Angelis Societatis Secretario specialiter edito, & ab ipso, Româ, vnâ cum Epistola die 2. Februarij 1616. data, ad omnes Prouinc. transmisso: in Regulis pro Prouinc. sic dicitur Regulâ 9. parag. 2.

In primis meminerit, scil. Prouincialis, non esse ad Cathedras Theologicas promouendos, nisi qui erga S. Thomam benè affecti fuerint, qui verò ab eo alieni sunt, vel etiam eius parùm studiosi, à docendi munere repellantur. Et ibidem de Professor. Theol. reg. 2.

Sequantur nostri omninò in Scholastica Theologia Doctrinam S. Thomæ, eumque vt proprium Doctorem habeant, ponantque in eo omnem operam, vt auditores erga illum quàm optimè afficiantur.

VIII. Verùm ne quis hic aliqua mutuæ charitatis & beneuolentiæ testimonia in Prædicatorum familiâ erga præfatam Societatem desideret, non leuiter prætereat quæ sequuntur ex Capitulo Generali Valentiç 1596. admonit 4. [Admonemus omnes Fratres Ordinis nostri, pariterque in Domino hortamur, vt fraterno, sinceroque affectu prosequi velint Religiosos omnes cum quibus ad eundem finem tendere debemus, specialiter verò eos qui inter reliquos non segniter laborant pro fide Catholica tuendâ, & salute animarum procurandâ, Patres scilicet Societatis IESV, quos plurimùm inter cæteros illis

commendamur, optantes, vt operibus, internæ affectioni, & charitati testimonium reddant, &c.

Et ne antiquatum existimet huius amicitiæ fœdus, notet prudens lector ordinationem Romæ 1644. à PP. Ordinis Prædicatorum factam, quę sic habet, [Ordinamus ac omnibus Religiosis curæ nostrę subiectis districtè præcipimus, vt quemadmodum Christianâ charitate tenemur omnes Dei seruos, ac quorumcunque Ordinum Religiosos, potissimè Mendicantium, (quos aut Ecclesiasticæ vitæ cultura, aut sanctioris vitæ professio nobis æquales reddit) omni honore atque amore prosequi, omniaque eis hospitalitatis obsequia præstare. Eadem sollicitè in RR. Patres Societatis IESV benignâ cum humanitate impendere conentur: horum & personas singulas, & Societatem totam benignissimè colant, ac venerentur, & tàm intùs, quàm foris, vbi de eorum S. Instituto, modo viuendi, & regimine sermo inciderit, adeò circunspectè, & honorificè semper de eis loquantur, vt tota Christiana Respublica nostri in eos impensissimi amoris testimonium reddere queat, & vt ipsi ea in nobis charitatis eximiæ officia, beneuolentiæ viscera experiantur, quæ viros Apostolicos decet, &c.

Hæc sunt recentiora amicitiæ Dominicanorum in Societatem testimonia; si antiquiora beneuolentiæ illorum, immò & perpetuæ eorumdem beneficentiæ monumenta erga prædictam Societatem requiras, lege Orlandinum lib. 14. nu. 32 atque R. P. Baronium lib. 4. sect. 4. ac parag. 1. apud quos reperies, ipsum D. Ignatium prædictæ Societatis IESV Fundatorem, ab Æmulorum manibus, ac Auditorum Parisiensis Academiæ furore, liberatum fuisse potentiâ & authoritate Religiosissimi Matthæi Ori Dominicani, Inquisitoris tunc Parisiensis, fortè vltimi, & vsque hunc in diem superstitis, vt Diuo Ignatio à periculo mortis, eius ope liberato, officium inquisitionis clauderet. Ecquis verus Sancti huius Patriarchæ filius tantum beneficium aureo charitatis stylo exaratum in corde perpetuò non gerat?

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

Probatur ex Bellarmino & Toleto prędicta Prædeterminatio.

I. QVi vel semel Bellarminum legerit, mirabitur tanè quâ fronte hic, illum audeam hùc adducere, in confirmationem scilicet Prædeterminationis Thomisticę, cui sic aduersari videtur. Verumtamen hunc ipsum in huius controuersiæ Iudicem aut Patronum eligere non dubito, dummodo Bellarminum falsificatum, & penitùs hac in parte alium, pro Bellarmino sincero & vero, lectori non obtrudant, qui sine dubio non leue passus est detrimentum suorum in immutatione operum, dum pro vera illius sententia, posteris est demandatum id potiùs quod ex quadam indolis benignitate immutari passus est, quàm ea quæ semper docuisset, & quę moriens publica protestatione consecrasset, cuius tunc vltimæ dispositioni maxima debebatur reuerentia, iuxta quam potiùs est de mente illius iudicandum, quàm iuxta suppositiitias opiniones illi affictas, tanto Doctore penitùs indignas.

Bellarminum igitur, quantùm ad præsens spectat, fuisse immutatum testantur Fuligatius, & Syluester à Petra Sancta, in vita Cardinalis Bellarmini lib. 2. cap. 5. pag. 100. Editionis latinæ Antuerp. Vbi narrant modestiam eminentissimi huius Senatoris maximè tunc apparuisse, quando, inquiunt, volumina Controuersiarum disposita vt in lucem edi possent, non modò æquanimiter (sicut ipsemet deinde Benedicto Iustiniano testatus est) sed cum hilaritate etiam passus est à quibusdam in Germania quoad quosdam opiniones immutari, in spem fructus inter hæreticos vberioris.

Ex quibus manifestissimum fit, immutatas in Bellarmino nonnullas opiniones, & alias in earum locum repositas ex Bellarmini sensu minimè descendentes, idque ea spe vt fructus vberior inter hęreticos haberetur, hoc est, vt illis non Bellarmini, sed Germanicorum correctorum opinionibus fortiùs hæretici peruincerentur, & ad Ecclesiam traherentur.

Verùm, si nosse desiderat lector quænam fuerint illæ opiniones, quas loco genuinæ mentis Bellarmini in eius Controuersias intruserunt, legat eosdem Authores in cap. vlt. lib. 3. quo in loco referunt susceptam à quibusdam Modernis nouam opinionem, eâ potissimùm ratione, quia iudicaretur idonea ad nostri æui hæreses peruincendas. Ex quibus si arguere liceat, habebimus præmissas etiam in forma syllogistica penè rectè dispositas ad inferendum hoc consequens, Bellarmini opera in his quæ ad hanc spectant materiam fuisse immutata. Nam in primo loco habemus, Correctores Germanicos illa immutasse in spem fructus inter hæreticos vberioris, id est, substituisse illas opiniones quæ visæ sunt magis idoneæ, vt faciliùs hæretici conuincerentur, & conuicti ad fidem redirent: Atqui omnes illi Moderni ideò à D. Thoma recedunt hac in parte, vt loco Prædeterminationis physicæ (qua sic pręueniuntur à Deo causæ secundæ vt operentur certissimè) substituant quemdam concursum indifferentem & indeterminatum per creaturam determinandum, vel etiam solum concursum simultaneum vt sufficientem sine vllo præuio, quasi sit hic concurrendi modus magis idoneus ad hæreticos reducendos. Ex quibus sufficienter apparet ipsam Bellarmini immutationem contra Thomistas hac in parte factam esse de industria, cùm & hodie in eadem sententia, & ob easdem causas perseuerent, huiusque pretextus velamine sese obtegant. Cuius rei non leue est aliud argumentum quod iidem lib. 3. c. 4. pag. 547. narrant Bellarminum iam morti proximum coram publico Scriba asseruisse nullatenùs mutasse sententiam, quam in libris Controuersiarum docuerat. Si ergo testes habeamus, ipsum Bellarminum procul abfuisse ab illorum sententia, qui dicunt sufficere concursum Dei simultaneum cum causis secundis, aut ad summum indifferentem & indeterminatum, sine dubio inferendum est opiniones illas quæ leguntur in libris Controuersiarum ipsius Bellarmini esse suppositiitias; testes verò habemus oculatos & auritos Doctores Academiæ Louaniensis, vnà cum auditoribus qui Bellarmini dictata publicè Louanij excepêre, qui in discussione quadam pro censura, de qua iam suprà, testati sunt Bellarminum Louanij perlegisse sententiam oppositam huic, quæ modò in eius cernitur controuersiis iuxta principia scientiæ medię. Legendus Syluius in opusc. de motu primi Motoris.

II. Verùm, vt nihil occultum quod non reueletur, non adeò facilè potuit hoc pręclarum sydus sub transmutationis nubibus occultari, quin adhuc aliquis appareret radius: seu non sic peruertere potuerunt hi Correctores hunc Doctorem (quicunque illi sint) quin eorum

diligentiam, Deo sic disponente, quędam particulæ effugerint, ex quibus facilimum est veram illius agnoscere sententiam. Et vt vnum ex multis proferamus, non negant aduersæ partis asseclę, suæ sententię de simultaneo, non præuio concursu Almaïnum subscribere in Moralibus c. 1. & 2. Illum enim quamplures in suas partes eò loci citant, vt Suares lib. 1. de concursu Dei cum voluntate cap. 4. Ruuius 2. physs. quęst. 8. num 79. & alij. At verò ipsius Almaini sententiam eò loci explicatam, hac in parte confutat Bellarminus de grat. & lib. arb. lib. 4. cap. 14. *Falsum est, inquit Bellarminus, quod Almainus dicit, concursum non esse de prærequisitis*, Ergo non sanxit Bellarminus concursum Dei, vt ipsi Deprauatores Bellarmini imponunt, esse simultaneum tantùm, sed præuium: *Nam si voluntas humana, inquit Bellarminus, est de prærequisitis, quia est causa actionis, cur concursus Dei, qui est etiam causa actionis non erit de prærequisitis?* Quis verò dicat duos homines simul ingens pondus ferentes, sic coaptari per concursum simultaneum, vt vnus sit causa actionis alterius? si igitur non agat Deus cum causis secundis nisi per concursum simultaneum, non erit causa actionis creaturæ, & sic redeunt omnia inconuenientia hactenùs exposita.

Præterea quid commune habet concursus ille Dei indifferens & indeterminatus quem necesse sit à creatura determinari & efficacem fieri vt volunt, quemque loco Prędeterminationis physicę moliuntur intrudere, cum his quę docet Bellarminus lib. 1. de gratia & lib. arb. c. 12. dum gratiam fieri efficacem ex consensu creaturę asserit, *Esse opinionem alienam omninò à sententia Diui Augustini, immò & à sententia diuinarum Scripturarum*, At in opinione eorum qui Prædeterminationi aduersantur, concursus Dei indifferens & indeterminatus fit efficax, vt volunt, ex consensu creaturę, sicque seipsam discernit: ergo, &c.

Verùm, vt etiam ad sensum, apertam operum Bellarmini immutationem faciamus, hic tantùm opus est oculis: legat igitur qui voluerit ipsum Bellarminum in 4. Lugduni editum apud Pilleoth in d. c. x. de gratia & lib. arb. libri 4. cap. 14. quod finit per hæc verba, *Sed de hac re multa diximus in 2. lib. de statu peccati.*

Legat itidem eundem Bellarminum in folio etiam Lugduni impressum apud Ioa. Bapt. Buysson m.c.xcij. in quo 28. lineas reperiet quæ non sunt in editione præcedenti, quarum prima sic incipit, *Denique sententia quæ ponit prædeterminationem in voluntate, &c.* Quis ergo hunc priorem Bellarminum sic truncauit seu mutilauit? Aut quis hunc secundum sic auxit? An rediji ex mortuis Bellarminus vt hoc ipse præstaret? aut forsitan alicui reliquit facultatem sic sua immutandi opera, vt tota illorum exindè nutaret authoritas? Denique, hic traducenda esset correctorum Bellarmini præceps solertia, quę loca huius Authoris superiùs citata sic immutauit, vt non meminerit eiusdem copiosissimum rerum & verborum indicem corrigere & augere, in quo ne semel quidem reperies *Ly determinatio aut prædeterminatio*, cùm tamen iuxta ea quæ Bellarmino affixerunt, & contra eius mentem excogitarunt, prædicta verba multoties legere debuisses, vt testis & iudex esse poteris.

Mirum est in quàm diuersas opiniones abierint, & in quot discrimina discriminati sint Bellarmini correctores, vt à sententia Thomistarum, hunc reluctantem & inuitum auellerent, qui ne prçuium Diuinę voluntatis influxum respectu liberi hominis arbitrij sequeretur: illum sic loquentem nobis obtulerunt loco suprà citato cap. 16. [Modus, inquit, secundum quem recipitur in eo motus Dei, nihil est aliud nisi negatiua quędam determinatio præcedens, tùm influxum Dei, tùm actum eliciturum voluntatis: nimirùm quòd voluntas sinat se moueri ab obiecto per rationem sibi proposito, vel non sinat. Dicitur negatiua, quia non consistit in actu positiuo, sed in negatione actus, &c. Si voluntas sinat se moueri ab obiecto proposito, Deus eam applicat & mouet ad actum eliciendum: sin minus, non mouet,] Ita vt non det Deus suum concursum, nisi iuxta præuisionem non resistentię voluntatis creatæ, quo posito non potest creatura non operari potentiâ consequenti, vt aiunt, licet semper possit potentiâ antecedenti.

Attamen suâ mole semper stabit opinio Thomistica: hæc verò noua, propria ruet infirmitate: quia hęc negatiua determinatio (quam affingunt Bellarmino) iuxta quam Deus determinat suum concursum, nequaquam potest admitti: nam voluntas negatiuè determinata, est voluntas sinens se moueri ab obiecto: ergo est non resistens & non reluctans ipsi obiecto: si enim resisteret, hoc ipso non sineret se moueri. At voluntatem non esse reluctantem & non resistentem, est effectus gratiæ efficacis, vt sępissimè docet Diuus Aug. In hoc enim discipuli Pelagij maximè Sancto Pręsuli resistebant, nolebantque concedere Deum reluctanti voluntati studium virtutis immittere, & ex nolentibus facere volentes, vt patet ex lib. 1. contra 2. epist. Pelagianorum c. c. 19. & 20. & lib. 2. c. 5. & lib. de Prędest. Sanctor. cap. 8. ait quòd, *Hæc gratia à nullo duro corde respuitur, ideò quippe tribuitur, vt cordis duritia primitùs auferatur.*

Item ipsa Ecclesia Deum orat vt nostras ad se rebelles compellat propitiùs voluntates: & ita non sufficit obiectum proponere: sępiùs enim proponitur & non mouet: sed gratia Dei requiritur tollens cordis duritiam, auferens cor lapideum, remouens obicem, dansque cor carneum: ergo non expectat Deus negatiuam illam voluntatis determinationem & non resistentiam, sed facit illam, hancque præstat indolem, quia etiam duro & resistenti cordi gratiam immittit, vt ex nolente faciat volentem: vnde Diuus Thomas super epistolam ad Hębreos cap. 12. lec. 3. ad illa verba (Contemplantes ne quis desit gratię Dei) quæ obiicit, sicque respondet.

[Contra, inquit, quia si gratia non datur ex operibus, sed tantùm ex hoc quod aliquis non ponit obstaculum, Ergo habere gratiam dependet ex solo arbitrio, & non ex electione Dei, quod est error Pelagianus. Respondeo dicendum quod hoc ipsum quòd aliquis non ponit obstaculum ex gratia procedit, vnde si aliquis ponat, & tamen moueatur cor eius ad remouendum illud, hoc est ex dono gratiæ Dei vocantis per misericordiam] & infrà, [Quod ergo à quibusdam remoueatur istud obstaculum, hoc est ex misericordia.]

Denique ponamus hominem auditâ fide resistere corde indurato his quæ sibi proponuntur, deinde conuerti à Deo: inquiro, quando datur illi concursus vt obediat fidei? aut præsupponitur illa negatiua determinatio, seu non resistentia, aut non? Si non pręsupponitur, ergo ruit sententia illa Bellarmino afficta, quia sine tali negatiua determinatione Deus dat determinatum concursum. Si præsupponitur: Ergo quando incipit esse non resistens, aliter se habet quàm antè quando resistebat. Hanc ergo mutationem, vel facit Gratia Dei & dextra Excelsi, vel supponit factam ab homine: Si facit Gratia: Ergo non ratione illius datur gratia & Dei influxus, sed ante ipsam datur vt determinetur voluntas & fiat non resistens. Si supponit: Ergo ante gratiam incipit tolli obstaculum ad fidem ex ipsamet voluntate, & habet initium conuersionis à se, quia non modicum initium est reddi non resistentem qui erat resistens, & tali determinatione cui annexa est determinatio influxus Diuini vt consentiat: quę omnia non sunt in fide toleranda.

III. Verùm ne in vno sistamus Bellarmino, Toletum adeamus, pari dignitatis eminentiâ fulgentem; tantâque synceritate & euidentiâ id quod intendimus stabilientem, vt nulla de eo suboriri possit dubitatio: Ait ergo ille lib. 2. phys. cap. 3. lect. 38. q. 8. concl. 4 [Deus concurrit immediatè cum omni causa particulari ad quemcumque effectum,&c. Iob. 10,Manus tuæ fecerunt me,&c. Ps. 146. Qui producit in montibus fœnum. Math. 6. Si fœnum agri Deus sic vestit. Ioa 5. Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. Præterea Proculus propriè dicit, quod Causa Prima influit in effectus plusquam causæ secundæ, &c. *Secundò confirmatur, quia non solùm entitas in communi conuenit rebus singulis, sed etiam omnibus eorum prædicamentis & attributis essentialibus & de omnibus eorum accidentibus prædicatur: Nam v. g. rationalis, est ens: humanitas est ens, & animalitas est ens: quare Deus etiam intima omnia, quæ sunt in rebus singulis, operatur.*

At,quid sibi vult quod ex Proculo refert idem Toletus? [Causa Prima influit in effectus plusquam causæ secundæ,] Nisi quia est illis ratio & causa agendi,quod fieri non posse per concursum simultaneum, sed per solum præuium, Prædeterminationis nomine expressum, iam toties ad satietatem vsque demonstrauimus?

Item si, *Deus, vt ait Toletus, intima omnia quæ sunt in rebus singulis operatur, omnia etiam eorum accidentia:* an non & actionem causæ secundæ Deus operabitur, quæ est verum & reale accidens(est enim nemine cogitante) quam actionem debet præcedere præuius Dei influxus, cùm omnis causa suos præcedat effectus? Ad id siquidem non sufficit concursus simultaneus, qui non in causam, nec consequenter in eius, prout à creatura est, actionem, sed in solum, simul cum illa, influit effectum: eliminato autem concursu simultaneo tanquam ad vniuersalissimam Dei causalitatem insufficiente, Præuio non angustus patet aditus.

Postea que addit idem Toletus, At vt modum, quo Deus cum particularibus causis operetur, intelligas: aduerte quadrupliciter dici aliquid causam actionis alicuius rei. Primò quia tribuit virtutem operandi sicut generans dicitur mouere graue, quia tribuit grauitatem quâ mouetur: & equus generat equum,quia tribuit virtutem semini quæ facit equum, & hoc modo Deus dicitur causa actionis rerum naturalium, quia eis virtutes quibus operentur, impertitus est. Secundo modo: aliquid est causa actionis, quia conseruat virtutem quâ aliquid operatur, vt medicina & herbæ dicuntur causa visionis, quia conseruant virtutem visiuam, & hoc etiam modo Deus est causa actionis rerum quia ipsarum esse & facultatem & omnia conseruat. Tertiò aliquid dicitur causa actionis quia applicat aliquid ad agendum, vt qui apponit ignem domui & ipsam comburit: & sic etiam Deus est causa, quia nihil mouetur sine Deo. Quartò, præter hos modos est vnus alius quartus, vt artifex penicillo pingit: ex parte effectus est vna operatio: at ex parte principiorum duplex est. nam instrumentum agit, artifex etiam agit, sed non separatim: non enim instrumentum sine artifice, nec artifex sine ipso instrumento operatur. Vide igitur quomodo actio instrumenti ab artifice dependet, & effectus ab vtroque, sed magis ab artifice. Sic te oportet, inquit, eleuare mentem & intelligere de Deo glorioso, qui cum his causis sic operatur, vt simul & ipsæ operentur,sed à Deo motæ & directæ sicut instrumenta ab artifice.] Hæc ille.

His præmissis, quid hic expositione aut applicatione opus est? Nam, quis vnquam dicat, vnum agens simul cum altero tantùm ferens pondus, aut trahens nauim(en concursus simultaneus) ad agendū applicari ab illo? Et si verba ipsa à Thomistis mutuatus fuisset Toletus,potuisset ne magis ad mentem D. Thomæ ipsam stabilire Prædeterminationem? quam dicendo *Vide igitur quomodo actio instrumenti ab artifice dependet, & effectus ab vtroque, sed magis ab artifice.* Quis ergo amplius statuat oculos suos declinare in terram hac in re, cùm moneat vir beatus, vt sic de Deo glorioso sentiamus in agendo (vt de facto sentiunt Thomistæ) qui sic operatur cum causis secundis vt simul & ipsæ operentur, sed à Deo motæ & directæ sicut instrumenta ab artifice. Et ne vllus esset ex huiusmodi applicatione Dei, de Libertatis læsione scrupulus; addit ipse Toletus. *Et quemadmodum non eodem instrumento omnia facit, sed pro diuersitate effectuum, accomodatis vtitur instrumentis. Ita Deus non idem omnibus causis facit, sed diuersis, diuersa: & concurrit cum ipsis iuxta ipsarum naturam: cum liberis, liberè: cum necessarijs necessariò, cum debilibus, debiliter: cum fortibus, fortiter, pro suâ suauissimâ dispositione vniuersali, operando.*

Et postea ibid. assignando differentiam inter Deum & alias causas, ait, *Artifex non tangit effectum nisi mediante instrumento; At Deus per suam infinitatem immediatè tangit suâ virtute effectum quemcumque, cum sit vbique essentiâ suâ præsentissimus.* Hæc Toletus.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

Ex Azorio & Almaino prædicta Prædeterminatio Thomistica confirmatur.

I. VIdisse quos hic subiiciam Authores,prorsùs superasse est: ideò nulla hic commentaria sunt necessaria: igitur Azorius lib. 1. Institut. Moral. cap. 24. in quo quæritur,quânam ratione voluntas sit suarum actionum causa? Ait *Nam vt statim subijciam, non solùm natura & facultas agendi est à Deo; sed etiam omnis motio & omnis actio eò quòd motio & actio, aliquid reipsa est: at sine Deo nihil existit aut est. Item: si motio & actio sine Deo esset, Deus ipse omnipotēs non esset, nam à creata causa aliquid existeret quod à Deo non fieret. Tertiò Deus est omnium effectuum causa proxima, ita vt nulla alia causa inter ipsum & effectum subsistat, cui soli proximè adsit Deus, & ab effectu & situ corporis interiecti discreti, nihil enim est à quo Deus loco distet: est enim vbique & in omnibus per se ipse præsens. Et cùm motio & actio cuiuscunque causæ creatæ sit reuera aliquid vt dixi; necesse est vt ipsi motioni & actioni proximè & per se sit Deus ipse præsens. Ex his etiam perspicitur, Deum esse omnium quæ fiunt, proximam causam vi & potestate; quoniam naturâ & vi suâ, non alienâ virtute agit: alioqui enim nec esset Prima omnium causa, nec infinitæ virtutis, nec omnipotens. Per se ipse agit, & non aliunde motus, ac independens, quoniam ex se & per se ipse subsistit. Et cùm in Scriptura dicitur hominem esse relictum in manu consilij sui, Eccl. 15. id propterea dicitur, quia data est homini rationis & intelligentiæ vis, quâ*

agenda & fugienda perspicere queat: & voluntas quâ sponte suâ posit eligere & sequi quod malit: Sed sine Deo operante cum homine, nec ratio perspicit, nec voluntas eligit: neque enim homini data sunt ista facultates, vt per ipsas sine Deo quidpiam vel faciat, sed vt cum Deo agat & faciat. Et hoc est quod Augustinus & Anselmus dicere voluerunt, facultates ac vires agendi esse creatas à Deo, quibus res suas functiones & opera sequuntur & prastant, sed non sine Deo.

Dices (inquit) Deum ministerio & operâ rerum creatarum facere quæ in mundo fiunt, ergo non est causa proxima omnium effectum: Et S. Thomas 1. p. q. 103. a. 6. docet Deum gubernare quædam mediis aliis causis. Respondeo solùm argumento confici Deum non solùm per se præstare quæ fiunt, sed suâ sponte & voluntate vti rerum creatarum naturis, viribus & facultatibus ad faciendum quod per se ipse, si vellet, facere posset. Dedit quidem rebus ipsis vires, quibus, dum manent, & conseruantur à Deo, possunt: sed non quibus faciant sine eo cum ipsis agente: dati sunt homini oculi & vis seu facultas quâ cernere queat, & tamen non cernit in tenebris sine lumine: datum est animantibus quo possint viuere, & tamen sine alimentis non viuunt. Aliud igitur est, te habere quo possis aliud te habere quo facias: multis datur primum, secundum non item, vt tradit Augustinus lib. de cor & gra c. 11. & 12. in operibus pietatis, gratiæ & salutis; sed idem iuris esse in operibus ciuilibus.

Vereor ne hìc tibi fiam exosus, erudite lector, aut aliquo saltem tædio afficiam: nam præ oculis habes quæ hactenus de ipsa actione causæ secundæ diximus, quam non posse esse à Deo per concursum simultaneum toties demonstrauimus: ex cuius insufficientia satis apparet necessitas præuij influxus, pro quo tuendo tantùm militamus: Quid ergo sibi vult, cùm ait Doctissimus Pater, *Non solùm natura & facultas agendi est à Deo, sed etiam omnis motio & omnis actio, &c.* Idque ex eo quod ipsa actio aliquid sit reale quod vniuersalissimam Dei causalitatem subterfugere non possit. Et ne quis diceret, vt dicunt plurimi, sic loquutum fuisse Azorium, ex eo quòd natura agentis creati esset à Deo condita, & agendi facultas eidem communicata, & ideò ipsam actionem esse à Deo, sed tantùm naturâ mediante; non verò per se & immediatè, vt volunt Thomistæ, statim adiecit Azorius, *Necesse est vt ipsi motioni & actioni proximè & per se sit Deus ipse præsens*, Quod totum deducitur ex infinita agendi virtute & omnipotentia Dei. Neque confugias ad vires habitualiter conseruatione permanentes, quia præter illas requiritur vt creatura constituatur in ratione principij actualis, quod fieri diximus solâ Prædeterminatione physicâ: ideò ait, *Quia illis datur quòd agere possint creatura, sed non quibus faciant*, Ad quod deseruit ipsius primæ causæ actualis applicatio.

II. Prosequitur idem Azorius, [Septimò quæritur an Deus agens cum causis creatis dici possit tota causa effectus, an non? Gabriel. Ocan. Grego. & alij ingenuè fatentur Deum esse causam partialem, vt ipsi vocant, non totalem, hoc est, esse quidem perfectam causam, & quæ totum effectum, non partem producat: sed non esse totam causam effectus, quia non sine causa creata, sed vnà cum ea producit effectum. Aliis hæc sententia non placet, qui sentiunt & Deum esse totam causam, & ipsam pariter causam secundam esse totam, sed vtramque causam esse sui generis & ordinis. Sciendum est causam posse dici totam multis modis. Primò comparatione effectus, & talis est ea quæ totum effectum producit & non partem ipsius, v. g. multi ligna portant, & in vnum locum coaceruant, ex quibus fit lignorum congeries: singuli suam partem detulerunt, ac proinde nullus eorum est tota causa, &c. Secundo modo dicitur causa aliqua tota, non quidem comparatione effectus, sed ipsius causæ, quia etsi totum præstet effectum, non tamen nisi cum alia causa coniuncta, quarum neutra per se satis esset, vt cum duo simul nauem trahunt, è terra simul idem pondus attollunt, vel simul trabem deferunt. Tertio modo dicitur tota causa, quæ sine alia eiusdem generis gignit effectum, quamuis non sine causa alterius generis, sic interdum quatuor genera causarum ad eundem effectum coëunt, materia, forma, efficiens, & finis. Quarto modo causa dicitur tota quæ sine alia eiusdem ordinis parit effectum, quamuis non sine alia alterius ordinis causa: talis est, secundum Aristotelem, equus qui vnà cum sole equum gignit.]

[Gabriel itaque & alij cum Aristotele docent Deum causam totam non esse eorum quæ per naturam vel per voluntatem creatam efficiuntur, quia non Deus solus per se, sed per naturam & voluntatem facit: cæteri dicunt Deum & simul ipsam humanam voluntatem, totam esse causam, quia etiam si Deus non sine homine, & homo sine Deo effectum non faciat, homo tamen quamcunque aliam causam eiusdem generis & ordinis excludit, & Deus vnà cum eo sine alia tamen eiusdem generis & ordinis causa conspirat, & ideò vterque est sui generis & ordinis tota causa, &c.

Quidquid sit, negandum non est Deum cum natura vel humana voluntate operantem, esse totam causam. Nec dicendum est causam talem esse qualis est is qui vnà cum alio trahit nauem, vel idem pondus attollit, vel simul trabem defert; quia in his, quamuis duo se inuicem iuuent, nec vnus sine altero faciat effectum, neuter tamen alteri efficiendi vim & facultatem præstat, vel alterum mouet ad faciendum, vel alteri causa est vt faciat, sed vterque cum altero facit: at Deus naturæ & voluntati ad agendum vel faciendum vim & potestatem præbet & facit vt ipsa natura & voluntas agat vel faciat, quæ alioquin nihil faceret per sese, quamuis agendi vel faciendi vim & facultatē datā & conseruatam haberet. Deus itidem quamuis sine natura & voluntate, opera & functiones earum non præstet, per se tamen ipse citra naturam & voluntatem posset præstare si vellet, atque hinc quoque efficitur, vt quamuis vnus sine altero pondus per se attollere, vel trabem deferre nequeat, tentare tamen ipse possit: at voluntas humana, vel quæcunque, alia causa creata nihil sine Deo tentare, conariue potest. Denique in duobus simul nauem trahentibus, vel trabem aut pondus deferentibus ordo non est quo vnus moueatur ab altero: at inter Deum & voluntatem siue naturam, necessarius est ordo; ita vt natura vel voluntas nihil planè efficiat, nihil possit sine Deo, nec res aliqua cogitari, fingiue potest quæ sine Deo quidpiam agat vel efficiat tùm quia nihil est creatum quod à Deo & subsistendi & mouendi & agendi principium & vim non habeat, tùm etiam quia Deus ipse est omnipotens, & ideò sicut nihil est verum quod eius scientiā latere posset, sic nulla res est, nulla actio, nulla motio, quę eius potestatem effugiat: vnde Augustinus præclarè lib 7. de Ciu. c. 29. illum Deum colimus, inquit, qui naturis à se creatis & subsistendi & mouendi initia, progressus, finesque constituit, &c.

III. Quæritur 8. An Deus quando cum natura &

voluntate operatur, ipsam moueat & applicet ad agendum? S. Thomas apertè sic ait 1. p. q. 105. a. 5. ad 3. Deus non solùm dat formas rebus, sed etiam conseruat eas, applicat ad agendum, & est finis omnium actionum. Ibidem etiam, Deus, inquit, non solùm mouet & applicat formas rerum & virtutes earum ad agendum vt artifex, sed etiam dat & conseruat.

Quibusdam difficilis admodùm videtur hæc S. Thomæ sententia, videlicet quòd Deus moueat & applicet ad faciendum causas à se creatas: nam cum ignis, inquiunt, materiam sibi obiectam exurit, immotus comburit: quod si ad exurendum moueretur & aplicaretur à Deo, non nisi in se mutatus exureret: at re ipsa nihil excipit in se cum lignum exurit. Deinde si Deus ignem ad vrendum & aquam moueret ad refrigerandum, cùm ille vrit & hæc refrigerat, Deus ipse non esset causa proxima eo quòd non ageret nisi mouendo ignem ad vrendum & aquam ad refrigerandum: priùs enim Deus in ignem & aquam motum imprimeret, quàm vnà cum igne vreret, & cum aqua refrigeraret, ac proinde causarum creatarum effectus non sic à Deo prouenirẽt quin alij effectus anteirent, &c.

Cæterùm mihi videtur verissima S. Thomæ sententia, eam enim planè videtur Augustinus tradere lib. 3. de Trin. c. 3. 4. 5. & 6. nam capite quarto ait, Nihil fit visibiliter & sensibiliter quod non de interiori, inuisibili, atque intelligibili aula summi Imperatoris aut iubeatur, aut permittatur secundum ineffabilem iustitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum & retributionum, in ista totius creaturę amplissima quadam immensaque Republica, &c. Deinde inter primam causam agentem & secundam est ordo quo vna necessariò pendet ab altera: ergo causa secunda non agit nisi à prima ad agendum mota & applicata: aduertendum est, inquit, Almainus tract. 1. mor. cap. 1. quòd causa prima non solùm est causa effectus producti à causa secunda, sed etiam est causa vt causa secunda producat talem effectum v. g. cum voluntas agit volitionem, non solùm Deus est causa volitionis, sed etiam est causa quare voluntas illam producit volitionem: hęc ille. Ideò enim dici videtur causa secunda quia mouetur à prima, alioqui enim solùm esset causa cum prima, sicut cum duo simul trabem portant, vbi, quia vnus ad portandum non mouetur & applicatur ab altero, dici non potest causa secunda alteri comparata, sed est simul cum altero, causa: at verò Deus non sic agit cum causa secunda, v. g. Deus & ignis lignum exurunt, non pręcise tanquam duo nauem trahentes, quod ex multis perspici potest. Primò cum duo simul nauem trahunt, vnus non facit vt alter trahat, sed simul cum altero trahit, & ideò ad trahendum non mouet & applicat alterum: sed Deus non solùm cum igne vrit, sed etiam facit vt ignis vrat, quia sicut ignis non subsistit nisi Deo volente & faciente vt subsistat, sic non vrit, non mouet, non efficit nisi Deus velit & faciat, vt vrat, moueat & efficiat.

Secundò cùm duo simul nauem trahunt, vno deficiente, alter non potest trahere, nisi in eo virtus duplicetur, ita vt suppleatur efficacitas alterius. Cæterum cum Deus & ignis vrunt, etiam si ignis in totum deficeret, non egeret ad vrẽdum aliquâ virtute supplente efficaciam ignis tanquam causæ ad vrendum simpliciter necessariæ, quia nulla causa deesset ad id penitùs necessaria: sed solùm ea quam Deus cum rerum naturas instituit & earum ordine seruato operatur, voluit vt secum ad vrendum conueniret, qui est ignis.

Tertiò vt rectè cum Petro Aliacensi. Gabr. (in 4. d. 1, q. 1. a. 1. nota 3. & Richardus super art. 7. de lib. arb. contra Lutherum) ait, Plus facit Deus producendo cum causa secunda aliquem effectum, quàm si eundem per se ipse sine causa secunda præstaret, quia cum facit cum causa secunda, ipse non solum producit effectum, sed etiam facit vt causa secunda cum eo efficiat quod in duobus nauem trahentibus non contingit. Cùm ignis vrit, aqua refrigerat non nisi volente Deo, & decernente vt ignis vrat, & aqua refrigeret, ille vrit & hæc refrigerat, alioqui enim ignis vreret & aqua refrigeraret solùm id sciente & permittente Deo, non autem volente, quod certè dici non potest.

Obiicies, inquit, ignis cum vrit in se nihil excipit, immotus enim, vrit, ergo Deus eum ad vrendum minimè mouet & applicat, eo enim ipso vim aliquam & virtutem imprimeret.

Respondeo, in hoc causas secundas ab instrumentis artificum distingui, quòd instrumenta artifex mouet, & in eis nullam vim & virtutem aliam nisi motionem imprimit, & ideò instrumenta immota nihil efficiunt, at causæ secundæ cum sint institutæ, vires & facultates naturæ suæ accommodatas acceperunt, quibus possent, non quibus facerent sine Deo, & ita cum faciunt non faciunt nisi Deo volente & decernente vt faciant, cum creatus est ignis, datum est illi quo posset vrere: deinde cum vrit vult & facit Deus vt vrat, nullam virtutem denuò recipit, quâ possit: nihilominùs non vrit nisi à Deo ante volente vt vrat: & motum excipit quo vrat, & præcedit Dei voluntas vt vrat: quare cum vrit, hoc habet, quoniam Deus vult, & volendo facit vt ignis vrat. Ignis igitur immotus vrit, quia nullam vim denuò aut virtutem excipit quâ possit, sed nihilominùs vrit, & hoc ipsum quod vrit, & vrendo efficit, habet, quia Deus vult vt vrat & faciat: sed nunquid quando ignis vrit; mouet eum Deus ad vrendum? mouet quidem non quia vim, virtutem, formamque vllam denuò imprimat, sed motionem, quâ Deus mouet & ignis mouetur: neque enim fieri potest vt Deus ignem moueat ad agendum, & ignis non moueatur. Quid est, dices, ignem ad vrendum moueri? Respondeo nihil aliud esse nisi Deum vti igne ad vrendum: nam Deus sine igne vrere potest: at ignem adhibet ad vrendum. Sed quid est Deum igne vti vel ignem adhibere ad vrendum? Respondeo Deum igne vti ad vrendum, est ignem mouere ad vrendum, quia vult vt vrat, & volendo motionem in igne imprimit, quâ vnà cum Deo vrit ignis motus ab ipso Deo ad vrendum. Causæ igitur secundæ à Deo ipso mouentur & applicantur ad suas functiones & opera, quoniam Deus in ipsis motionem imprimit, & ideò mouendo facit vt causa secunda faciat, quoniam vult, decernit, ac mouet vt faciat, & hoc est quod dixit S. Tho. monet & applicat causas secundas ad agendum.

IV. Dices, quid est hoc quod dicitur: Deus facit vt ignis faciat? Respondeo, nihil aliud esse nisi Deum velle vt ignis vrat eâ vi & facultate quam initio accepit: sic etiam Deus vult, vt tu hoc aut illud velis, vult vt sic, & non aliter loquaris, vult vt hoc loco & tempore disputes: vnde cùm Deus naturas cõstituit, vires agendi vel faciendi tribuit, & ideò natura quæque cum facultate sibi à Deo data & conseruata potest, sed nunquam aget aut faciet, nisi Deus velit vt agat aut efficiat, cùm igitur Deus facit vt natura faciat, non nouam tribuit facultatem & vim quâ possit, nec formam vllam quâ in se natura mutetur, sed vult vt faciat. Deum esse causam alterius ait Almainus (tract. 1. mor. c. 1.) non est nisi Deum velle vt illud sit vel fiat; hoc autem fit quia cum ignis lignum vrit, Deus non solum cum igne facit calorem quo lignum exuritur, sed etiam facit ipsam actionem qua lignum comburitur ab igne: hoc autem esse non potest nisi Deus pariter faciat vt ignis vrat, &c.

Nec in hac parte contra S. Tho. sententiam, quam

verissimam puto: Scotus, Grego. Gabriel & Dyonisius suprà citati aliquid dixerunt, quoniam solùm locis ante productis docent effectum non prius à Deo quàm à causa secunda produci, quod alium sensum habet vt constat ex dictis. Si dicas, ignis sua natura vrit, voluntas suo arbitratu diligit, ergo non solùm habet ignis sua natura quo possit vrere, sed etiam habet quo vrat, & voluntas, quo velit & eligat. Respondeo: ignis dum eius natura & vis vrendi manet & conseruatur à Deo, habet eo ipso naturaliter quo possit vrere, non tamen eo ipso habet quo vrat, alioqui semper vreret; nam sicut naturam & vim vrendi non habet nisi Deus det & conseruet; sic nec vrit nisi Deus velit vt vrat: pari ratione homo dum eius natura manet & conseruatur à Deo, liberum habet arbitrium, si mentis sit compos quo possit velle & eligere bonum, sed non eo ipso vult & eligit, nisi velit Deus vt velit & intelligat, hactenùs Azorius: Hæc omnia de verbo ad verbum prosequutus est, quæ ita sunt manifesta pro Prædeterminatione Thomistica, vt nullà egeant expositione. Quid enim aliud intelligi potest cum de causa prima ait, *Nec dicendum est talem causam esse qualis est is qui vnà cum alio trahit nauem, &c. (Nota esse exemplum quo vtuntur Authores contraria sententia apud Bellarminum ad excludendam præmotionem physicam) quia per talem concursum, neuter alteri vim & facultatem efficiendi præstat, vel alterum mouet ad faciendum, vel alteri est causa vt faciat, &c.* Quæ omnia fiunt sola Prædeterminatione physica seu concursu præuio, quo vnum agens est alteri causa agendi, &c.

Prosequere igitur Candide Lector, totum Azorij textum, quo nihil euidentius aut efficacius in negotio pro quo militamus. Modò verò Cosman Almaïnum audiamus, hoc ipsum quod intendimus efficacissimè stabilientem in 2. Sum. Philos. q. 11. a. 4. vbi inquirit.

Vtrum Deus in omni operatione secundi agentis, operetur, seu in natura & voluntate operantibus, operetur?

V. Conclusio affirmatiua probatur primò. Sicut ars præsupponit naturam, ita natura præsupponit Deum: sed in operatione artis operatur natura, sicut igne amollitur ferrum vt percussione fabri extendatur: ergo, &c.

Secundò virtus Dei est in quolibet ente, quia Deus est in omnibus rebus per essentiam, præsentiam & potentiam sed non est dicendum quod sit in rebus otiosa, nec quòd aliud quàm ipsa natura operetur, cùm non appareat ibi nisi vna operatio ergo: in qualibet naturæ operatione Deus operatur.

Respondet ex D.Tho.3 cont.Gent.c. 67. 70. 89. 1.p. q.105. a. 5. q. 3. de potentia a. 7. quòd simpliciter concedendum est Deum operari in natura & voluntate operantibus, quidquid in contrarium asserant, ita tribuentes Deo omnem naturę operationem vt nulla virtus creata aliquid operetur: sed solus Deus immediatè omnia operetur: manifesta enim hæc est veritas primò per fidem Isa. 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine: & hoc ipsum quod Salomon dicit: Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit vertet illud: ostendit non solùm Diuinam causalitatem ad potentiam voluntatis extendi, sed etiam ad actum eius: eò etiam pertinent verba illa Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere, & ad Philip. 2. Deus est qui in nobis operatur velle, & perficere pro bona voluntate. Et hac ratione frequenter in Scriptura naturæ effectus operationi Diuinę attribuuntur, quia ipse est qui operatur in omni operante per naturam vel per voluntatem: sicut illud Iob. Nonne sicut lac mulsisti me & sicut caseum me coagulasti, pelle & carnibus vestisti me, ossibus & neruis compegisti me: & Psal. Intonuit de cælo Dominus & Altissimus dedit vocem suam, grando & carbones ignis.

Secundò per authoritatem Phylosophi: arguit enim cap. 8. Eudemicæ Ethicæ: huius quod aliquis intelligat, consilietur, & eligat & velit oportet aliquid esse causam, quia omne nouum oportet quòd habeat causam aliquam, si autem est causa eius aliud consilium & alia voluntas præcedens, cùm non sit procedere in his in infinitum, oportet deuenire ad aliquod primum, huiusmodi autem primum oportet esse aliquid quod est melius ratione, nihil est autem melius intellectu & ratione nisi Deus: est igitur Deus Primum Principium nostrorum consiliorum & voluntatum.

Tertiò ratione quia Deus non solùm dat rebus virtutem, sed etiam nulla res creata potest virtute sibi data vti nisi in quantum agit in virtute Dei: illud autem in cuius virtute agens agit est causa non tantùm virtutis, sed etiam actus, vt patet in artifice in cuius virtute agit instrumentum, etiam quod ab hoc artifice propriam formam non accipit, sed solùm ab ipso applicatur ad actum: quod qualiter intelligi possit ostendendum est.

Sciendum quòd actionis alicuius rei res alia potest dici causa multipliciter: primò quia tribuit ei virtutem operandi, sicut dicitur 8. physicorum, quòd generans mouet graue & leve in quantùm dat virtutem ad quam sequitur talis motus, & hoc modo Deus agit omnes actiones naturæ quia dedit rebus naturalibus virtutes per quas agere possunt.

Secundò, quia conseruat virtutem illius in esse, conseruans enim virtutem alicuius dicitur facere actionem, sic medicinæ conseruantes visum dicuntur facere videre, & hoc modo dicitur Deus causa actionis rei naturalis quatenùs conseruat virtutem naturalem in esse ad differentiam generantis, quod virtutem tribuit graui & leui, non tamen eam vlteriùs conseruat.

Tertiò quia mouet illum ad agendum, in quo non intelligitur collatio aut conseruatio virtutis actiuę, neque coëfficientia cum ipsa re ad actionem ipsius, sed applicatio virtutis illius ad actionem, atque adeò facere vt res illa agat seu operari in illa vt agat, sicut homo est causa incisionis cultelli eò quòd applicat acumen cultelli ad incidendum mouendo ipsum: & quia natura inferior agens non agit nisi mota eò quòd huiusmodi opera sunt alterantia alterata, cœlum autem alterans non alteratum: & tamen non est mouens nisi motum, & hoc non cessat quousque perueniatur ad Deum, sequitur quòd Deus sit causa actionis cuiuslibet rei naturalis vt mouens & applicans virtutem ad agendum. Sed vlteriùs inuenimus secundùm ordinem causarum, ordinem effectuum quod est necesse propter similitudinem causę & effectus: nec causa secunda potest in effectum Causę Primę per virtutem propriam, quamuis sit instrumentum Causæ Primæ respectu illius effectus: instrumentum enim est causa effectus principalis causę non per formam vel virtutem propriam, sed in quantum participat aliquid de virtute principalis causæ per motum eius, sicut non est causa rei artificiatę per formam vel virtutem propriam, sed per virtutem artificis à quo mouetur & eam quodammodo participat.

Vnde

Vnde quarto modo vna res est causa actionis alicuius, sicut principale agens est causa omnis actionis rei naturalis, quantò enim aliqua causa est altior, tantò est communior & efficacior; & quantò est efficacior, tantò profundiùs ingreditur in effectum, & de remotiori potentia ipsum reducit in actum: in qualibet autem re naturali inuenitur quod est ens, & quod est res naturalis, & quod est talis vel talis naturæ, quorum primum est commune omnibus entibus: secundum omnibus rebus naturalibus: tertium in vna specie: & quartum, si addamus accidentia, est proprium huic indiuiduo. Hoc ergo indiuiduum agendo non potest constituere aliud in simili specie nisi prout est instrumentum illius causæ quę respicit totam speciem, & vlteriùs totum esse naturæ inferioris, & propter hoc nihil agit ad speciem in istis inferioribus nisi per virtutem corporis cœlestis, nec aliquid agit ad esse nisi per virtutem Dei: ipsum enim esse est communissimus effectus, primus & intimior aliis effectibus, & ideò soli Deo competit habere virtutem propriam talis effectus. Vnde dicitur in libro de causis, Intelligentia non dat esse nisi prout est in ea virtus Diuina. Sic ergo Deus est causa omnis actionis prout quodlibet agens est instrumentum Diuinæ virtutis operantis: sic ergo si consideremus supposita agentia quodlibet agens creatum particulare est immediatum ad suum effectum. Si autem consideremus virtutem quâ fit actio, sic virtus superioris causę erit immediatior effectui, quàm virtus inferioris; nam virtus inferior non coniungitur effectui nisi per virtutem superioris, vt dicitur in libro de causis, quòd virtus Primę Causæ prius agit in causatum & vehementius ingreditur in ipsum. Sic ergo oportet virtutem Diuinam adesse cuilibet rei agenti, sicut virtutem corporis cœlestis adesse cuilibet corpori elementari agenti: sed in hoc differt, quia vbicunque est virtus Diuina, est essentia Diuina, non autem essentia corporis cœlestis est vbicunque est sue virtus. Et iterum Deus est sua virtus, non autem corpus cœleste, & ideò potest dici quòd Deus in qualibet re operatur in quantum quælibet res indiget eius virtute ad agendum; non autem propriè potest dici quòd cœlum semper agat in corpore elementari. Sic ergo Deus est causa actionis cuiuslibet, primò in quantum dat virtutem agendi: secundò in quantùm conseruat illam: tertiò in quantum applicat eandem actioni: quartò in quantùm eius virtute omnis alia virtus agit: quintò in ratione finis, nam cum omnis operatio sit aliquod bonum verum vel apparens, nihil autem sit vel appareat bonum nisi secundum quòd participat aliquam similitudinem summi boni, quod est Deus, sequitur quod Deus sit cuiuslibet operationis causa vt finis. Quòd si coniunxerimus his quod Deus est sua virtus, & quod est intra quamlibet rem, atque adeò intra quamlibet operationem & effectum rei per essentiam, præsentiam & potentiam, neque ibi sit vel tanquam pars rei, vel otiosa, sed sicut operans id quod operatur creatura ipsa, sequitur quòd sexto modo sit Deus in qualibet operatione agentis, & in quolibet eius effectu per coëfficientiam & cooperationem cum creatura operante.

Obiectiones.

VI. QVando Deus aliquam naturam instituit, dat ei omnia quæ sunt de ratione illius naturę, sicut hoc ipso quòd facit hominem, dat ei animam rationalem; sed de ratione virtutis est, quòd sit principium agendi, cum virtus sit vltimum potentiæ, quæ est principium agendi in alio secundum quod est aliud, vt dicitur 5. Met. c. 17. ergo.

Secunda, Si Deus in natura operante operatur, oportet quòd operando, aliquid rei naturali tribuat, nam agens agendo, aliquid actu facit, aut ergo illud sufficit ad hoc quòd natura possit per se operari, aut non; si sufficit, cum etiam virtutem naturalem Deus naturæ tribuerit, eadem ratione potest dici quòd & virtus naturalis sufficiat ad agendum, nec oportebit quòd Deus vlteriùs ad eius operationem operetur aliquid. Si autem non sufficit, oportebit quòd aliquid aliud iterùm faciat, & si illud non sufficit, iterum aliud, & sic in infinitum, quod est impossibile: ergo standum est in primo, quòd virtus naturalis sufficit ad operationem.

Tertia, Liberum est quod causa sui est, vt dicitur in principio Met. quod ergo non potest agere nisi causâ in ipso agente, non est liberum in agendo: sed voluntas est libera in agendo: ergo, &c.

Responsiones.

AD primum dicendum, quòd de ratione inferioris virtutis est, quòd sit operationis principium in suo ordine, id est, vt agat vt instrumentum superioris virtutis, & tanquam agens secundum subordinatum primo.

Ad secundum dicendum quòd virtus naturalis rebus naturalibus in sua institutione collata inest eis vt quædam forma habens esse ratum & firmum in natura, sed id quod à Deo fit in re naturali quo actualiter agat, est vt intentio sola habens esse quoddam incompletum per modum quo colores sunt in aëre & virtus artis in instrumento artificis: sicut ergo securi per artem dari potuit acumen vt esset forma in eâ permanens, non autem quòd vis artis esset in eâ quasi forma quædam permanens nisi haberet intellectum, ita rei naturali potuit conferri virtus propria vt forma in eâ permanens, non autem vis qua agit ad esse vt instrumentum Primæ Causæ, nisi daretur ei quòd esset vniuersale principium essendi, nec iterum virtuti naturali conferri potuit vt moueret seipsam nec vt conseruaret se in esse, vnde sicut instrumento artificis conferri non potuit quòd operaretur absque motu artis, ita rei naturali conferri non potuit quòd operaretur absque operatione Diuina.

Ad tertium dicendum quòd non quælibet causa excludit libertatem, sed solùm causa cogens & necessitans: sic autem Deus non est principium operationis liberæ. Vnde voluntas dicitur domina sui actus, non per exclusionem Causæ Primæ, sed quia Causa Prima non ita agit in voluntatem vt eam de necessitare determinet ad vnum, sicut determinat naturam.] Hæc Almaïnus, seu vt veriùs loquar Doctor Angelicus ore ipsius, quem de verbo ad verbum exscripsit verus ille Doctrinæ Thomisticæ discipulus, qui inter celeberrimos Authores Societatis optimè audit.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

Ex Henriquez & Pererio roboratur Thomistica Prædeterminatio.

I. Adsunt (*inquit, Henriques in Summa Theol. Moral. Mogunt. ex typo. Ioa. Albini lib. vlt. de fine hominis c. 3*) *in mente Diuinâ idea : est autem idea in homine, ratio obiectiua* (*ad modum verbi*) *intra intellectum, ad quam artifex attendens efficit exemplatum. Posita Diuina voluntatis & prouidentia determinatione aut permissione, Deus ab æterno videt, quæ vel solus in tempore est creaturus, vel bona quæ per causas secundas naturales contingentes aut liberas fient in aliqua temporis differentia : & videt mala moralia, quæ per homines Deo permittente fient liberè in tempore, quorum Deus Author non est, &c.*

Dicitur idea rei singularis, & repræsentat Petrum esse aut actum humanum esse, quatenus post voluntatis & potentia Diuina determinationem, est similitudo & causa vt Petrus, aut eius actus humanus sit.

Idem Henriqes ibid. c. 6 ait, *Nec tam difficile est intelligere, vt quidam putant, quod saluo vsu libera nostrâ cooperationis, Deus temperans vim sui concursus, efficaci auxilio moueat, tùm physicè ex parte potentia nostra, tùm moraliter ex parte obiecti : ita vt stante illo efficaci auxilio præueniente, infallibile sit* (*quæ infallibilitas pertinet ad scientiam Dei*) *hominem agere, & tamen liberè agit vt dicitur cap. 14. sect. 5. Tanta est enim Diuina voluntatis prouidentia & motionis efficacia ac suauitas sapientia, vt prouideat, agatque & rem ipsam & modum ipsius : id est, prouidet vt ab homine fiat actus seu effectus, & liberè fiat cum omnibus circonstantiis loci, temporis & modi, &c.*

Cumque sibi obiecisset Henriq. quomodo stet libertas cum illa causa efficaci ex qua infallibiliter sequitur effectus?

Respondet primò, *Antecedens esse causam rei non vttumque, sed rei cum suo modo libero, atque ita infert effectum liberum; alioquin Deus nòn assequeretur modum quem suâ prouidentiâ & suaui motione intendit, nempe vt effectus in exercitio liberè fiat per causam proximam.*

Deinde addit quod, *Efficax illa motio si consideretur vt est in se, licet non sit in voluntate meâ, quatenus tamen attingit effectum, non sola sed nobiscum, ipsa vt sic, seu ipse effectus est in libertate meâ, quia effectus sic ita simul pendet à me tanquam à causa proximâ, vt in sensu diuiso possit impedire effectum & non cooperari : cum nihil sit quod voluntatem meam ex parte potentia aut ex parte obiecti necessitet ad actum, Deo suauiter & saluâ hominis libertate concurrente, &c.*

Verè ergo, inquit Henriq. Beatus Thomas primam radicem & causam effectuum contingentium aut liberorum asserit esse Dei voluntatem & liberam determinationem ac suauem motionem quam sapienter attemperat nostra voluntati saluâ eius libertate, &c.

Hæc sententia, inquit, est sacris Scripturis ac Patribus consentanea, vt saluâ libertate hominis, Deus non solùm quosdam, sed omnes liberos hominum actus bonos cum suis bonis circonstantiis prædefiniat, &c.

Porrò ea, inquit, Prædeterminatio antecedens quamuis è natura rei non esset necessaria, vt fierent singula bona opera (*aiunt enim quod liberè quædam faceret homo relictus communi concursui causarum, quamuis Deus antecedenter id non prouidisset*) *pertinet tamen ad rationem perfecta prouidentia qualis est in Deo, ne quid actu contingat, quod non deceat maximè fieri ad gloriam Dei & bonum vniuersi.*

Et ibidem cap. 14. docet, *Gratiam per modum transeuntis, quæ est motio Dei cum auxilio speciali, stare simul cum libero vsu nostra voluntatis.*

Posteaque subiungit sextò [Respondeo quòd præter omnes actus nostræ voluntatis & moralem motionem quâ homo ex parte obiecti excitatus, datur auxilium gratiæ præuenientis ex parte potentiæ quo Deus de se actiuè mouet, impellit nudam voluntatem (quæ nondum intelligitur habere habitum infusum charitatis aut pœnitentiæ) & voluntas sic mota cooperatur liberè ad actum supernaturalem contritionis propter Deum summè dilectum & ad liberam receptionem donorum quibus impius iustificatur. Quia omnis adultus in quacumque hora aut momento temporis habet præparatum gratiæ auxilium quantùm est ex parte Dei, &c.

[Nec expectat Deus voluntatem nostram vt per solam vim naturæ præstans homo quod in se est, præueniat omne auxilium gratiæ, quasi initium fidei aut iustitiæ sit ex nobis, &c. Deus in eo quod de se semper adhibet eam primam motionem voluntatibus nostris & eis assistit, non fatigatur & tota die expandit manus suas Isa. 65. &c.

[Et efficax motio Dei ac inclinatio quæ cum plena cognitione voluntatem determinat ad finitum bonum, non tollit, sed perficit libertatem nostram,] hactenùs Henriquez.

II. Pererius verò lib. 8. de causis c. 7. inquirens vtrum causa vniuersalis, præsertim autem Prima quæ est Deus, necessariò concurrat actu cum causa particulari ad quemlibet eius effectum & operationem,

Habet quæ sequuntur. [Altera est opinio Diui Thomæ quodlib. 3 & aduersus Gent. c. 67. & 1. p. q. 105. a. 5. qui ait Deum actu concurrere ad quamlibet actionem causarum secundarum quinque modis : ipse enim vires & facultates agendi dedit causis secundis : ipse illas facultates sustentat & tuetur in esse & vigore : ipse applicat causas secundas ad agendum : ipse dirigit eas in agendo vt ad fines suos ipsis ignotos ordinatè perueniant : ipse denique determinat eas ad agendum & mouet sicut principale mouens instrumenta mouet & regit in operando. Hanc opinionem eâ potissimùm ratione probat quod in mouentibus per se ordinatis inferius non mouet, nisi motum à superiori : ex quo Aristoteles lib. 2. Metaph. concludit, huiusmodi mouentia esse non posse infinita, quia motio priorum mouentium, cùm ipsa sint infinita, nunquam perueniret ad vltimum mouens, quod tamen sine motione priorum mouentium, mouere non potest, &c.

Et infrà loquens idem Pererius de opposita opinione quæ est Durandi, ait, *Argumenta verò Durandi & multò ante Durandum D. Thomas vt erat acerrimo ingenio, præuiderat, & locis paulò suprà citatis, omnia sigillatim & propriè soluit.*

[Hæc Doctrina (inquit Pererius) in eo quod ait D. Thomas Deum actu concurrere ad quamlibet secundarum causarum operationem, non est opinabilis & probabilis tantùm, sed est omninò vera, certa & indubitata : de qua fas non est Christiano Philo-

sopho dubitare ? Etenim sæpenumero in Diuinis litteris scriptum legimus, nihil fieri vel magnum, vel paruum, vel in Cœlo, vel in Terra, vel vsquam alibi sine voluntate, rectione & concursu Dei. Hinc sunt illa. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. Et ipse operatur in nobis velle & perficere, Philip. 2. Sine me nihil potestis facere, Ioa. 15. In ipso viuimus, mouemur & sumus, Act. 17. & Isaias hominem facit comparationem Dei tanquam securim comparatione artificis. Solet etiam sacra Scriptura operationes, effectionesque causarum secundarum Deo authori tribuere, vt ostendat eas principalius à Deo, quàm à causis secundis proficisci. Quocirca Deum, inquit, formare corpus hominis, singulaque membra manibus suis fingere, & suo quæque loco aptè disponere: solis ac lunæ, cæterorumque sydetum cursus moderari, fundere imbres, concitare ventos, accendere fulgura, terram tremefacere, animantibus cibum, vitamque largiri.

III. [Hanc etiam ob causam Theologi aiunt Deum esse in omnibus rebus per præsentiam & potentiam, quia cognoscit omnia, & vis atque efficacitas eius per omnia pertinet atque peruadit. D. etiam August. lib. 9. sup. Gene. ad litt. c. 15. ait, Si Deus subtrahit operationem suam intimam quâ naturam creatam sustinet, continuò tanquam extincta, nulla remanebit.] Et paulò post, *Nisi Deus continenter operetur, nec aliarum rerum, nec ipsorum Angelorum natura subsistet. In eo autem quod adiungit D. Thomas causas secundas & in his voluntatem nostram à Deo moueri, applicari & determinari ad volendum, licet nonnulli dissentiant Theologi: Ego tamen manibus pedibusque in eam sententiam perquàm libenter eo: hoc enim est ingenium, hæc conditio, hic nexus atque contextus mouentium & causarum per se & essentialiter subordinatarum, vt posterior non moueat nisi mota à priori: In ordine mouentium inquit Aristoteles 8. Phys. text 41 quod prius est, magis est causa mouendi, quàm sequens & mouetur magis. Et in libello de causis, propositione Prima, dicitur, Causa Prima plus, vehementius, intimiùs & inseparabiliùs concurrere ad effectus causarum secundarum, quàm ipsas causas secundas, & iuuare causas secundas in operationibus ipsarum, & magis esse causam effectus quam causas secundas. Quemadmodum igitur in aliis causarum generibus per se subordinatis inuicem, posterior causa necessariò præsupponit causalitatem priorum, veluti in formis esse sensitiuum præsupponit vegetatiuum, & hoc, esse corporeum: & in materiis, secundę præsupponunt primam: idemque in finibus per se subordinatis euenit: sic etiam in mouentibus & efficientibus per se inuicem subordinatis posterius necessariò præsupponit primum, & causæ primæ causalitas prior naturâ est quàm causalitas causæ secundæ. Quid multa? Causę secundæ comparatione Dei, sunt tanquam instrumenta artis comparatione artificis, à quo nisi moueantur & ex arte regantur, nec mouere quidquam nec facere artificiosè aliquid possunt.*

Et cap. 9. vbi soluit obiectiones oppositas Doctrinæ Thomisticæ, ad primam ait, [Licet ignis (quod autem de igne dicimus, idem quoque in cæteris causis secundis intelligendum est) vt est causa secunda & particularis, sit per se sufficiens ad producendum ignem, propterea quia non indiget alterius causę secundę concursu & auxilio ad illum effectum producendum: absolutè tamen & simpliciter non est per se sufficiens, ita vt causæ primæ concursu non egeat. Ergo sufficientia ignis, excludit quidem indigentiam alterius causæ secundæ ac particularis, non excludit autem, nec verò potest excludere indigentiam Diuini concursus & dependentiam à causalitate Dei. Etenim Deus, tum quia est infinitus, infinitum autem vbique est, in omnibus rebus operatur: tùm quia est prima causa & ens per essentiam, cætera verò sunt causæ secundæ illi tanquam instrumenta Diuinæ sapientiæ subiecta, sicut in existentia dependent ab illo, sic etiam in operando. In eo enim vel maximè consistit ratio creaturæ, vt sicuti ex nihilo creata fuit à Deo, ita nisi perpetuò quasi manu Dei teneatur & iuuetur, nihil agere, nihil esse possit. Non igitur superuacaneus est concursus Dei cum causis secundis, sed est quàm maximè necessarius.

Ad secundam, Quemadmodum si ego aliquid calamo scribam, vel serra lignum secem, illa scriptio & sectio tota quidem fit à calamo & serra instrumentaliter: eadem verò tota etiam fit à me tanquam à principali agente à quo illa instrumenta ad operandum mouentur, determinantur & diriguntur, sic etiam quilibet effectus causæ secundæ, totus à causa secunda conficitur, idemque totus proficiscitur à Deo in cuius virtute operatur causa secunda, quę nisi ad agendum à Deo determinaretur, moueretur & dirigeretur, nihil planè posset agere.]

Ad tertiam, [Licet, inquit, voluntas nostra nihil operetur nisi mota & determinata à Deo, quia tamen mouetur à Deo conuenienter suæ naturæ, & vt suaptè natura apta est moueri, hoc est non necessariò sed liberè, ideò verè dicitur verèque est libera. Si enim voluntas ita moueretur, vt ipsa se nullo modo moueret & ad agendum determinaret, omnis profectò meriti & demeriti libertatis ratio funditùs tolleretur, sed quia Deus eam sic mouet, vt ipsa nihilominus simul etiam se ipsam moueat, & per suam deliberationem se determinet ad agendum hoc vel illud quidpiam, ob eam causam meritò appellatur libera & verè est libera. Non enim intelligendum est voluntatem esse liberam omninò, ita vt à nullo dependeat, nullique subiiciatur, hâc enim libertate solum Deum liberum esse cognoscimus, quippe qui sit omninò liber, à nullo dependens, nullius indigens, nulli subiectus, per se sufficiens ad omnia: hæc autem libertas in nullam creaturam potest conuenire; ratio enim cuiusuis creaturæ necessariam & inseparabilem continet dependentiam eius à Creatore, tam in existentia, quam in operatione. Ergo libertas nostræ voluntatis ea est quæ potest competere creaturæ, nempe quæ separat & distinguit voluntatem ab agente naturali. Quadruplex autem discrimen reperitur inter voluntatem & agens naturale: etenim agens naturale determinatum est ad effectum & operationem vnius modi, quæ enim sunt vnius speciei, ea omnia cernimus eadem ferè, eodemque modo semper operari: voluntas verò hominis est indifferens & indeterminata ad omne bonum, hoc est ad omne ens, nam bonum tàm latè patet quàm ens. Habet etiam voluntas triplicem in operando varietatem, aut volendo, aut suspendendo aut nolendo, & cohibendo omnem actum suum.

IV. Deinde omne agens naturale per se pendet effectiuè ex motu & causalitate Cœli: voluntas autem effectiuè à nulla re præterquam à Deo per se pendet, nisi fortè per accidens secundum quid, indirectè, & (vt loquuntur nunc Philosophi & Theologi Scholastici) inclinatiue tantùm, non autem necessariò: postea adhibitis positisque omnibus rebus quæ ad agendum ex parte obiecti requiruntur, ita vt nihil desit, nihil obstet, agens naturale non potest non agere: at voluntas etiam tunc potest agere vel non agere, & agere illud quod ei proponitur, vel etiam contrarium. Postremò agens naturale non mouet & determinat se ad agendum cognoscendo & deliberando & eligendo id quod agit, quod tamen facit in omni sua operatione voluntas nostra. Ex quo fit vt vnus omnium animalium homo verè sit Dominus suarum actionum, & vt suis actionibus apud Deum & homines

aut benè aut male mereri queat, &c.

Et ibidem cap. 10. sequenti, inquirens vtrum effectus plus tribui debeat causæ vniuersali quàm particulari? Respondet [Plus debere vniuersali quatenus ab ea pendet non solùm in fieri veluti à causa particulari, sed etiam in esse & operari, quandiu enim est & quotiescumque operatur, eget concursu & ope vniuersalis causæ. Debet autem plus causæ particulari quatenus accipit & habet ab ea conditionem, speciem & gradum naturæ, eique assimilatur: namque effectus naturalis est contingens & corruptibilis, non propter causam vniuersalem quæ est necessaria & incorruptibilis, sed propter causam particularem, &c. Quamuis, inquit, causa vniuersalis sit agens principalius quàm particularis: non ob id tamen negandum est, quin etiam causa particularis appellari debeat agens principale potiùs quàm instrumentarium, quandoquidem effectus, vt paulò ante dictum fuit, assimilatur causæ particulari secundum quidditatem, secundum esse, secundum modum operandi, & secundum proprietates & accidentia, eiusque perfecta cognitio præcipuè pendet ex notitia causæ particularis, quod sanè in agens quod est verè & tantummodo instrumentarium, minimè conuenit.] Hactenus Pererius.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Denique ex Canisio & Salmerone eadem Prædeterminatio probatur.

1. Hic quantus, qualisque Achilles, eius ex armis iudicandus: etenim cum vix quidquam aut modicum ex semetipso protulerit Canisius, vtpote cuius egregium opus, totum sit ex alienis confertum testimoniis quibus sapientissimè ad stabiliendum & probandum id quod intenderet vsus sit, ex iisdem de illius mente conjiciendum, & tam euidens est & efficax id totum quod congessit quantum ad præsens spectat negotium Doctissimus Pater, vt nihil amplius supersit desiderandum: nam supposito hoc vno quod non iam semel diximus, idem scilicet esse omninò sentiendum de Prædeterminatione physica, quod de gratia præueniente asseritur in ordine supernaturali, iam iam nullo negotio claret id quod intendimus, argumento scilicet à simili de quo ipsi Prædeterminationis aduersarij minimè dissentiunt, qui in eam potissimùm insurgebant, vt diruto hoc veræ Philosophiæ fundamento, faciliùs suaderent nullum admittendum esse gratiæ præuenientis per se efficacis auxilium quod per se voluntatem præueniret, illamque immutaret, ac sic illam adiuuaret vt illi vires præberet, quod fieri non potest cócursu simultaneo sed solo præuio. Canisium igitur audiamus propriam alienis verbis mentem aperientem.

Primò, De peccato Adæ in omnes, Sanctum Prosperum in responsionibus ad capitula obiectionum Gallorum c. 8. sic loquentem inducit, *Dicamus gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, non solùm ad cognoscendam, verùm etiam ad faciendam iustitiam nos per actus singulos adiuuare, ita vt sine illa nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere & agere valeamus. Neque hæc dona ita ex Deo esse opinemur, vt quia ipse naturę nostræ author est, per conditionem iam hęc contulisse videatur. Quia dedit quidem ab initio hanc homini facultatem: sed omnes eam in illo amisimus, in quo omnes peccauimus. Vnde alia creatione, alioque principio renouari egemus in Christo, in quo sumus noua creatura, nouumque figmentum, & per quem nobis, nullis bonis, & multis malis meritis præcedentibus donatur, vt simus ex vasis iræ vasa misericordię.*

Secundò, Idem Canisius Sanctum refert Fulgentium de Incarnatione & gratia Christi cap. 18. [Si secundum opinionem illorum, nostrum est credere, priùsquam nos Dei gratia incipiat adiuuare, iniustè gratia dicitur, quia non gratis datur homini, sed bonæ retribuitur voluntati, hanc enim (sicut illi volunt) gratia in nobis inuenit, quam ipsa non dedit, immò si sic est, nos Deo priores voluntatem damus, atque ita gratiam non miseratione tribuentis, sed æquitate Dei retribuentis accipimus. Verumtamen quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Nemo vtique. Quia non potest homo accipere quidquam nisi datum fuerit de Cœlo. Quid enim habet quod non accepit? Si autem accepit, quid gloriatur quasi non acceperit: non autem misericordia Dei aliquando præuenit hominem, si nunquam bonam fecit, sed expectat vt inueniat voluntatem. Et vbi est quòd Dauid dicit. Deus meus, misericordia eius præueniet me. In quo autem Dei nos misericordia præueniat, vel præueniens quales inueniat, non in quolibet alio, sed in se nobis Gentium Magister ostendit dicens: qui priùs fui blasphemus & persequutor & contumeliosus, sed misericordiam consequutus sum quia ignorans feci in incredulitate.

Tertiò, Loquens de necessitate præparationis ad iustificationem in adultis, sanctum itidem refert Augustinum serm. 13. de verbis Apo. vbi ait, [Cùm enim dixisset si spiritu actiones carnis mortificaueritis, viuetis: ne hìc se extolleret humanus Spiritus, & ad hoc opus se idoneum firmumque iactaret, subiecit & ait, Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi Filij sunt Dei. Quid te ergo iam volebas extollere, vbi audisti, Si spiritu actiones carnis mortificaueritis, viuetis. Dicturus enim eras, hoc potest voluntas mea, hoc potest liberum arbitriú meum. Quæ voluntas? quod liberum arbitrium? nisi ille regat, cadis: nisi erigat, iaces: quomodo ergo spiritu suo, cum audias Apostolum dicentem, Quotquot enim Spiritu Dei aguntur hi Filij sunt Dei? Tu te vis agere, à te ipso vis agi ad actiones carnis mortificandas? Quid tibi prodest quia non eris Epicurus & eris Stoicus? Siue Epicurus eris, siue Stoicus eris, inter Filios Dei non eris. Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi Filij sunt Dei, non qui secundum carnem suam viuunt, non qui secundum spiritum suum viuunt: non qui carnis voluptate ducuntur, non qui spiritu suo aguntur, sed quotquot Spiritu Dei aguntur, hi Filij sunt Dei. Dicit mihi aliquis, ergo agimur, non agimus. Respondeo, immò & agis & ageris: & tunc bene agis, si à bono agaris, Spiritus enim Dei qui te agit, agentibus adiutor est, ipsum nomen adiutoris præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis: agnosce quid poscas, agnosce quid confitearis, quando dicis, Adiutor mèus esto, ne derelinquas me; adiutorem vtique inuocas Deum. Nemo adiuuatur si ab illo nihil agatur; quotquot enim, inquit, Spiritu Dei aguntur hi Filij sunt Dei, non littera sed spiritu, non lege præcipiente, inuitante, promittente, sed spiritu exhortante, illuminante, adiuuante.] Adiuuat autem Deus vires præbendo, quod fit concursu præuio non simultaneo, quo vnum agens non influit in alterum sed simul cum illo in effectum: Quod autem ita sentiat Sanctissimus Præsul, patet ex sequenti testimonio lib. 1. de Prædest. Sanct. c. 3. [Quia neque

velle possumus, inquit, nisi vocemur: & cum post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra, & cursus noster, nisi Deus & vires currentibus prębeat, & perducat quò vocat.

II. Idem confirmat Canisius (loquens de modo prædictæ præparationis pag. 1753.) ex Conc. 2. Arausic. can. 5. vbi dicitur, [Si quis, sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsum credulitatis affectum quo in eum credimus, qui iustificat impium & ad regenerationem baptismatis peruenimus, non per gratiæ donum, id est per inspirationem Spiritus Sancti corrigentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, & naturaliter nobis inesse dicit, Apostolicis dogmatibus aduersarius approbatur, beato Paulo dicente; Confidimus, quia qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet vsque in diem Domini nostri Iesu Christi.

Denique vt nemo dubitet quin ipsum possit Deus operari voluntatis nostræ motum seu efficere vt velit, non expectando vt velit, sed efficiendo, idque sine libertatis præiudicio, pro quo vnico metuunt contrariæ opinionis authores: ponderet prudens lector quæ ab eodem Canisio referuntur, Diuum siquidem Prosperum lib. 2. de voca. Gent. c. 27. sic loquentem inducit, [Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in Cœlis est: qui in cordibus trahendorum hoc egit vt crederent, hoc effecit vt vellent; non enim esset vnde traherentur, si sequaces fide & voluntate non essent: quoniam qui non credunt, nec trahuntur omninò, nec veniunt, nec accedunt qui dissentiunt, sed recedunt: qui ergo veniunt amore ducuntur, dilecti enim sunt, & dilexerunt, quæsiti sunt, & quæsierunt, & quod Deus eos voluit velle, voluerunt.

Et ne quis ad solam motionem moralem (quam toties vt insufficientem reiecimus) confugiat, non spernat quod ab eodem Canisio ex Conc. Milleuit. c. 4. refertur, [Quisquis dixerit eâdem gratiam Dei per Iesum Christum Dominum nostrum, propter hoc tantùm nos adiuuare ad non peccandum, quia per illam nobis reuelatur & aperitur intelligentia mandatorum, vt sciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, vt quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus atque valeamus, Anathema sit.

Eò etiam collineat quod ab eodem Canisio ex Theophilacto c. 2. Euang. secundum Marcum est excerptum in hęc verba, Surge & tolle grabatum tuum, [Ad maiorem, inquit, miraculi confirmationem, quòd non apparenter sanatus sit, & ad declarandum quòd non solùm sanarit, sed & virtutem indiderit, sic quoque facit & in morbis animæ; non solùm liberat nos ab infirmitatibus, sed etiam virtutem infundit vt operemur mandatum.

Et vt os vndequaque omnibus obstruatur, nullusque fiat recursus ad quædam Scripturæ sacræ testimonia quibus perperam Prædeterminatio Thomistica impugnatur, legat eundem Canisium c. 5. de iustitia Christiana, cùm de peccatis pag. 815. loquitur, vbi referens illud: Conuertimini & viuetis, & similia, asserit hæc intelligenda esse iuxta mentem D. Augustini lib. de gratia & lib. arb. ad Valent. c. 15. quod iam suprà retulimus, ostendens quomodo Deus iubet præbendo vires efficacissimas voluntati, quomodo facit Deus vt faciamus, quomodo ponat custodiam ori nostro, efficiendo scilicet vt ponamus, quod beneficium (inquit D. August.) iam fuerat consequutus qui dixit, Posui ori meo custodiam: Quotiescumque igitur dictum conspicitur (inquit Canisius) v. g. Nolite obdurare corda vestra, &c. Hoc idcircò sic ennuntiatur, vt libertas creata exprimatur, seu vt ait ipse, *Ne putetur, nihil ibi facere ipsos homines per liberum arbitrium*. Nihil ergo affertur ex sacra Scriptura quod prædictæ Prædeterminationi Thomisticæ aduersetur, dummodo ritè intelligatur, ritè autem intelligitur, si eo in sensu accipiatur, quo à sanctis Patribus exposita perhibetur, præsertim ab Angelico Doctore Diuinæ voluntatis interprete iam toties laudato, eiusque Sanctiss. Præceptore qui in Enchi. ad Laurentium cap. 32. loquens de modo quo Deus concurrit cum agentibus liberis, ait, *Nolentem præuenit, vt velit: volentem subsequitur, ne frustra velit.*

III. Finem huic libro imponet Salmeron, qui vnus fuit ex tribus quos Beatissimus Patriarcha Ignatius misit ad Concilium Tridentinum, quosque per litteras monuit ne vllam nouam opinionem amplecterentur: hic igitur Pater qui nemine dissentiente meritò secundus à Beatiss. Ignatio eiusdem sacræ Societatis fundatore, & legitimus interpres Doctrinæ in Tridentino agitatę, in quo præsens fuit, hęc habet disp. 19. in Epist. ad Rom. explicans illa verba: Quos præsciuit & Prædestinauit, &c *Illos, inquit, amauit, non ad aliquod bonum temporale, sed ad supremum Cœlestis gloriæ: nec ad tempus, sed vsque in finem dilexit eos, id est, firmâ suâ & immobili prædeterminatione per certa media quasi serie quadam instituit vt possent ad gloriam peruenire.* Hæc ille.

Potuissem nonnullos alios ex eâdem Societate prædictis adiungere vt Thiphanium qui in libro de priori & posteriori cap. 55. pag. 358. subtilissimè prędictam Prædeterminationem physicam probat: immediatumque Dei concursum tàm cum causis liberis, quàm cum necessariò agentibus deffendit: autumans nihil interesse, an is, re idem sit cum concursu causæ secundæ & cum ipso effectu qui producitur (vt ille existimat) an ab vtroque distinctus re aut modaliter, vt nonnulli volunt.

Legatur omninò, nominatim verò pag. 362. vbi egregiè insinuat quàm apta sit hæc D. Thomæ doctrina ad ingenerandam in nostris animis, & alendam nostram erga Deum reuerentiam & gratitudinem, quantùmque Dei potentiam & beneficentiam erga nos commendet: oppositâ verò opinione, & orandi studium, & debitum Deo honorem, omnemque gratitudinis erga Deum, sensum in hominum animis facilè extingui.

Denique pag. 360. causam deceptionis cuiusdam Ludouici à Dola aperit, ex eo scilicet quod existimaret ille, Deum non agere per se & immediatè, nisi cum solus ageret, aliquidque efficeret: cum tamen in rei veritate, longè alius sit conceptus agentis solius, à conceptu agentis immediatè. Agens enim solum, omnis alterius agentis societatem excludit: immediatum verò hoc non dicit, sed tantùm negationem medij & distantię, tam suppositi, quàm virtutis, ab effectu & subiecto patiente in quod agit: vnde si duæ candelæ penetratiuè simul existentes idem lumen in vicinum corpus producerent, quælibet immediatè & proximè, nec tamen sola produceret. Igitur Deus non solùm quando solus, sed etiam quando cum causis secundis aliquid efficit, id per se proximè & immediatè producit, ita D. Thomas lib. 3. contra Gent. cap. 70.


IV. Quid ad hæc, Candide Lector: potest ne absque pertinaciâ ac manifesto voluntariæ cæcitatis vitio Thomistica negari Prædeterminatio, cùm non solùm omnes ad vnum Thomistæ innumerabiles, sed & ipsi Thomistarum Æmuli hanc tàm apertè tuean-

tur. Profectò non arbitror vllum esse modò vel in ipsa Societatis IESV Religione, qui tàm alta audeat sapere, vel tantam habeat sufficientiæ suæ æstimationem, qui posthabitis Patrum suorum suffragiis, quales sunt, Salmeron: Canisius: Henriques: Pererius: Almanïus: Azorius: Toletus: Bellarminus, &c. (Qui omnes sunt velut columnæ Societatis prædictæ, ac celebriores eius Doctores) priuatæ iamiam audeat adhærere opinioni in impugnandâ Prædeterminatione Thomisticâ, quam omnes illi cum Thomistis (ne dicam cum toto ferè Doctiorum agmine totius orbis) amplexati sunt, tanquam Filij obsequentissimi præceptis Sancti sui Patriarchæ Ignatij de sequendâ Diui Thomæ Doctrinâ, quæ hac in parte, meridianâ luce apparet euidentior.

Sed, inquies, Thyphanius ille (quem pro te adducis) in eadem Societate vir subtilis, & suæ vt fertur Prouinciæ quondam Præpositus, quo tempore, cum Thomistis quantùm ad Doctrinam hac in parte fœdus iniuit, non eodem modo quo reliqui Thomistæ videtur Prædeterminationem physicam explicuisse; nam lib. de priori cap. 63. in fine, ait [Motio quâ Deus causas secundas mouere dicitur, aliud nihil est, quàm ipsarum applicatio & vsus ad earum effectus cum illis & per illas producendos; vel est ipsa causa secunda prout Deus cum illa & per eam effectum attingit.

At, quis nesciat, non vnâ viâ veritatem adiri, plurimumque ad eius gloriam referre si diuersis muniatur præsidiis & plures habeat vindices, qui diuerso armorum genere eam tueantur? Sed de hoc satis.

Finis Libri Secundi.



LIBER TERTIVS.



MINVS efficax esset id totum quod hactenùs pro stabilienda Prædeterminatione Thomistica protulimus, nisi statim, & quibusdam obiectionibus quæ contra eam fieri possent, hic opportunè occurreremus: & quamuis sufficientem huic responsioni occasionem præbuisse videatur liber ille, cui hæc speciosa Epigraphe præfixa est: Defensio Sancti Thomæ, &c. Verumtamen, quia plura Sancti Doctoris testimonia, aut non legit Author præfatæ defensionis, aut de industria dissimulauit, hæc & alia, quæ vndequaque obijci possent contra prædictam Prædeterminationem dissoluenda afferemus, si prùis officiosam hanc Defensionem traduxerimus: & ne vlla sit eius vel syllaba quæ in trutina attentè non appendatur, ab ipsius præfatione exordiemur, in quâ, differens Defensor de Prædeterminatione physica, & de quadam alia, (quam non solùm non propugnamus, sed libentissimè reiicimus) de Thomistica sic ait, *Et quidem prior explicare nequit, quidnam sit illa motio virtuosa quâ voluntas dicitur præmoueri ad suos actus, &c.* Vnde sit.

CAPVT PRIMVM.

In quo manifestè explicatur id quod Defensoris iudicio dici non posse existimatur, falsumque esse conuincitur id quod in prædicta Defensione Thomistis imponitur.

I. QVamuis ex Philosopho de omni re semper præmitti debeant duæ illæ quæstiones, an scilicet res sit, & secundò quid sit? Attamen ex eo quod minimè aut vix dici possit, quid res aliqua sit, non continuò inferendum est illam non esse: quod sanè adeò verum est & indubitatum, vt (missis innumeris rerum naturalium exemplis) diù, multùmque de ipsa luce (quâ nihil euidentius) sit dubitatum, quid hæc esset, peritissimosque diù latuerit Philosophos, num esset illa accidens vel substantia, cum tamen eorum nullus dubitaret, num lux ipsa existeret.

Quare immeritò negaretur Dei præmotio, ex eo, quòd, quid hæc esset, vix explicari posset: aliàs eodem iure neganda essent plura, excludendaque ipsa Theologia, de cuius obiecto primario, nempe Deo Opt. teste Angelico Doctore 1. p. q. 3. sciri non potest, quid sit, sed tantùm, quid non sit, cum tamen nihil, quàm illum esse, certius sit. Quòd si in aliquo vnquam excusanda foret exilis humanæ mentis intelligentia, quæ vix capiat ea, quæ præ oculis habeat, dubio procul, hoc in negotio maximè, in quo hic præuius Dei in omnes causas influxus sola mentis non qualiscumque, sed subtilis acie sit percipiendus, vtpotè agendi modus Supremi illius Opificis, *Qui facit magna & incomprehensibilia quorum non est numerus. Iob. 9.* Discat igitur R. Pater, non à me, sed ab Angelico Doctore q. 3. de potentia a. 7. ad 7. quid sit Præmotio physica, *Virtus naturalis, inquit, quæ est rebus naturalibus in sua institutione collata, inest eis vt quædam forma habens esse ratum & firmum in natura: sed id quod à Deo fit in re naturali quo actualiter agat (en præmotio physica quæ est aliquid in re naturali, vt patet, non verò concursus simultaneus qui non influit in causam creatam, sed tantùm simul cum illa in effectum: aut inclinatio sola rei alicuius in ea habitualiter premanens, vt vult Defensor, sed aliquid quo res actualiter agat) est vt intentio sola, habens esse quoddam incompletum, per modum quo colores sunt in aëre, & virtus artis in instrumento artificis*, Quo instrumenti exemplo, aliquid conferri à Deo rebus creatis vt agant euidentissimè declaratur vt ait Doctor Angelicus 3. p. q 62. a. 4. ad 3. *Virtus instrumentalis acquiritur instrumento ex hoc quod mouetur ab Agente principali.* Quæ comparatio in hoc consistit, quòd sicut instrumentum v. g. securis participat aliquo modo virtutem artificis à quo mouetur, siue virtus illa participata per motum distinguatur realiter à motu, siue tantùm formaliter: ita res naturalis ex eo quod mouetur à Deo, participat aliquid de virtute Diuina, & sicut instrumentum per virtutem quam actu recipit (præter dispositionem quam habitualiter habet ex forma) ab artifice, agit in effectum proprium artificis, vt securis in lectum, qui non assimilatur securi, sed arti quæ est in mente artificis: ita res naturalis per id quod participat de virtute Diuina agit ad esse, quod est proprius effectus Dei: sicut ergo virtus artis in instrumento artificis habet esse quoddam incompletam & per modum transeuntis, ita & virtus seu auxilium Dei mouentis rebus naturalibus collatum.

Non tamen hinc inferendum Dei auxilium esse necessariò & semper minùs permanens siue minùs durabile quàm habitus: nam auxilium quo Beatus videt Deum est coæternum visioni beatificæ: & auxilium quo Angelus se cognoscit, est coæuum cognitioni Angelicæ, atque adeò vtrumque est magis durabile, quàm multi habitus. Sed dicitur dari per modum transeuntis, quia dependet tantùm ex actuali influxu Dei quo mouet causam secundam ad agendum, & ille motus seu influxus accommodatur operationi causæ secundæ, quæ semper producitur per modum fluxus & tendentiæ, & consequenter per modum transeuntis. Quemadmodum igitur Arist. cap. de qualit. ait quod esse pallidum ex timore, vel rubicundum ex verecundia, non sunt qualitates, sed passiones & motus: quia licet re vera sint qualitates permanentes pertinentes directè ad prædicamentum qualitatis, tamen quia ex natura sua non multùm durant, & non habent esse fixum & quietum, sed sunt fluxus, & pendent in fieri & conseruari ex actuali motione, ideò dicuntur motus, & non qualitates: sic auxilium Dei mouentis, licet aliquando diù multumque permaneat, quia tamen dependet ex actuali motione Dei quâ mouet causam secundam ad operandum, & motio Diuina habet esse fluens & transiens sicut operatio causæ secundæ, ideò dicitur facilè transiens.

Itaque auxilium Dei physicè mouentis causam secundam ad operandum est virtus physica & actiua quæ reci-

pitur in ea per modum transeuntis: vnde ait D. Tho. lib. 3. contra Gent. c. 66. *Complementum agentis secundi est ex virtute agentis primi*, Huiusmodi autem complementum ideò necessarium iudicatur, quia vt ait idem Doctor Angelicus q. 3. de potentia a. 7. ad 5. *De ratione virtutis inferioris est, quod sit aliquo modo operationis principium in suo ordine, id est, vt agat vt instrumentum superioris virtutis: vnde exclusá superiori virtute, inferior virtus operationem non habet.* Quod verum est, non solùm in agentibus necessariis, sed etiam in liberis, vnde & Sanctus Doctor 1. 2. q. 9. a. 4. ad 3. *Voluntas, inquit, quantùm ad aliquid sufficienter se mouet & in suo ordine, scilicet sicut agens proximum, sed non potest seipsam mouere quantùm ad omnia vt ostensum est, vnde indiget moueri ab alio sicut à Primo Mouente.*

Cum ergo quæritur an prædictum auxilium ad qualitatem vel ad motum reducatur? Dicendum est ad motum rectè reduci, quatenus per motum communicatur, & habet esse per modum transeuntis, & in hoc sensu D. Tho. ait 1. 2. q. 110. a. 2. quòd, *Auxilium quo anima hominis mouetur à Deo ad aliquid cognoscendum vel volendum vel agendum, non est qualitas, sed motus quidam animæ*: & probat, *Quia actus mouentis in moto est motus, vt dicitur 2. phys. text. 18.* Quibus verbis, nihil aliud intendit, quàm non esse qualitatem per modum permanentis. Atque hoc solùm inferri potest ex authoritáte Arist. quà vtitur, neque enim actus mouentis in mobili est necessariò motus, qui omninò qualitatem excludat, sed quandoque est qualitas vel eam includit, vt apparet in motu ad rubedinem ex verecundia, & ad palorem ex timore. Quia ergo simul qualitatem cum motione includit, congruo nomine appellatur motio virtuosa. Hac enim ratione auxilium gratiæ in Concilio Trid. dicitur inspiratio simul & adiutorium Spiritus Sancti, sine quo non potest homo credere, sperare, diligere aut pœnitere sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, sed illo excitatus & adiutus ad gratiam iustificantem liberè disponitur.

II. Denique hoc vnum hìc aduertat candidus Lector, quod cum Thomistæ dicunt motionem hanc virtuosam recipi in creatura ante omnem operationem (datur enim vt operetur) non dicunt hanc habere pro termino in creatura aliquid productum ab ipsa operatione creaturæ distinctum, sed habere ipsammet ipsius creaturæ operationem pro termino, prout hæc est, non tempore, sed ordine naturæ seu dependentiâ prius à Deo, quàm à creatura, ipsi essentialiter subordinatâ.

Quod si quis instet in hunc modum: Motus non est terminus motus, sed operatio creaturæ est motus, ergo non est terminus ipsius motionis Diuinę, quæ est verus motus. Respondeo hoc esse verum respectu vnius & eiusdem agentis, non verò respectu diuersorum, quorum vnum sit alteri essentialiter subordinatum, vt contingit in pręsenti.

Alterum quod primâ fronte, in eadem pręfatione apparet non dissimulandum est, quod grauem Thomistis irroget iniuriam R. Pater his verbis, vbi loquens de Prædeterminatione, *Thomistica, inquit, cum non audeat apertè contra libertatem & gratiam sufficientem pugnare, conatur hac, cum iniecta agendi necessitate conciliare,* Saluâ Religioso viro debita reuerentia, nescio quam possit hac in re excusationem prætendere, nisi fortè ipsum latuerit quid significet, aut quot modis sumatur nomen necessitatis, quo si de industria abuti voluerit, vt incautum lectorem faciliùs suam in sententiam adduceret, grauius est; Quare necessarium existimo rem apertiùs enucleare, ne æquiuoco nomine prætermisso, faciliùs sit in sequentibus sua facultate dicendi, verborum copiâ veritatem nebulis obducere, vt de facto centies id ipsum repetit velut rem citra omne dubium probatam, quam tamen vel semel ostendere debuisset, antequam toties illam obijceret, maximè cum ex hac necessitate tota ferè pendeat difficultas, quę sanè non sit leuioris momenti quàm vt doctrina Thomistica vel insanabili hæresis vulnere inuratur, vel vt orthodoxa habeatur. Cum enim certum sit & de fide, ad rationem libertatis, potissimùm ad merendum & demerendum liberum arbitrium excludere & coactionem & necessitatem, vt definitum est ab Innocentio X. in Const. quæ incipit, *Cum occasione, &c.* Hic non est verbis ludendum, vbi tot Sanctis Doctoribus iniuria tam grauis infertur.

Dico igitur quod multis modis in doctrina D. Thomę legatur nomen necessitatis, qua ritè intellecta integrum dirimitur negotium. Primò enim est quędam necessitas, eaque absolutissima supra totum naturę ordinem, soli Deo propria: de qua D. Tho. 1. p. q. 41. a. 2. ad 5. vbi ait, *Per se autem dicitur aliquid necessarium quod non potest non esse: & sic Deum esse est necessarium. Et hoc modo Patrem generare Filium est necessarium.*

Secundò est & quadruplex necessitas apud Angelicum Doctor. 1. p. q. 82. a. 1. o Cuius species breuitati studens studioso lectori discutiendas relinquo, vbi hoc solùm animaduersione dignum iudico quantum ad necessitatem naturalem spectat, scilicet plus requiri in doctrina D. Thomę ad veram libertatem (de cuius ratione est indifferentia actiua) quàm ad rationem voluntarij, quia voluntas & natura quædam est, & est potentia libera, vt colligitur ex D. Thoma de verit. q. 22. a. 5.

Tertiò est alia necessitas quæ dicitur officij seu obligationis, & hæc non excludit rationem meriti nec consequenter libertatis, sed solam gloriam supererogationis secundum illud primę ad Cor. 9. *Si euangelizauero non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit*, Et de hac D. Tho. 2. 2. q. 58. a. 3. ad 2.

Quartò, prædictæ affinis est necessitas voti, quæ itidem non est libertati contraria: cum per maiorem ad Deum adhæsionem, firmioremque voluntatis immobilitatem, meritum augeatur: de qua D. August. tom. 2. Epist. 45. *Fælix necessitas quæ in meliora compellit*, Et D. Tho. 2. 2. q. 88. a. 6. ad 1.

Quintò est & alia quæ dicitur inclinationis, de qua D. Tho. cap. 6. ad Rom. lect. 4. & illa (D. Augustino teste) nascitur, dum consuetudini non resistitur: & nihil est certius, quam quòd hæc necessitas, etsi vtcumque impediat iudicium rationis, minuatque naturam perfectę libertatis, relinquat tamen rationem voluntarij, tantumque libertatis, quantum ad peccatum sufficiat: lege D. Tho. de malo q. 6. & vnic. ad 23.

Sextò denique est necessitas quæ dicitur ab aliquibus necessitas certitudinis & præscientiæ, iuxta quam dicitur 3. Reg. 11. 2. *Certissimè auertent corda vestra*. Ab aliis verò necessitas suppositionis etiam à D. Tho. centies: nominatim verò 1. p. q. 19. a. 3. o. aliquando ab eodem necessitas infallibilitatis, de qua agit de potentia q. 6. a. vnic. ad 3. vbi ait, [Deus mouet voluntatem immobiliter propter efficaciam virtutis mouentis quæ deficere non potest: sed propter naturam voluntatis motæ quæ indifferenter se habet ad diuersa, non inducitur necessitas, sed manet libertas, sicut etiam in omnibus prouidentia Diuina infallibiliter operatur, & tamen à causis contingentibus proueniunt effectus cōtingentes, in quantùm Deus omnia mouet proportionabiliter vnumquodque secundum suum modum.]

Item quodlib. 11. q. 3. a. 3. post multa ad hanc rem egregiè conducentia, sic concludit, [Vnde prima causa rerum, sc. Diuina voluntas, etiam de contingentibus certi-

certitudinem habet, ex quâ quidem certitudine non imponitur ipsis rebus aliqua necessitas, quia non solùm vult ea esse, sed tali modo esse, scilicet necessariò vel contingenter vt dictum est.] Videatur omninò Doctor Angelicus 1. p. q. 19. a. 8. o. & ad 1. & 2. quem si attentè legisset R. Pater, nullâ egere D. Thomam defensione sine dubio iudicasset.

III. His præmissis, facilius erit, hanc difficultatem eruere è tenebris. Quia igitur loquentem oportet formaliter loqui, vt ait subtilissimus Caietanus, dicimus præter necessitatem coactionis, esse & aliam libertati contrariam, quæ dicitur absoluta, à Philolosophis expressa per id, quo posito, res necessario fit, seu non esse non possit: formaliter igitur illud solùm necessarium est quod non esse non potest.

Omnes autem aliæ (prædictis duabus exceptis) necessitatis species non sunt libertati contrariæ, maximè necessitas suppositionis, vt ait D. Tho. 1. p. q. 19. a. 3. Supposito enim quòd Socratem sedentem videam, necessariò sedet; & tamen liberrimè sedet, quia potest non sedere. Sic inpræsentiarum: positâ enim Prædeterminatione Thomisticâ tantùm abest vt agens creatum etiam efficacissimè à Deo præmotum ad aliquid faciendum, non possit illud non facere, seu necessariò faciat, vt maximè id possit ex eo præcisè quòd præmoueatur; quia dum potentia (contrariorum capax actuum) est ad vnum applicata, non vtcumque, sed iuxta suum modum, remanet semper in potentia ad actum oppositum, non quidem simul habendum (quia hoc nullâ potentiâ fieri potest, quòd quis v. g. simul moueatur & quiescat) nulla enim est potentia simultatis in rerum natura; sed sola potentiæ simultas.

Nec vi aut nexu argumentorum poterunt vnquam Thomistæ ad hoc inconueniens adduci, vt cogantur admittere agens creatum à Deo præmotum ad agendum, non posse non agere, cùm non modò non lædatur voluntatis creatę indifferentia, sed maximè perficiatur, vtpote quæ per Præmotionem libertati Diuinæ in hoc assimiletur, quatenus scilicet voluntas creata per eam in bonum actualiter inclinetur, sublatâ solâ indifferentiâ negatiua quæ est suspensio actus quam habebat volũtas toto tempore quo nihil efficiebat, remanente actiuâ (quæ est de essentia libertatis) quâ etiam dum agit voluntas, verè non agere possit.

Instabit fortasse aliquis dicens quod necessitas infallibilitatis non sit idem ac necessitas suppositionis, quia ex hoc quod videam Petrum sedere, ex mea visione nihil ei confertur quo necessariò sedeat, & idcirco liberè dicitur sedere: sed ex Prędeterminatione Thomistica aliquid tribuitur creaturæ, nimirum motio illa virtuosa quæ est qualitas quædam: ergo non quadrat exemplum.

Respondeo Negando Sequelam: verum quidem est, quod si Diuina Prædeterminatio esset solummodò causa agendi creaturæ, ita vt solam attingeret substantiam actus, & non modum illius, verè non esset necessitas suppositionis, sed alia quædam quæ ab aliis dicitur necessitas antecedens & per modum naturæ, quæ verè libertati repugnaret, illamque destrueret. Verùm quia nunquam sic Deus præmouet creaturam rationalem, quin potentiam ad actum oppositum relinquat, verissima est comparatio, appositumque exemplum; quia sicut ex mea visione nihil confertur Petro sedenti, quo fiat vt necessariò sedeat seu quod non possit non sede, ita sanè ex Diuina Prædeterminatione v. g. ad diligendum Deum nihil confertur Petro quo necessariò Deum diligat, seu quo non possit non diligere Deum, quia cùm Diuinus ille motus vtpote efficacissimus non minus sit causa quod liberè diligat Petrus, quàm quod diligat simpliciter, nulla est ibi necessitas nisi suppositionis quæ falsò & ementito nomine dicitur necessitas vtpote cuius vocabulum nusquam sit vsurpandum nisi verè sit id quod non esse non possit, quod nunquam contingit in Diuina Prædeterminatione, quæ dum à Thomistis illo visionis exemplo exprimitur, in hoc non consistit comparatio, quòd per illam nihil conferatur agenti creato, sicut ex mea visione nihil communicatur Petro sedenti; sed in hoc præcisè debet quadrare, quòd sicut Petro nihil confertur per meam visionem vnde eius libertas lædatur, ita nec per Præmotionẽ, cùm hoc ipsum quod creaturæ à Deo præmotæ tribuitur, non sit destructiuum libertatis sed productiuum & perfectiuum, semperque cum potentia ad oppositum quæ per huiusmodi motionem non tantùm non limitatur aut coarctatur sed ampliatur & dilatatur, atque de potentia passiua quæ semper est imperfecta, ad actum secundum reducitur. At quod Physicæ Prædeterminationis Assertores nunquã dixerint aut conati sint absolutam necessitatem (quæ sola est necessitas) cum libertate conciliare (vt ab ipsa præfatione & passim per totum suum librum ipsis imponit R. Pater) ita manifestum est ex iam dictis, vt exosum sit, hîc plura D. Thomæ testimonia congerere; legat eum qui voluerit (ne integrum exscribere cogamur) de verit. q. 24. a. 1 ad 3. 4. 5. 9. Et passim per totam quæst. 1 p. q. 19 a 8 q. 82. a. 2. q. 83. a. 1. ad 3... 1. 2. q 10. a. 2. & 4.. q. 13. a. 6. & potentia q. 3 a. 7. ad 12. & ad 13. De malo q. 6. in corp. Et ad 17. 1 2. quæst. 13. a. 6. o. de verit. q 24. a. 12.

IV. Verùm hîc velim aduertat lector, quod licet aliquando motionem moralem tantùm, exprimat D. Thomas, Physicam tamen semper præsupponit; quia vt iam diximus ex D Thoma sicut ars supponit naturam, & natura supponit Deum, ita & genus moris, rationem entis; ideò in operibus vtriusque id est voluntatis & naturæ semper præsupponitur operatio Dei: Quod Diuinitùs expressit Trid. de Iust. sess. 6. semper inserens vtrãque Dei motionem. Nam Can. 3. ait necessariam esse Spiritus Sancti inspirationem atque eius adiutorium ad credendum, &c. sicut oportet vt gratia Iustificationis conferatur. Quod confirmat Can. 4. his verbis. Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, &c. dum enim ait *motum* exprimit motionem physicam, quæ ritè dicitur præmotio, quia Philosopho teste, Motus mouentis præcedit motum mobilis ratione & causâ. Dum verò dicit *excitatum*, moralem insinuat motionem, quæ dum sola est, nihil perficitur ab agente creato, vnde & de quibusdam qui se huiusmodi adiutorio Dei physico indignos præbuerunt, dicitur, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Et de discipulis dubitãbus. [Oculi eorum tenebantur ne eum agnoscerent.]

Sicut ergo vt alibi docet Sanctus Doctor, esse sensitiuum, supponit vegetatiuum, & rationale supponit vtrumque, sic esse liberum & genus moris, semper præsupponit esse naturale seu physicum cui sicut necessaria est Præmotio physica ob essentialem dependentiam entis & agentis per participationem ab eo quod est tale per essentiam; sic & moralis in agentibus liberis ex eo quod hæc non moueantur à Deo vt inanimata vel vt res merè naturales.

Quare factâ distinctione, de voluntate quantùm ad specificationem & quantùm ad exercitium cui-

dentissimum est nunquam conciliari necessitatem cum libertate, maximè si in voluntate id quod naturæ est distinguatur ab eo quod liberum est, vt ait D. Angelicus de verit. q. 22. a. 5 o. *Natura autem & voluntas hoc modo ordinata sunt, vt ipsa voluntas quadam natura sit: quia omne quod in rebus inuenitur, natura quadam dicitur: & ideò in voluntate oportet inuenire non solum id quod voluntatis est, sed etiam id quod naturæ est: hoc autem est cuiuslibet naturæ creatæ vt à Deo sit ordinata in bonum, naturaliter appetens illud, vnde & voluntati ipsi inest naturalis quidam appetitus sibi conuenientis boni. Et præter hoc, habet appetere aliquid secundum propriam determinationem, non ex necessitate, quod ei competit in quantùm voluntas est.*

Et hoc ipsum confirmat D. Angelicus quæst. 3. de potentia a. 7. ad 9. *Licet natura & voluntas*, inquit, *sint secundum se disparata; tamen in agendo habent aliquem ordinem. Nam sicut actio naturæ præcedit actionem voluntatis nostræ, ratione cuius in operibus artis quæ à voluntate sunt, natura operatione indigetur: ita voluntas Dei quæ est origo omnis naturalis motus, præcedit operationem naturæ: vnde & eius operatio in omni operatione naturæ requiritur.* Legatur D. Tho. 1. 2. q. 9. a. 1. 4. & 5. & ad 2. Lib. 3. cont. Gent. c. 88. Nominatim verò in cap. 13. ad Hebræ. lect. 3. Item 1. p. q. 105. art. 4. & q. 106. a. 2 q. 111. a. 2. De verit. q. 22. a. 9.

V. Et ne quis prætextu certitudinis & infallibilitatis de quibus D. Tho. sæpius, nominatim de verit. q. 6. a. 3..... 1. 2. quæst. 112. a. 3..... 2. 2. q. 24. a. 11. suspicetur vllum fieri præiudicium libertati, vllamue ei necessitatem imponi, quâ agens creatum à Deo præmotum ad agendum, non possit non agere, legat Sanctum Doctorem oppositum asserentem 1. part. q. 22. a. 2. ad 4. vbi ait. *In hoc quod dicitur Deum hominem sibi dereliquisse, non excluditur homo à Diuina prouidentia, sed ostenditur, quod non præfigitur ei virtus operatiua determinata ad vnum sicut rebus naturalibus quæ aguntur tantùm quasi ab alio directæ in finem: non autem se ipsa agunt, quasi se dirigentia in finem vt creaturæ rationales per liberum arbitrium, quo consiliantur & eligunt.* Item 1. p. quæst. 19. a. 8. ad 3. Et de verit. quæst 23. a. 4. ad 1. Iterumque magis expresse 1. 2. q 10. a. 4. ad 1. vbi ait. *Voluntas Diuina non solum se extendit vt aliquid fiat per rem quam mouet, sed etiam vt eo modo fiat quo congruit naturæ ipsius: & ideò magis repugnaret Diuinæ motioni si voluntas ex necessitate moueretur, quod suæ naturæ non competit, quam si moueretur liberè prout competit suæ naturæ liberæ.* Semper igitur vt patet excluditur ab Angelico Doctore determinatio ad vnum qualis reperitur in rebus naturalibus quibus virtus ad vnum determinata præfigitur: Non verò illa quæ est secundum modum libertatis quæ competit naturæ liberæ, quatenus causat Deus & substantiam actus & modum libertatis ipsius.

Quod si aliqui sint qui huic doctrinæ non continuò suffragentur, per me licet: sed precor vt à censura abstineant. hancque mihi veniam concedant, quam à suis lectoribus postulabat sanctissimus Præsul August. de dono perseuer. cap. vult. his verbis. *Qui legunt hæc, si intelligunt, agant Deo gratias: qui autem non intelligunt, orent vt eorum ille sit Doctor interior, à cuius facie est scientia & intellectus. Qui verò errare me existimant, etiam atque etiam diligenter quæ dicta sunt, considerent; ne fortassis ipsi errent.*

Deinceps ergo Lectori incauto desinat illudere R. Pater æquiuoco necessitatis nomine quam conciliare cum libertate nusquam conati sunt Thomistæ vt ipsis falsò imponit ab ipso suæ Defensionis exordio; cum agens creatum etiam efficacissimè à Deo præmotum seu prædeterminatum, semper verè possit & præmotioni dissentire vel etiam oppositum facere. At quæ necessitas, vbi ista reperiantur? verùm ne in limine huius Defensionis sistere videamur, sit.

CAPVT SECVNDVM.

In quo primo intuitu Lectori id obijcitur, ex quo tota Defensio facillimè dissoluatur.

I. QVærenti mihi vnde hæc Defēsio à tot annis semel & iterum in lucem edita, nullâ proinde majori luce (quæ mihi apparuerit) esset illustrata, seu nulla ei facta esset responsio? Dictum mihi est à Sapientissimo Theologiæ Magistro, Defensionem hanc ita fuisse spretam à Thomistis, vt eam responsione prorsùs indignam iudicauerint, eò quod nullo vel solùm apparenti doctrinæ Thomisticę niteretur fundamento: Ego verò (cui, cordi est neminem spernere) hanc Defensionem statui attentiùs examinare, (Defensoris personâ, vt par est, amori & honori semper habitâ) in quâ de facto tot aspexi à doctrina Diui Thomæ aliena, vt iure merito duxerit aliquis nullam superesse fidem toti pręfatę Defensioni, si hæc vel sola lectori prima fronte objicerentur.

Primum igitur quod Defensori exprobrandum existimant, est, quod confusè abusus sit nomine necessitatis, nullâ factâ distinctione inter diuersas necessitatis species de quibus cap. præcedenti, vt sic facilius incautum lectorem (si de intentione liceret indicare) deterreret à sequenda Prçmotione Thomistica quam euertere conaretur, quæ re vera vt iam dictum est, nunquam agentibus liberis talem infert agendi necessitatem vt non possint non agere: quod tamen intelligitur nominę necessitatis, quam Thomistis falsò affingit, quos idcircò iudice huius defensionis Authore ab omni responsione absolutos esse necesse sit.

Secundum (quod etiam patientissimos prouocet) est, quod in ipsa præfatione, R. Pater audacter asserat, quod *posita gratia prædeterminante, nullus libertati aut gratiæ sufficienti relinquatur locus*, idque tam constanter affirmat, vt postquam nouum & insolitum conciliandæ libertatis modum cum infallibilitate auxiliorum Diuinæ gratiæ proposuit in scientiâ quadam media fundatum (quam velut impossibilem reijciunt omnes Thomistæ, & de qua suprà lib. 2. cap. 8.) sic suæ defensioni finem imponat, *Si quis tamen quemdam alium concordiæ modum principiis fidei, ijsque quæ hactenus contra physicam Prædeterminationem ex Sancto Thomâ allata sunt, congruentiorem suggesserit; Erit ille Magnus Achates.*

Miror sanè qui hoc possit R. Pater asserere, cùm & Thomistas indifferentiæ libertatem propugnantes legisse, eorumque modum libertatis conciliandæ cum auxilijs Diuinę gratię toti orbi Christiano notissimum, quotidie in scholis, etiam Romæ coram Summo Pontifice prædicatum, saltem audiuisse potuerit, qui talis est, quod Deus Author omnis creaturæ habet supremum dominium rei cuiuscunque, non solùm quantùm ad esse, sed etiam quantùm ad operari: Et sicut esse non possunt, nisi ex continuo eius

influxu, tanquam primi entis & entis per essentiam, sic nec possunt operari, nisi ex influxu eius, tanquam causæ primæ, ac proinde præuio & applicante ad agendum, & etiam simultaneo & cooperante. Quia verò est causa libera agens per intellectum, à qua omnis formalitas quæ est in effectu, omnisque modus qui est in actione dependet tanquam ens per participationem ab ente per essentiam, ideò prędefinit efficaciter & absolutè omnia futura, etiam cooperationem causarum secundarum & bonum vsum liberi arbitrij tanquam effectum; ad ordinem vniuersi autem prædefiniuit aliqua fore necessaria, alia contingentia & libera, hæc enim varietas causat eius pulchritudinem. Et tandem quia eius voluntas est efficacissima & omnipotens, non solùm sequitur quòd fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Vt iam diximus ex D. Tho. 1. p. q. 19. a. 8. & 1. 2. q. 10. a. 4. ad 1.

Et hic est verus ac solidus conciliandæ libertatis modus cum auxiliis Diuinæ gratiæ, Sanctis Patribus notissimus, qui tot sęculis floruerunt ante eum qui se scientię medię inuentorem fuisse gloriatur, hominisque libertatem sine illo modo Doctrinę Thomisticę opposito contra hęreticos strenuè propugnarunt.

Quod autem ex Prędeterminatione Thomistica nullus gratię sufficienti relinquatur locus, vt ipse ait ibidem, patet esse falsum ex dictis lib. 1. cap. 16. vbi demonstratum est gratiam diuidi in sufficientem & efficacem: illamque sufficientem esse cum qua absolutè possumus, cui tamen competit aliqua efficacia, D. Tho. 1. 2. q. 110. a. 2. ad 1. quia impossibile est vt Deus v. g. illuminet intellectum & intellectus non sit illuminatus, aut vt moueat voluntatem, & voluntas non sit mota, cùm correlatiua sint simul natura, vt in eodem cap. 16. prędicti libri dictum est; quamuis non semper illum habeat effectum quem habere posset. At ne actum agamus ad caput prędictum lectorem remittimus pro gratia sufficienti ritè intellecta, de qua Apost. 2. Cor. 3. & 12. vbi licet nomen gratię sufficientis non exprimatur, sufficienter tamen indicatur, suisque cognoscitur effectibus. Item Conc. Arausic. 2. Can. 19. & 25 Trid. sess. 6. c. 11. sub nomine excitantis. D. Aug. lib. de cor. & gra. c. 11. D. Tho. in 3. sent. dist. 13. q 2. a. 2. quęstiunc. 2. ad 5. 3. p. q 79. a. 7. ad 2. Item exponens illud Mathęi 26. hic est sanguis meus: & 1. 2. q. 106. a. 2. ad 2. vbi docet legem nouam quantùm est de se sufficiens auxilium dare ad non peccandum.

II. Nec debet dici quod negetur hęc gratia sufficiens propter peccatum originale remissum, quia ex Apostolo & Tridentino sess. 5. can. 5. Nihil remanet damnationis postquam peccata sunt remissa, quod non esset verum, si eorum intuitu negaretur nobis gratia sufficiens sine qua saluari non possumus.

Verumtamen præter illam est & alia potentior quę dicitur efficax infallibiliter, & tamen libertimè inferens effectum, seu efficiens vt faciamus, aliquando in vnica consistens motione, (plurium dispositionum quæ ordinariè solent præcedere) vices gerente, præsupposito semper rationis iudicio, vt de ipso Apostolo, cuius merita tunc multa erant sed mala, asserit August. lib. de gratia & lib. arb. cap. 5. & cap. 16. D. Cirvllus lib. de adoratione iam citatus lib. 1. cap. 16. D. Prosper lib. de ingratis cap. 15. vbi ait, [At verò omnipotens hominem cum gratia saluat, ipsa suum consummat opus, cui tempus agendi semper adest, quæ gesta velit, non moribus illi, fit mora, nec causis anceps suspenditur vllis. Nec quod sola potest, curâ officioque ministri exequitur, famulisue vicem committit agendi.] Hanc efficaciorem gratiam probant ex illo Ezech 36. Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis & iudicia mea custodiatis & operemini. Ioa. 6. & 10. ad Philip. 2. vbi dicitur: Operatur in nobis velle & perficere. Esther. 13. D. Tho. 2. 2. q. 24. a. 11. & 1. 2. q. 112. a. 3. 1. p. q. 19. a. 8. 1. 2. q. 10. a. 4.

At de eodem gratiæ auxilio potentiori loquebatur Sanctissimus Præsul August. dicens, [Subuentum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt Diuinâ gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur, ideò quamuis infirma, non tamen deficeret, nec aduersitate aliqua vinceretur.]

Dicere verò quod hoc nomine (sc. gratiæ efficacis) etiam vsus sit Caluinus lib. 2. instit. cap. 13. Respondeo leuem esse instantiam, nam in hoc non errauit Caluinus quod aliquam dixerit esse gratiam efficacem, sed quod ex hoc Catholico principio intulerit nos agere necessariò, huicque gratiæ efficaci nos non cooperari liberè, sed solummodò motu quodam spontaneo, cui in hoc Thomistæ, libertatis indifferentiæ assertores, maximè aduersantur.

Tertium, quod non obiter velim prætermissum, est, quod referat R. Pater pag. 41. Diui Thomæ testimonium contra Prædeterminationem physicam, ex quo vel solo non quidem secundum nomen, sed secundum rem, vt solet sæpius, illa probari valeat: vt inde sufficientiam motionis moralis valeat astruere: verba illius sunt, *Ex quibus constat, voluntatem ad actus ordinis naturalis indigere motione quâdam & excitatione, non physicę Prędeterminationis, sed repræsentationis obiecti per cognitionem propositi*, At, manifestissimum est hunc motionis modum non sufficere, nam postquam illum insinuauit Sanctus Doctor, ibidem & alium expressit pro quo militamus, scilicet physicum, his verbis, *Vel quod in ea interius operatur sicut est ipse Deus.*

Verùm vt iam toties insinuauimus, solus Deus operatur in hominis voluntate per concursum præuium, qui vel in ordine naturæ, Prædeterminationis nomine, vel à Theologis, gratiæ præuenientis & efficacis vocabulo exprimitur.

At quia ad satietatem vsque huiusmodi motionis moralis insufficientiam fecimus manifestam lib. 1. cap. 13. diutiùs hic non immorabimur.

Quartum quod velut basim & fundamentum suæ totius defensionis R. Pater supponit, habetur pag. 2. vbi ait, *Nos verò existimamus agentia creata per vires suas naturales sufficienter constituta esse in actu primo ad agendum, & requiri tantùm ex parte Dei, quod per concursum simultaneum intimè influat cum illis ad eorum operationes: atque adeò influxum præuium in ipsis causis secundis receptum ad hoc esse superfluum.* Hæc ille, qui passim datâ occasione conatur hunc concursum simultaneum pro præuio intrudere, aliàs, inquit P. Fuliensis, prætermissus esset hic præcipuus agendi modus ab Angelico Doctore, ita pag. 13.

Respondeo igitur & dico neque ab Angelico Doctore, neque ab eius discipulis prætermissum esse concursum Dei simultaneum, qui vt iam diximus à Deo postulant non solùm vt præueniat & sequatur, sed & vt bonis operibus præstet nos iugiter esse intentos: quod fieri putant per concursum simultaneum, quem existimant necessarium vt actio creaturę, vtpote ens per participationē, dependeat immediatè ab ente per essentiam: Sed hunc concursum in ordine ad actionem sentiunt Thomistæ esse ipsam præmotionem perseuerantem dum fit actio: in ordine verò ad effectum causę secundæ, esse ipsammet eandem actionem causæ secundæ vt est à Deo: ratio eorum est, quia causa secunda concurrit ad suam actionem immediatè, non per aliam actionem, aliàs daretur processus in infinitum, sed per suam potentiam: ad suum verò

effectum, concurrit per suam actionem ; cum ergo Deus indiuisibiliter concurrat cum causa secunda, concurrit ad eius actionem per pręmotionem perseuerantem in eius potentia per ipsam applicata ad agendum dum fit actio : ad effectum verò concurrit per eandem actionem causæ secundę, vt est à Deo.

III. Quantùm autem ad id quod principaliter intendit R. Pater, iam sufficienter responsum est lib. 1. cap. 12. vbi insufficientiam concursus simultanei, secluso pręuio, demonstrauimus : & quamuis eo præsupposito & prædicto modo perseuerante seu continuato concedamus Deum influere in actionem creaturæ, vtpote ipsi Deo essentialiter etiam in facto esse subordinatę, quod forsitam non aduertit R. Pater vt statim dicemus, contendimus tamen per concursum simultaneum qualis astruitur ab authoribus contrariæ opinionis, nunquam vnum agens influere in actionem alterius, sed tantùm simul cum illo in effectum, vt R. Pater etiam fatetur pag. 16. vbi ait, *In productione autem effectus præcisè requiritur concursus Dei simultaneus qui in ipso effectu recipiatur*, quamuis in hoc non sit sibi constans, sępius asserens concursum simultaneum esse causam actionis, quod tamen est falsum, vt ipso patet exemplo duorum hominum nauim trahentium, quo vtuntur pręmotionis physicę aduersarij.

Necesse igitur est vt Deus priùs in causam secundam agat, quia sine concursu pręuio quamuis gratis concederemus Deum esse causam v. g. illuminationis solis ex eo quod cum sole illuminaret, non esset tamen causa illuminationis solis prout est à sole, nisi in ipsum solem influeret ad illuminandum, & cum Deus sit vera causa omnis entis realis secundum omnem modum realem, dicendum est ipsum influere in omne agens creatum vt agat, cuius proinde actio priùs ordine naturę & immediatiùs sit ab ipso Deo quàm ab agente creato : Quod est è diametro oppositum iis quæ asserit R. Pater in sua defensione pag. 90. vbi ait, *Vt Deus verè & propriè sit nobis causa agendi, abundè sufficit, quòd tùm ipsam virtutem agendi nobis concesserit, eamque continuo influxu conseruet, tùm quod nobis exhibeat concursum simultaneum, &c. Quod si hoc non sufficit, inquit, vt Deus dicatur nobis causa agendi, nescio quid aliud ad hoc sufficere poterit.*

At non sic philosophatur Doctor Angelicus q. 3. de potentia a. 7. vbi ait, *Tertio modo dicitur vna res esse causa actionis alterius, in quantùm mouet eam ad agendum, in quo non intelligitur, collatio aut conseruatio virtutis actiuæ, sed applicatio virtutis ad actionem, sicut homo est causa incisionis cultelli ex hoc ipso quod applicat acumen cultelli ad incidendum mouendo ipsum, &c.* Hoc sanè est quod verè sufficere possit, & quod non nouit R. Pater aut certè dissimulauit. Verùm non sufficere concursum simultaneum, secluso pręuio, iterum atque iterum protestamur, & ne hìc tanta fiat congeries testimoniorum D. Thomæ quæ tędium lectori parere sufficiat, compendiosè perstringitur id totum quod hactenus diximus contra huiusmodi concursum, nam quando duæ causæ simul concurrunt, neutra est prima, sed vtraque est simultanea, nam vtriusque causalitates sunt simultaneæ. Neutra operatur in altera, sed vtraque influit in effectum. Neutra agit in virtute alterius sed vtraque per se & propria virtute. Vna non dat esse effectui vt instrumentum alterius, sed vtraque vt causa principalis. Vna non est alteri causa vt operetur, nec applicat illam ad agendum, sed vtraque, virtute permanenti immutatâ prorumpit in actionem. Vna non depēdet ab altera directè, sed solùm indirectè & ratione effectus qui ab vtraque procedit. Vna non est causa effectus prout effectus est ab altera, sed solùm prout est ab ipsa. Complementum vnius non est ex virtute alterius. At Deus est Causa Prima, & in quolibet operante operatur. Est causa omnibus operantibus vt operentur. Omnis applicatio virtutis ad operationem est principaliter à Deo. Deus mouet & applicat virtutem cuiuslibet rei naturalis ad agendum, sicut artifex applicat securim ad scindendum Complementum agentis secundi est ex virtute agentis primi. Omne quod producit aliquid in esse, hoc facit in quantùm agit in virtute Dei. Causa secunda dependet directè à Prima, non solùm quatenus ens, sed etiam quatenus agens, &c. Legendus Doctor Angelicus 1 2. q. 16. a. 1. & 2. vbi ostendit quomodo Deus applicet causas secundas ad agendum quando vult & eo modo quo vult : reuocandaque sunt in memoriam quæ hactenus diximus quibus euidenter constat omnia prędicta à Deo fieri in causa secunda.

IV. Quintò, Cum prospiceret R. Pater defensionem suam subsistere non posse, aliud subterfugij medium excogitauit, an sponte, aut coactus euidentiâ doctrinæ D. Thomę, nescio : sed formaliter contra id quod in principio dixerat pag. 2. sc. [Influxum in ipsis causis secundis receptum esse superfluum, &c.] At verò pag. 19. iam sibi contrarius, ait, [Certum est in Doctrina illius, id est D. Thomæ, influxum Cœli modificari & determinari per concursum corporum inferiorum, &c. Ex quibus omnibus perspicuum est, concursum Dei vniuersalem modificari & determinari per causas secundas,] Igitur ipso iudice motus causę vniuersalis qualis est Deus (quem vt exprimat, vtitur ibidem exemplo solis) recipitur in mobilibus in quibus modificatur. Ex quibus patet R. Patrem suum habere præsidium in concursu, præuio quidem, sed indifferenti & determinabili à causa secunda in qua recipitur, sicut & influxus solis in mobilibus, & hoc ipsum repetit pag. 84. *Neque Deus, inquit, illam physicè prędeterminat ad horum aliquid, sed illi duntaxat præbet concursum generalem in actu primo indifferentem quem voluntas pro suo arbitrio flectere potest, &c.*

At meminisse poterat R. Pater prædictum solis exemplum non perfectè quadrare, hancque comparationem multùm claudicare, vt patet ex 1. p. q. 19. a. 8. *Virtus solis, inquit, per defectum plantæ impeditur. Nullus autem defectus causæ secundæ impedire potest quin voluntas Dei effectum suum producat*, Intellige de voluntate Dei absoluta. Rationem disparitatis assignauerat anteà Doctor Angel. a. 6. quia, *Cum voluntas Dei, inquit, sit vniuersalis causa omnium rerum, impossibile est quod suum effectum non consequatur.* Ex quibus apparet non eandem esse rationem voluntatis Diuinæ & aliarum causarum quę sæpè impediuntur, vel ob indispositionem materiæ, vel ab aliis causis potentioribus, quod de Deo dici non potest vt ait D. August. in Enchir. c. c. 95. & 96. [Si dicamus Diuinam voluntatem posse impediri à voluntate cuiusuis creaturę, siue in Cœlo, siue in Terra, periclitatur initium fidei nostræ quâ confitemur Deum esse omnipotentem.

Igitur minimè negamus, inquit Bannes, *Quin influxus Diuinus passiuè acceptus & receptus in creatura, modificari possit altero influxu Dei : sed omninò negamus influxum Dei, vt est actio illius, modificari ab aliquo, eo quod ipse Deus sua prouidentia, & actiua gubernatione, omnia attingit, modificat, efficit & gubernat*, Ita ille, 1. p. q. 23. a. 5 pag. 418. & *Hanc sententiam D. Thomæ, inquit, sequuntur omnes qui in humilitate progrediuntur in via Dei*, Huius Doctrinæ fundamentum est D. Thomę 1. p. q. 83. a. 1. ad 3. Sicut ergo creatura verè dicitur agens & agens liberum : nec ad hoc requiritur vt sit primum agens aut Primum liberum : sic dicitur agere & liberè agere & etiam determinare Dei

concursum, vt rectè annotauit D. Tho. de potentia q. 1. a. 4. ad 5. vbi docet, *Dei influentiam per causam proximam determinari & specificari*, Quod tam certum est (modo benè intelligatur) quam quod verum sit, creaturam agere: bene autem intelligetur, si creatura determinare dicatur, Deo prius suum cōcursum in ipsa & per ipsam determinante, quia vt diximus lib. 1. c. 10. vnus Dei effectus alteri præsupponitur: & tamen absolutè loquendo in omnibus quę à creatura aguntur virtus primę causæ semper præmittitur, non quidem tempore sed ordine naturę, quia vt patet ex D. Thoma iustitiæ opus, secundum quam creatura videtur incipere, in opere misericordiæ fundatur, 1. p. q 21. a 4 & ad 1. Legendus Sanctus Doctor in cap. 15. Ioa. lect. 3. & de Malo. q. 6. de lib arb. ad 3. 4. 17. & 21. Ratio fundamentalis est quia non potest Dei concursus ita esse indeterminatus, vt à sola causa secunda determinetur & perficiatur, iam enim sic non esset Deus causa prima & vniuersalissima; saltem in ordine ad illum actum & gradum ad quem expectaret determinationem à creatura. At hoc repugnat Doctrinæ D. Thomæ & Sanctorum Patrum Augustini, Fulgentij, &c. Verùm ne prolixà repetitione lectorem frustrà grauemus, legat si placet cap. 14. lib. præcedentis vbi fusissimè insufficientiam huiusmodi concursus indifferentis à sola creatura determinabilis demonstrauimus.

V. Sextò, Si innumera, ex vno sequantur absurdo, iam non miror quod toties ex Thomistarum Doctrina suos R. Pater erigat triumphos: si tamen Thomistarum Doctrina dicenda sit, quæ ipsis nunquam in mentem venerit. Profectò nihil est quod omni discussione, immò lectione magis indignum probet Reuerendi Patris defensionem, quàm quòd centies vt principium certum supponat prauam sensus diuisi & compositi interpretationem, quæ sanè in nullo discrepat ab ea, quam Caluinista libentissimè admitteret vt patet ex pagin. 21. 34. 37. 49. 97. &c. Et licet iam sufficienter ab hac calumnia purgati sint Thomistæ lib. 2. c. 11. tamen quia res est magni momenti, præmissis ibidem dictis, breuiter hîc ob oculos ponimus, quid de sensu composito & diuiso sentiamus; quod non minus differat ab interpretatione quam falsò affingit Thomistis R. Pater, quàm, vt eius vtar verbis, distet ortus ab occidente.

Intelligit igitur R. Pater cum Lessio opusc. de gratia effic. cap. 3. num. 19. quod tunc sensus sit compositus quando potentia habet præmotionem: & sensus diuisus, quando potentia non habet præmotionem. Vnde quando Thomistæ dicunt quod voluntas pręmota non potest non operari in sensu composito, bene tamen in sensu diuiso, existimat Thomistas esse intelligendos quod voluntas non potest non operari, quandiu habet præmotionem; bene autem si tollatur præmotio. At quis vnquam, hos somniauit.

Sic autem intelligunt Thomistæ sensum compositum & diuisum: dum dicitur aliquid non posse fieri in sensu composito, bene tamen in sensu diuiso, arbitrantur quod potentia non possit coniungere, componere, seu simul ponere actum ad quem præmouetur, & eius negationem seu actum contrarium, & consequenter non possit vtrumque coniungere cum potentia simul: quamuis remaneat facultas ad vtrumlibet, sc. ad actum ad quem præmouetur, & ad eius negationem, immo & ad contrarium vt fusius alibi dictum est. Quod si integram fidem hac in re non dederit Thomistis R. Pater, hanc saltem non deneget Sancto Doctori de malo q 6. a. 1. ad 16. & ad 19. vbi ait. *Si autem detur quod aliqua potentia actiua ad opposita se habeat, non sequitur opposita esse simul, quia etsi vtrumque oppositorum ad quod potentia se habet sit possibile, vnum tamen est impossibile alteri.* Et hoc ipsum est quod sub aliis verbis expressum est à Thomistis post Capreolum per simultatem potentiæ & per potentiam simultatis. Legendus etiam D. Thomas lib. 1 contra Gent. cap. 67. Et 1. p. q 14. a. 13 ad 3. Et 1 2 q. 10. a. 4 ad 3. Et q. 23. de verit a 5. ad 3. Et in Boe. de cons. lib. 5. pros. vlt. Et opusc. de fallacijs.

VI. Porrò quantum ad Thomistas, ne tam grauem illis inferret iniuriam R. Pater ex praua expositione, *sensus compositi & diuisi*, quam illis falsò affingit; & quæ à sententia Lutheri & Caluini verè non differt; Legisse debuisset ille opusculum à 50 annis ac nuper Gratianopoli in lucem editum apud Andream Galle, anno 1663. in quo non solùm D. D. Augustinum, Anselmum, Prosperum, Concilium Coloniense, Reuerendos Patres Carmelitas discalceatos Complutenses, Salmanticenses &c. reperisset fidei assertores Thomistarum ac vindices pro legitimo sensu distinctionis prædictæ; sed & ibidem ex præstantioribus Thomistis triginta tres ad minus inuenisset propriam agentes causam, id est oppositum omninò asserentes Fuliensi explicationi quæ non nisi per calumniam Thomistis adscribi potuit. Quare miror, quâ fronte hic audeant Thomistarum æmuli, tam vanos erigere triumphos, propriâ ipsorum reclamante conscientiâ & veritate, quam consulere debuerunt antequam vllum proferrent iudicium in æquitatis præiudicium. Sed quod magis stupendum existimo, est, cuiusdam Martini Mascareni audacia (ne durius loquar) qui non solùm imponit falsum Thomistis, hac in re, vt alij plures; sed & illos iniuriis afficit, dum eos vocat, *capitones, qui apertam veritatem velint occultare, ne à sua sententia discedant*, hæc ille tract. de auxil. di. 2. p. 3. num. 11. Quidni ergo liceat & nobis dicere cum Apostolo, *benedicimus & maledicimur, persequutionem patimur (& quidem iniustam) & sustinemus.*

Septimum quod à responsione Thomistas non immeritò posset eximere, est, quòd in tota sua defensione R. Pater ne semel quidem loquatur de vero totius Philosophiæ Thomisticę & Christianę fundamento, dependentiâ sc. creaturarum à Deo in qua radicatur ipsa prædeterminatio cui aduersatur, & ex quâ non minus euidenter eruatur, quàm lumen à sole oriatur. Licet enim de rerum conseruatione à Deo quantum ad esse aliquid dixerit, nusquam tamen meminit de dependentia quam habet à Deo quodlibet agens creatum etiam dum agit, quia nimirum Deus est illi causa, non solùm in fieri, sed & in facto esse, tùm essendi, tùm agendi.

Et quod mirum videtur, est quòd ille qui tandiù & toties D. Thomæ opera non indiligenter, vt loquitur, euoluit, ne vnum quidem eius testimonium attulerit, saltem integrum & sincerum, ex ijs omnibus, ex quibus breuitatis causa octo selegi lib 2. c. 4. quæ tam euidenter, tamque efficaciter prædictam probant prædeterminationem, vt nulla possit tergiuersatione dissimulari. Legatur igitur totum prædictum caput, nè actum agere videamur.

VII. Octauum, Denique & animaduersione dignissimum est, quod similitudinibus quibusdam R. Pater vtatur, minus aptis ad defensionem D. Thomę, etsi eloquentiæ arte exornatis, quàm aurea Saülis arma essent Dauidi conuenientia, vt iis aduersus Gigantem populus Israël protegeretur, & ex vna, disce

omnes: parte enim 2. pag. 30. ait, *Si Deus hominem ad agendum physicè prædeterminat, euidenter falsum est, Deum ita cum homine operari, vt illi relinquat Dominium in suos actus, nisi eo modo quo ille qui reum in vincula coniicit, dicitur illi facere potestatem fugiendi aut sistendi gradum.* Profectò satis mirari nequeo quâ synceritate conscientiæ hoc potuerit dicere vir Religiosissimus & Doctissimus, præmissis quatuor D. Thomæ principiis quæ cæcum etiam voluntarium Doctrinâ D. Thomæ imbutum ne vix quidem lateant: hæc verò sunt euidentius & fusius exposita lib. 2. c.c. 1. & 2. quorum primum sit de quo vel dubitare Philosopho nefas sit Christiano sc. Primum Agens esse rerum omnium principium, causam omnis entis, omniumque eius differentiarum & motuum creaturæ rationalis.

Secundum est, Causam Primam esse efficacissimam, ex quâ efficacia prouenit vt fiat id totum quod Deus fieri voluerit, eodemque modo, ita vt sit causa substantiæ actus liberi & modi ipsius libertatis. Tertium est, quod Deus non solùm sit causa facultatum agendi in creatura rationali, sed & ipsarum operationum, etiam secundum hunc realem modum quo à creatura fiunt, vt ait Doctor Angelicus de verit. q. 22. a. 8. [Sicut omnis actio naturalis est à Deo, ita omnis actio voluntatis, in quantum est actio, non solùm est à voluntate vt immediatè agente, sed à Deo vt à Primo Agente, qui vehementius imprimit; vnde sicut voluntas potest immutare suum actum in aliud, vt ex dictis patet, ita & multò amplius Deus.]

Quartum denique est, Contingentiam rerum & libertatem voluntatis creatæ in operando, reduci in voluntatem creatam tanquam in causam proximam & immediatam, & in Deum velut in primam radicem ex quâ etiam immediatè oritur omnis contingentiæ & libertatis modus in actu. Ita Doctor Angelicus passim toto fere lib. 2. in quo velut in speculo splendescit ipsa Prædeterminatio, nam vt ait D. Thomas sup. 1. Perier. lect. 14. [Si Diuina voluntas profundit totum ens & omnes eius differentias inter quas est necessarium & contingens, impossibile est vt sit læsiua libertatis dum illam ex se profundit. Quod autem etiam immediatè effectum quemcunque Deus producat, docet Doct. Ang. 3. contra Gent. c. 70. & de potentia q. 3. a. 7 in fine vbi ait, [Sic ergo Deus est causa actionis cuiuslibet in quantum dat virtutem agendi, & in quantum conseruat eam, & in quantum applicat actioni, & in quantum eius virtute omnis alia virtus agit. Et cum coniunxerimus his, quod Deus sit sua virtus & quod sit intra rem quamlibet, non sicut pars essentiæ, sed sicut tenens rem in esse, sequitur quod ipse in quolibet operante immediatè operetur, non exclusâ operatione voluntatis & naturę] Hoc certè potuisset R. Pater ponderare, quod sine dubio pro tota eius defensione confutanda euidentissimè potuisset sufficere. Verùm ne quidquam dissimulasse videamur, omnia quæ in quatuor partibus defensionis prædictæ continentur, ita euidenter duodecim sequentibus capitibus dissoluemus, vt nulla ei fides de cætero habeatur. Et quia in prima parte conatur ostendere concursum Dei generalem non esse aliquid subiectiuè receptum in causis secundis antequam operentur, examinanda sunt sigillatim quæ ab ipso pro sua opinione stabilienda ex D. Thoma afferuntur, quæ sanè ita sunt truncata aut alieno in sensu accepta, vt hæc vel sola sufficere possent, syncerè, vt par est, intellecta, pro stabilienda sententia quam destruere molitur. Quare ea omnia quę ab ipso ex D. Thoma adducuntur, velut verissima veneramur, reiectis penitùs consequentiis quas illis adnexuit, potiusquam eas inde deduxerit. Sit ergo.

CAPVT TERTIVM.

In quo accuratiùs sigillatim expenduntur, simulque confutantur omnia, quę in prima parte Defensionis aduersus Prędeterminationem Thomisticam afferuntur.

I. PRimum quod hic se se offert discutiendū, est, an quando ignis v g. calefacit, Deus non tantùm influat immediatè cum illo in calefactionem, sed etiam ipsi igni calefacienti immittat motionem aliquam vel influxum realem, quo eum moueat ad calefaciendum? Et quidem Thomistę contendunt, inquit, Deum vtroque modo concurrere. At ille R. Pater, pag. 2. & passim, negatiuam partem tuetur; hacque de causa, indigere D. Thomam defensione, arbitratur.

Vt igitur primę eius difficultati faciam satis; Respondeo hic nullum esse cum Thomistis dissidium, sed cum ipso Doctore Angelico, qui cum ipsum ignis exemplum attulisset, ingenuè fatetur id quod R. Pater euertere suâ defensione molitur: nam Sanctus Doctor q. 3. de potentia a. 7. ad 8. ait, [Necessitas naturæ per quam calor agit, constituitur in ordine omnium causarum præcedentium, vnde non excluditur virtus causæ primæ.] Quorum verborum sensus est, quod sicut de ratione agentis liberi (quod quandoque agit, quandoque verò minimè) est, vt non continuò habeat huiusmodi concursum præuium, aliàs semper ageret, ita est de ratione agentis necessarij, quod semper est agens in actu, positis necessariis, vt nunquam illo careat, vnde & miraculum foret, si ignis, v. g. positis aliis conditionibus non combureret, vt cōtigit in fornace Babylonica propter substractionem huiusmodi præuij concursus, vnde ait D. Thomas 1. p. q. 83. a. 1. ad 3. [Deus est Prima Causa mouens & naturales causas & voluntarias: & sicut naturalibus causis, mouendo eas, non aufferr quin actus earum sint naturales, ita mouendo causas voluntarias, non aufert quin actiones earum sint voluntariæ, sed potius hoc in eis facit: operatur enim in vnoquoque secundum eius proprietatem.] Ex quo manifestum est, cum, vt statim dicemus, motus recipiatur in mobili, Deum non solùm influere in calefactionem, sed & in ignem vt calefaciat, vt patet ex toto articulo citato de potentia, qui vel solus sufficeret, vt ipsa Prædeterminatio Thomistica subsisteret.

Secundò prodit tanquam Achilles in fronte defensionis prædictæ, pręclarum D. Thomæ testimonium ex opusc. 9. q. 38. depromptum, quod quamuis breuissimum videatur, sibi tamen sufficientissimum, vt integrum negotium dirimatur, dummodo sit in sensu

D. Thomæ, vt par est, intellectum. *Falsum est, inquit Sanctus Doctor, quod Deus non agat in anima, nisi per nouum influxum.* Ex quibus infert R. Pater pag. 3. *Deum aliquando agere in anima, nihil in ea causando, & consequenter concursum Dei non esse influxum in ipsis causis secundis receptum.*

Pro huius argumenti solutione sciendum est Deum dupliciter agere in anima, primò, per modum transeuntis: secundò, per modum permanentis, seu vt in eodem opusculo ait D. Tho. producendo in ea aliquem habitum gratiæ vel virtutis, vel solùm mouendo ad actum: cum ergo secundus hic modus comparatur cum primo, negat D. Thomas esse influxum in anima, id est, aliquid permanenter in ea receptum, quia auxilium Dei mouentis, licet aliquando diu, multumque duret, vt diximus cap. 1. huius libri, quia tamen dependet ab actuali motione Dei, quâ mouet causam secundam ad operationem, & motio Diuina habet esse fluens & transiens sicut operatio causæ secundæ, ideò dicitur quoque facile transiens. Solùm igitur intendit Sanctus Doctor, quod huiusmodi motus Dei in anima receptus, non sit qualitas per modum permanentis.

Et vt centies ipsemet ait alibi ex Aristotele 2. physic. text. 18. *Actus mouentis in moto, est motus*: Et cùm aliunde, Omnis motus recipiatur in mobili secundum omnes Philosophos, v. g. motus augmentationis in planta aucta, motus alterationis in aqua calefacta, dicendum est quod motus Dei, quo mouetur causa secunda, vel naturalis, vel libera, intrinsecè recipiatur in illa: ideò ait D. Tho. 2. 2. q. 52. a. 3. *Quod alia sit dispositio eius quod mouetur, dum mouetur*, Cumque vt ex Sancto Doct. lib. 3. contra Gent. c. 149. *Motio mouentis præcedat motum mobilis ratione & causâ*, Videat R. Pater quî se excutiat à Prædeterminatione quam conatur subuertere.

Quod verò prædicta distinctio, scilicet per modum permanentis & per modum transeuntis, sit D. Thomę, luce meridianâ euidentius est, ita Sanctus Doctor 1. 2. q. 68. a. 2 o. & q. 109. articulo nono ad primum vbi ait, *Donum habitualis gratiæ non ad hoc datur nobis, vt per ipsum non indigeamus vlterius Diuino auxilio, indiget enim qualibet creatura vt à Deo conseruetur in bono quod ab eo accepit, & ideò si post acceptam gratiam homo adhuc indiget diuino auxilio, non potest concludi quod gratia sit in vanum data, vel quod sit imperfecta, quia etiam in statu gloriæ, quando gratia erit omninò perfecta, homo diuino auxilio indigebit.* Et ibidem in corp. art. 9. *Homo in gratia existens non indiget alio auxilio gratiæ quasi aliquo alio habitu infuso: indiget tamen auxilio gratiæ secundum alium modum vt scilicet à Deo moueatur ad rectè agendum.* Item de verit. q. 24. a. 14. In 2. sent. dist. 28. q. 1. a. 2. ad 3. *Deus, inquit, non tantùm iuuat nos ad bene agendum per habitum gratiæ, sed etiam interiùs operando in ipsa voluntate, sicut in qualibet re operatur & etiam exteriùs occasiones & auxilia præbendo ad benè agendum. Et sine his omnibus nullus bene facere potest, &c.* Intellige de bono meritorio. Idem docet 1. 2. q. 111. a. 2. o. & 112. a. 2. ad 1. Rursumque de verit. q. 27. a. 5. ad 3. [Quantumcunque homo habeat habitum gratię, semper tamen indiget Diuina operatione quâ in nobis operatur modis prædictis, sc. immittendo sanctas cogitationes & bonas affectiones. Legantur alia D. Thomæ testimonia suprà relata lib. 1. c. 16. num. 9. & 10.

II. Quantùm autem ad hoc quod affert R. Pater pag. 3. ex D. Tho. q. 22. de verit. a. 8. miror quî hoc proferre ausus sit, omissis verbis præcedentibus Sancti Doctoris, in quibus formaliter exprimit D. Thomas id quod dicimus, *Immutat, sc. Deus, voluntatem dupliciter, inquit Sanctus Doctor, vno modo mouendo tantùm, quando scilicet voluntatem mouet ad aliquid volendum sine hoc quod aliquam formam imprimat voluntati, sicut sine appositione alicuius habitus, &c. Alio verò modo imprimendo aliquam formam in ipsam voluntatem.*

At suppositis his quę immediatę diximus ex 1. 2. q. 109. a. 9. ad 1. non potest non inferri præuius huiusmodi influxus in causa secunda intrinsecè receptus, qui quidem non est habitus sed motio virtuosa vt diximus, nam sicut habitus supernaturalis adhuc exigit auxilium actuale quod dicitur gratia operans seu præueniens, siue vt loquuntur Sancti Patres contra Pelagianos, Adiutorium ad singulos actus, sic forma naturalis Præmotionem requirit quæ in mobili recipiatur. Non igitur voluntas primo modo immutatur scilicet per oppositionem alicuius habitus quando ad actus qui natiuam eius facultatem non superant, mouetur: sed tantùm secundo modo, & est hoc solùm quod intendimus.

Quando verò pag. 4. ait R. Pater D. Thomam, *Negare motionem quamcunque distinctam ab inclinatione intrinseca & naturali rerum, quam Deum illis continuò conferre dicitur, quia eam perpetuò conseruat, &c.* Patet quoque falsum esse ex dictis q. 3. de potentia a. 7. vbi D. Thomas docet quod non intelligatur tantùm collatio aut conseruatio virtutis, sed applicatio quædam virtutis, qualis à principali agente tribuitur instrumentis: legat igitur qui voluerit Sanctum Doctorem à Reuerendo Patre citatum q. 22. de verit. a. 8. vbi Sanctus Doctor agit de voluntatis immutatione quę à solo Deo fieri possit, prorsùs opposita Doctrinæ quæ illi affingitur ab authore Defensionis prædictæ, nam tam intrinsecè immutatur voluntas cum ab vna in aliam mutatur inclinationem, quàm intrinsecè immutaretur dispositio lapidis si ab ea grauitas aufferetur, vt ei leuitas communicaretur, quod est exemplum, quo ibidem vtitur D. Thomas.

Et ne quis de eius mente possit ambigere, ponderet accuratius id quod ait ille hoc in libro tertio cap. 1. suprà cap. 13. ad Hebræ. lect. 3. prout ibidem retulimus.

Nec minus à veritate & à Doctrina D. Thomæ alienum est illud quod à R. Patre ibidem subiungitur, nimirum, res omnes dirigi à Deo in suos fines absque eo quod aliquid earum naturæ sit superadditum, nam supposito diuerso agendi modo quo Deus suum concursum communicat causis naturalibus & liberis, de quo iam toties hactenus, manifestissimum est D. Thomam aliter sentire: etenim lib. 3. contra Gent. c. 155. sic ait, [Si sint multa ordinata ad vnum finem, totus ordo eorum quousque peruenerint ad finem, est à primo agente dirigente in finem: in eo autem qui perseuerat in bono, sunt multi motus & multæ actiones pertingentes ad vnum finem: oportet igitur quod totus ordo istorum motuum & actionum causetur à primo dirigente in finem: ostensum est autem, quod per auxilium Diuinæ gratiæ diriguntur in vltimum finem; igitur per auxilium Diuinæ gratiæ est totus ordo & continuatio bonorum operum in eo qui perseuerat in bono. Hinc est quod dicitur ad Philip. 1. Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet, &c. Ps. 16. Perfice gressus meos in semitis tuis vt non moueantur vestigia mea. 2. Tess. 2. Exhortetur corda vestra & confirmet in omni opere & sermone bono.]

Conuincentem huiusce rei anteà præmiserat ibidem Sanctus Doctor rationem, dicens loco sup. citato contra Gent. [Licet homo per voluntatem & liberum arbitrium sit Dominus sui actus, non tamen est Dominus suarum naturalium potentiarum: & ideò licet liber sit ad volendum vel ad non volendum aliquid, non tamen volendo facere potest, quod voluntas in eo quod vult, ad id

quod vult, vel eligit, immobiliter se habeat. Hoc autem requiritur ad perseuerantiam vt scilicet voluntas in bono immobiliter permaneat : perseuerantia igitur non est in potestate liberi arbitrij : oportet ergo adesse homini auxilium Diuinæ gratiæ ad hoc vt perseueret.]

Atqui, quòd homo non sit Dominus omnium suarum naturalium facultatum, saltem tàm perfectè seu despoticè, quàm sit suorum actuum, docuit quoque D. Augustinus lib. 2. de pecca. mer. & rem. cap. 17. [Ideò, inquit, quisque nostrum, bonum opus suscipere, agere, implere, nunc scit, nunc nescit : nunc delectatur, nunc non delectatur, vt nouerit non suæ facultatis, sed Diuini muneris esse, vel quòd scit, vel quòd delectatur, ac sic ab elationis vanitate sanetur, & sciat quàm verè, non de terra ista, sed spiritualiter dictum sit : Dominus dabit suauitatem, & terra nostra dabit fructum suum.

Verissimum esse fatemur quod ex D. Thoma 1. 2. q. 49. & 50. affertur à Reuerendo Patre pag. 4. sed falsam dicimus esse consequentiam quam inde intendit deducere, quia nimirum non distinguit R. Pater inter principium habituale & actuale : ad primum enim sufficiunt formę, vires naturales & habitus : sed ad secundum sc. ad actuale, pręter hæc, requiritur Pręmotio, quæ vt iam diximus sæpè, à Theologis exprimitur per adiutorium ad singulos actus, definitum in Conc. contra Pelagium vt diximus lib. 1. Legendus D. Tho. 1. 2. q. 109. a. 9. ad 1. Cum verò pag. 5. existimat R. Pater ex huiusmodi influxu præuio admittendum esse processum in infinitum, Respondeo minimè quidem hoc inconueniens admittendum esse, quia cùm rationis formalis non sit ratio formalis (vt fatentur omnes Philosophi) nec complementum complementi : cùm huiusmodi motio virtuosa sit complementum actus primi, absolutè loquendo, nec est actus primus nec secundus, sicque frustrà adducitur Doctor Angelicus 1. p. q. 48. a. 5. & q. 1. de potentia a. 1. quem si ex animo legere voluisset R. Pater 1. 2. q. 109. a. 2. ad 1. & art. 6. o. q. 3. de potentia a. 7. ad 7. nihil sibi esse metuendum ex Prędeterminatione Thomistica, pro processu in infinitum, sine dubio aduertisset.

III. Non minori demissione animi omnia D. Thomæ testimonia veneramur, quæ à pag. 6. Defensionis vsque ad 9. à R. Patre afferuntur, quibus quidem probatur [Quod omnis operatio quæ consequitur aliquam formam attribuatur sicut causæ illi rei quæ dedit illam virtutem, sicut est motus grauium & leuium] Sed quod non aliter concurrat Deus ad actiones causarum secundarum, nisi eo modo, quo generans graue & leue, est causa huiusmodi motuum, vt suadere nititur R. Pater, apertissimè repugnat Doctrinæ D. Thomę vt patet ex 1. p. q. 105. a. 5. in o. & ad 3. & lib. 3. contra Gent. c. 67. vbi ait, [Deus est causa omnibus operantibus vt operentur, primò quia dat illis virtutem agendi, &c. Sicut motus grauium & leuium, &c. Secundò quia conseruat, &c. Tertiò quia applicat actioni, &c. Vt quid igitur priora hæc verba D. Thomæ sic truncauit R. Pater vt sequentia hæc tam manifesta dissimularit, quibus efficaciter stabilitur Prædeterminatio cui tam acriter aduersatur. Legatur D. Thomas de potentia q. 3. a. 7. vbi fusissimè & euidentissimè. Item in epist. ad Rom. cap. 9. lectione tertia in medio.

Pag. 9. fingit R. Pater respondere se quibusdam D. Thomæ authoritatibus adductis ex 1. p. q. 105. a. 4. & q. 103. a. 8. vbi Sanctus Doctor ait quod, *Omnis inclinatio alicuius rei vel naturalis vel voluntaria, nihil aliud est quam quædam impressio à Primo Agente, sicut inclinatio sagitta ad signum determinatum, nihil aliud est quàm quędam determinatio à sagittario*, Quibus sufficienter satisfacere se existimat, dicens à D. Thoma dici creaturas inclinari & moueri ad agendum, *Quia dedit illis Deus virtutem agendi, eisque indidit inclinationem ad bonum vniuersale*, ita R. Pater pag. 10. & 11.

Verùm hanc responsionem iam sufficienter ostendimus Doctrinæ D. Thomæ omninò oppositam esse, qui semper distinguit virtutem rebus in prima institutione collatam, quæ est quid permanens & firmum, ab ea quę ad agendum illis tribuitur, quæ est per modum transeuntis, quam comparat virtuti quæ ab artifice communicatur instrumentis.

Quis enim dicat, sufficienter & ritè explicari mutationem quam efficit Deus v. g. in peccatore dum ab eo aufert duritiam cordis, tollens cor lapideum & tribuens carneum, ex eo solùm quod Deus ab initio dedit ei inclinationem ad bonum vniuersale? Aut quis credat Assuerum ab impetu indignationis in qua erat, seu vt loquitur Sanctiss. Præsul Augustinus, ab indignatione in lenitatem tam repentè à Deo mutatum, ex eo solo quod à natura haberet inclinationem ad bonum vniuersale, vt suadere nititur Reuerendus Pater? Profectò nemo est, qui huic explicationi assensum præbeat : legatur cap. 7. lib. præcedentis.

Quantùm ad id quod in fine eiusdem pag. 11. addit de Angelis. Miror quod hactenus, nihil à R. Patre sit allatum contra Doctrinam Thomisticam cuius oppositum in terminis ibidem non conspiciatur assertum : nam prçterquam quod ad 2. eiusdem articuli ait Sanctus Doctor, *Quod omnia quæ sunt in toto mundo, aguntur ab aliquo præter primum agens*, Ex quo funditùs euertitur tota Defensio prædicta.

Ad 2. 1. p. q. 60. a. 1. ait quoque D. Thomas quod pręter inclinationem naturalem quæ indita est ab Authore naturæ, quæ semper recta est, de qua non loquuntur Thomistæ, nisi quatenus est Deus author naturæ, *Est & alia rectitudo charitatis & virtutis* de qua idem dicendum est ac supra diximus de eis, quos Deus specialiter ad aliquid mouet per gratiam. Vt quid igitur tam assidua textus D. Thomæ mutilatio? Aut recursus ad inclinationem naturalem respectu boni in cõmuni toties repetitus? Cùm hic nobis sermo sit de bono determinato: sat ergo constat præter virtutes & habitus semper requiri motionem actualem.

IV. Hic monitum velim studiosum lectorem, id totum quod multis verbis à Reuerendo Patre pag. 12. stabilitur, funditùs esse euersum ex dictis de insufficientia concursus simultanei, quo nec inclinari, nec ad agendum applicari dicitur vnum agens ab altero ; qui tamen loquendi modus semper apud Angelicum Doctorem conspicitur quoties de concursu primæ causę agitur. Nec ab eodem omissus est præcipuus agendi modus, vt ibidem R. Pater autumat : etenim semper admittitur à Thomistis concursus Dei simultaneus, sed præuio præsupposito, qui in continuatione hoc diuerso exprimitur vocabulo.

Cùm verò pag. 13. confugit ille ad, *esse*, aitque esse communissimum effectum, atque hunc effectum non posse conferri ab agente creato, nisi quatenus agit *in virtute primæ causæ*, verum quidem est, sed is non est horum sensus verborum quem existimat R. Pater, scilicet quod agere in virtute primæ causę seu vt instrumentum illius, *Sit quod nulla res possit alteri tribuere esse, nisi ipsa sit & existat, quod fit Deo tribuente & conseruante*, Sed insuper vnum agens verè dicitur agere in virtute alterius, siue vt instrumentum illius, quatenus ad agendum ab ipso applicatur, receptà ab eo virtute aliquà ipsum eleuante ad aliquid efficiendum quod ex se non posset, sic securis quę habet formam scindẽdi eleuatur ab artifice

artifice ad catedram efficiendam, calor ab anima ad carnes generandas, &c. Quod si hanc virtutem non conferret primum agens causis secundis, licet verum esset quod illæ non essent primum ens (quia adhuc dependerent ab alio in fieri & conseruari) quælibet tamen earum esset primum agens, vt constat ex D. Thoma in 2. dist. 37. q. 2. a. 2. [Hoc est, inquit, de ratione primi principij, vt agere possit sine auxilio prioris agentis & influentia eius : vnde si voluntas humana actionem aliquam posset producere, cuius actor Deus non esset, voluntas humana rationem primi principij haberet. Quamuis hoc soluere nitantur dicentes, quod voluntas etsi per se possit actionem producere sine influentia prioris agentis, non tamen haberet à se esse, sed ab alio, quod etiam exigeretur ad rationem primi principij. Sed hoc videtur inconueniens vt quod à se esse non habet, à se agere possit, cùm etiam per se durare non possit, quod à se non est. Omnis etiam virtus, ab essentia procedit, & operatio à virtute : vnde cuius essentia ab alio est, oportet quod virtus & operatio ab alio sit. Et prętera quamuis per hanc responsionem euitaretur quod non esset primum simpliciter, non tamen posset vitari quin esset primum agens, si eius actio in aliquod prius agens non reduceretur sicut in causam.] item lib. 3. contra Gent. c. 89. 1. 2. q. 6. a. 1. ad 3. quæst. disp. q. 24. quę est de lib. arb. a. 1. In Mathæum cap. 10 pag. 88. 3. contra Gent. c. 67. rationibus 4. & 5. In cap. 10. Iob. pag 165. 1. p. q. 8. a. 2. in o.

Repetit Reuerendus Pater pag. 14. *Agentia creata modificare & determinare actionem Diuinam*, Verùm iam responsum est, quo in sensu agens creatum dicatur determinare Dei concursum, eodem scilicet modo quo & dicitur agere, id est, sub Primo Agente vt ait D. Thomas 1. p. q. 83. a. 1. ad 3. *Non est de necessitate libertatis quod sit prima causa sui quod liberum est, sicut nec ad hoc quod aliquid sit causa alterius requiritur quod sit prima causa eius, &c.* Idem docet Sanctus Doctor in 2. dist. 25. q. 1. a. 1. ad 3. vbi ait, *Determinatio finis & actionis in potestate liberi arbitrij consistit, vnde remanet sibi dominium sui actus, licet non ita sicut Primo Agenti*, Lege D. Tho. lib. 1 contra Gent. c. 63. in fine. Sed de hoc iam satis supra lib. 1. cap 14.

Fatetur R. Pater eadem pag. 14 Testimonium D. Thomæ q. 3. de potentia a. 7. ad 7. aliquam continere difficultatem, quam certè non soluit dicens quod, *Sola intentio non sit aliquid reale extra intellectum*, Siquidem intentio non est actus intellectus vt autumat, sed voluntatis qui est circa finem sicut electio circa media: ita centies D. Tho. 1. 2. q. 8. a. 3. q. 12 a. 1. & 4. Item 2. 2. q. 180. a. 1. o. &c. Et quamuis includat actum intellectus ordinantis, hoc tamen non est ad propositum vt probet, *Non esse aliquid reale & positiuum.*

V. Falsum quoque est id quod in sua confirmatione asserit sc. species non esse realiter in aëre, nam secundum omnes Philosophos realiter aërem afficiunt, licet modo magis immateriali quàm sint in corporibus coloratis; quod si in illo non appareant, ideò est quia aër non est corpus terminatum vt loquuntur, vnde & posito speculo statim videntur.

Quod verò adducit R. Pater ex D. Tho. q. 1. de verit. a 1. manifestè eius aduersatur intento, vt legenti patebit, vbi Sanctus Doctor inquirit, vtrum virtutes sint habitus ? quorum necessitatem probat, primò vt sit firmitas in operatione, secundò vt operatio perfecta in promptu habeatur, tertiò vt delectabiliter fiat. Sibique objiciens quod huiusmodi habitus non essent necessarij ex eo quod Deus operetur in nobis velle & perficere, ad 11. respondet D. Thomas, *Quod ad vtrasque operationes habitu indigemus. Ad naturales quidem tribus rationibus superius positis: ad meritorias autem insuper vt naturalis potentia eleuetur ad id quod est supra naturam ex habitu infuso. Nec hoc remouetur ex hoc quod Deus in nobis operatur, quia ita agit in nobis quod & nos agimus, vnde habitu indigemus, quo sufficienter agere possimus*, At præmotione quâ Deus in nobis operatur, fit, vt actu agamus. Legat qui voluerit solutionem ad 14. eiusdem art. quâ non minus efficaciter probatur id ipsum pro quo decertamus, vt appareat quàm verum sit id quod diximus, nihil sc. afferri à R. Patre pro sua defensione stabilienda cuius oppositum semper fere ibidem formaliter in ipsis terminis non reperiatur.

Tandem nemo non mirabitur quanta sit vis veritatis, quæ Reuerendum Patrem ad has egerit angustias, vt concursum Primæ Causę expressum ab Angelico Doctore per modum quo virtus artis est in instrumento artificis, existimet pag. 15. nihil aliud esse præter denominationem extrinsecam, sicque nihil amplius à Deo agatur in causis secundis, quàm conferatur parieti ex eo quod sit visus; nullus siquidem est, qui vel Philosophiæ limina salutauerit, qui probè non nouerit nihil reale conferri ex visione parieti, ex eo quod mera sit extrinseca denominatio : at quis idem sentiat de dolabra v g. à potentissimo artifice totis artubus ad agendum applicata? Nihil-ne amplius illi confertur quàm parieti ex eo quod videatur ? Quis facile crediderit nihil huiusmodi instrumento conferri præter concursum simultaneum, vt suadere nititur R. Pater pag. 16. Sicut se habent duo homines nauim trahentes (en concursus simultaneus) vt vnus ab altero dicatur ad agendum applicatus ? Est ne vnus alteri vera causa agendi ; & non potius mutuam habent in agendo dependentiam ? At vbique docet D. Thomas, quòd Deus ad agendum moueat, applicet ac determinet causas secundas : quod operetur in omni agente ; quòd interius adsit agenti, ipsumque tangat suâ intimâ virtute : quòd ipsam hominis voluntatem immutet, in eam imprimat : in ea (non verò tantùm cum ea) operetur : quòd voluntas & à Deo, & à se moueatur ; ita tamen vt Deus tanquam causa prima & principalis, moueat : voluntas verò ab eo moueatur vt causa secunda & instrumentalis (sumpto latè instrumenti vocabulo) quibus omnibus euidenter liquet Sanctum Doctorem non sentire, quod Deus simul naturâ tantùm cum creaturis concurrat in effectum, non in causam : quomodo enim operabitur Deus in causa secunda agente, aut eam ad agendum mouebit, applicabit aut determinabit, si eam non tangat ? Aut eam immutabit, si in eam non influat ? Profectò ruit tota Defensio prædicta, tali responsione propugnatâ à Patre Fuliensi, exemplo tam familiari, abutente, totiesque ad suum concursum simultaneum recurrente, centies confutatum.

VI. Sed ne actum agere videamur, legat qui voluerit D. Thomam de potentia q. 3. a. 7. ad 7. iam citatum. Item in 2. dist. 24. q. 1. a. 4. Ponderetque verba D. August. ibidem relata, ad bonum sc. non valere liberum arbitrium nisi adiuuetur ab omnipotenti Deo, quod ab eo fieri iam diximus præbendo vires libero arbitrio, quod nequaquam fit concursu simultaneo. Rursùm estne tantùm denominatio extrinseca à D. Thoma expressa in 2. dist. 29. q. 1. a. 1. ad 2. dum asserit præter gratiam operantem quæ hominem formaliter iustum & Deo gratum faciat, aliam esse cooperantem, *Cuius, inquit, non est vt fo-*

lam facultatem faciat in operando, hoc enim hæresis Pelagiana ponebat, sed vt efficaciam & virtutem quandam nouam operibus hominum præbeat, &c. (Nota esse argumentũ à simili pro Prædeterminatione Thomistica, vt iam præmonui) denique estne alia dispositio parietis visi dum videtur, sicut, *Est alia dispositio eius quod mouetur, dum mouetur, vt asserit D. Thomas* 1. 2. q. 52. a. 3. At, *paries est visus*, Est denominatio extrinseca.

Dicere verò quod per complementum virtutis quæ tribuitur à Deo causis secundis vt agant, debeat tantùm intelligi, vt asserit R. Pater pag. 17. *Quod causa secunda quia suum habet esse à Deo, det quoque esse effectibus in virtute Dei, & nihil præter hoc, ab eo actu recipere vt agat*, Est pariter omninò alienum à mente D. Thomæ vt patet lib. 3. contra Gent. c. 67. vbi ostendit quomodo Deus sit causa operandi omnibus operantibus: & cum quælibet res creata æqualiter habeat esse à Deo, & quando agit, & quando non agit; falsum esset id quod toties retulimus ex D. Thoma, aliquid sc. à Deo conferri causis secundis vt actu agant, quod non habent, quando non agunt. Et vt quid semper distingueret Sanctus Doctor id quod est in re permanenter ab eo quod habet per modum transeuntis dum actu agit. Legatur D. Tho. q. 3. supra citata de potentia.

CAPVT QVARTVM.

In quo similiter confutantur quæ in secunda eiusdem Defensionis parte aduersus Prædeterminationem Thomisticam à Reuerendo Patre citantur.

I. CVm hìc nobis primâ fronte objicit Reuerendus Pater pag. 18. *Sic voluntatem à Deo prædeterminari ad agendum, tamque efficaciter impelli, vt positâ Dei motione, necesse sit voluntatem operari, neque fieri posse, vt non eliciat illum actum ad quem impellitur, vel ad alium se determinet*, Satis indicat, secundam hanc suæ Defensionis partem nullâ indigere responsione, cùm tota nitatur falsa suppositione: siquidem ad satietatem vsque supra ostendimus, non solùm non doceri à Thomistis id quod illis falsò affingit, nimirum fieri non posse vt voluntas non possit non elicere actum ad quem impellitur, vel se ad alium determinare, vt oppositum vbique ab illis asseratur, cùm huius sit Præmotionis munus adæquatum, vt scilicet creatura agat & liberè agat, quod semper includit facultatem ad oppositum; quare iure merito probandum illi remittitur quod supponit vt certum.

Ne tamen quidquam dissimulasse videamur ad id quod in eadem pag. ex q. 1. de potentia objicitur; Respondeo iam datam huic obiectioni solutionem art. præcedenti & loco ibidem citato.

Id verò quod ibidem adducit ex 1. 2. q. 109. a. 1. & ex q. 3. de malo, vt ostendat non aliter recipi in agentibus liberis influxum primæ causæ, quàm recipiatur v. g. in plantis influxus solis, constat esse contra D. Thomam vt legenti patebit 1. p. q. 19. a. 6. vbi ait D. Tho. *Potest impediri quod aliqua stella non inducat suum effectum, &c. Cum igitur voluntas Dei sit vniuersalis causa omnium rerum, impossibile est quod Diuina voluntas suum effectum non consequatur*, Hoc enim est discrimen singulare inter primã causam & quascunque secundas, quod hæc possit quamcunque naturam immutare, omnemque supplere defectum vt suum duntaxat producat effectum, quod aliæ causæ sæpiùs minimè possunt præstare. Legatur D. Tho. ibidem a. 8. ad 2.

Fatemur igitur cum Sancto Doctore loco citato, quod v.g. intellectus non semper indigeat nouâ illustratione, sicut nec aqua calore, nisi cum ad calefaciendum assumitur: hoc tamen non obstat, quin indigeat homo, vt ait ibidem D. Thomas & ad 3. *Auxilio Diuino vt intellectus eius à Deo moueatur ad suum actum in cognitione cuiuscunque veri*, Quod non minus euidenter exprimit D. Tho. de malo q. 3. a. 2. ad 4. vbi ait, *Manifestum est autem quod cum aliquid mouet alterum, non ex hoc ipso quod est mouens, ponitur quod est primum mouens: vnde non excluditur, quin ab altero moueatur, & ab altero habeat similiter hoc ipsum quod mouet. Similiter cum aliquid mouet seipsum, non excluditur quin ab alio moueatur, à quo habet hoc ipsum quod seipsum mouet, & sic non repugnat libertati, quod Deus est causa actus liberi arbitrij*, Quibus ritè pensatis, reuocatisque in memoriam supradictis, scilicet quod motus recipiatur in mobili, & quod motio mouentis, præcedat motum mobilis ratione & causa, luce meridianâ euidentior est Prædeterminatio, quam euertere conatur R. Pater, etiam in ipsis locis contra eam ab eodem adductis.

Nec itidem dubitamus, quin etiam aliquis Dei influxus sit determinabilis vt supra diximus, sed non à sola creatura vt à Deo separata, vt ille conatur suadere pag. 20. quæ cum magis pendeat à Deo, tam in fieri, quàm in facto esse, non solùm in ratione entis, sed & in ratione agentis, quàm radius à sole, non potest creatura quidquam agere, nisi Deus prius natura per ipsam & cum ipsa agente: siquidem non est de ratione causæ vt sit prima causa, sicut nec de ratione agentis liberi vt sit primum liberum, vt iam multoties insinuauimus. Legatur D. Tho. q. 3. de potentia a. 7. ad 7. & 1. 2. q. 9. a. 4. ad 3.

II. Quantùm autem attinet ad secundum eius argumentum, quod ex verbis D. Tho. pag. 20. & sequenti inferre molitur, existimans hæc cohærere non posse cum opinione quam impugnat, ex eius consueta falsæ suppositionis methodo procedit, vt patet tùm ex verbis ipsius, *At motio hæc, inquit, eius est conditionis vt illâ positâ necessariò sequatur, tam in causis liberis, quàm in naturalibus*, Tùm ex praua interpretatione sensus compositi & diuisi, quam Thomistis falsò affingit: & cum vtrumque suprà sit sufficienter confutatum, hic non immorabimur. Fatemur igitur primam causam necessitatis & contingentiæ in agentibus naturalibus & liberis, esse voluntatem Dei, quæ hos modos vtpote reales, non minus quàm substantiam actus ex se profundit, cum sit prima & vniuersalis causa totius entis: sed quia vnumquodque agens creatum à Deo mouetur iuxta suum modum, sicut mouendo causas naturales non impedit quominus earum effectus sint naturales, sic mouendo libertas non impedit quominus effectus sint liberi, sed hoc potius in eis efficit: contingenter igitur euenit aliquis effectus non ex eo quod eius causam non præueniat Deus, sed ex eo quod ipsi à Deo non præfigatur virtus ad vnum determinata, sicut præfigitur causis naturalibus & necessariis. Ita Sanctus Doctor 1. p. q. 22. a. 2. ad. 4.

At ne quis de mente Ferrariensis circa Prædeterminationem, quam ex ipso impugnare conatur R. Pater, dubitare possit, legat ipsum 1. contra Gent. c. 68. & lib. 3. c. 2. arg. 7. & cap. 17. arg. 8. c. 64. 67. 89. 91 92. 149. vbi formalissimè & euidentissime reperiet, id quod Fuliensis molitur euertere. Et vt neminem lateat quam verum sit, id quod aliàs diximus, scilicet ferè semper oppositum præcipuo defensionis intento reperiri etiam in ipsis locis à Reuerendo Patre citatis, conferat hęc verba quæ habet ille pag. 21. *Cum hac Prædeterminatio requiratur vt prorsùs necessaria ad omnes effectus, &c Inimaginabile est, quod in rebus sint aliqui effectus contingentes.*

Ferrariensis verò lib. 1. contra Gent. c. 67. pag. 104. col. 1. citatus à Reuerendo Patre sic philosophatur ex D. Tho. de verit. q. 2. a. 14. *Cum ad esse effectus, inquit, dependentis à pluribus causis ordinatis, vtraque causa requiratur: vtriusque defectus inducit defectum in effectu: & ideò siue causa prima sit contingens, siue secunda, effectus contingens erit: non autem si vna sit necessaria, effectus erit necessarius: defectus enim alicuius, quod ad esse requiritur, defectum inducit in effectu: ad integritatem autem rei requiritur integritas cuiuscumque facientis ad esse rei. Nam malum, vt inquit Dionysius ex singulis defectibus accidit: bonum verò ex integra causa: vnde & videmus in syllogismis quòd minore existente contingente, sequitur conclusio contingens, quamuis maior sit necessaria.*

Mirandum ergo in modum obstupescet quiuis qui Ferrariensem attentè legere voluerit quomodo a Reuerendo Patre in suę sententiæ patronum adductus sit, quem si accuratiùs rimari voluisset lib. 1. contra Gent. c. 67. docentem quod scientia visionis sequitur determinationem Diuinæ voluntatis, integrum ex hoc dirimi negotium circa determinationem contingentium sine dubio aduertisset. Sed quia ex hâc firmum sibi pręsidium statuit pro quarta parte huius defensionis, de ea commodiùs ibidem à nobis discutienda, modò remittitur, sicut & tertium illius argumentum pag. 21. & sequentibus quod est de natura contingentium. Ex his omnibus perspicuum fit quanto in pretio habenda sit huius Defensionis doctrina quæ iisdem expugnetur armis, quibus alienam impugnare ipsius author molitus sit.

III. Vlteriùs procedamus, quartumque Reuerendi Patris argumentum pag. 27. in trutina appendamus. Fatemur voluntatem seipsam ad agendum determinare, specialemque agendi modum habere vt voluntas est, ab eo quem habet vt est quędam natura quæ naturaliter respicit bonum in communi ad quod est determinata quantum ad specificationem, sicut & quæuis alia potentia naturalis.

Quantum igitur ad testimonium D. Thomę quod ibidem sequitur ex 1. 2. q. 9. a. 6. ad 3. nusquam fauet Reuerendo Patri, nam ibi docet Sanctus Doctor quod Deus vt vniuersalis motor, mouet voluntatem ad eius obiectum vniuersale, scilicet bonum vel beatitudinem in communi, & ad hanc motionem non concurrit voluntas vt potentia libera, sed vt natura, vnde & ad illud fertur sponte & necessariò, sicut & ad alia quæ ipsi proponuntur vt necessariò connexa tali bono: vnde & in ordine ad illud omnia alia vult. Propterea D. Thomas dicit, quod sine hac vniuersali motione homo non potest aliquid velle. Quando autem subiungit: sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud quod est verè bonum vel apparens: non intelligit quod sit primum & vnicum se determinans, vt intendit R. Pater, sed tantùm quod se ad hoc liberè determinet (semper tamen sub Prædeterminatione Diuina vt se explicat D. Tho. q. de malo supra citata a. 2. ad 4.) quod non facit in ordine ad bonum in communi, potiùs enim determinatur ad illud, quam se determinet. Nec magis fauent sequentia Sancti Doctoris verba Authori Defensionis; quibus dicitur, *Sed tamen interdum specialiter Deus mouet aliquos ad aliquid determinatè volendum quod est bonum, sicut in his quos mouet per gratiam*, Non enim per hæc verba excludit D. Thomas quod Deus moueat omnes ad obiecta & actus determinatè, saltem quantùm ad entitatem: immo hoc præsupponit, nam si Deus specialiter per gratiam seu speciali auxilio gratiæ mouet aliquos determinatè ad bonum & ad actus bonos moraliter, sequitur quod concursu generali moueat omnes ad obiecta determinata & ad suos actus determinatos vt physicè bonos. Deinde, *Ly determinatè*, appellat supra rationem moralem & non supra physicam, & ita verum est quod Deus mouens ad rationem moralem, non mouet determinatè nisi ad bonum, nam ad malum morale non mouetur homo à Deo, sed à seipso: quod autem hoc intendat D. Thomas, patet: nam ibi respondet obiectioni quà dicebatur: quod si voluntas moueretur à Deo, nunquam moueretur ad malum morale seu peccatum. Denique respondeo quòd per hoc ostendat Sanctus Doctor discrimen quod est inter determinationem quoad specificationem potentiæ, v. g. quod voluntas respiciat bonum sicut auris sonum, ad quam specificationem non potuit creatura concurrere cùm non esset: & determinationem quoad exercitium ad quam homo semper concurrit effectiue tanquam agens secundum Primo subordinatum.

Igitur minimè negamus voluntatem ad opposita se habere, & dominium habere supra suos actus seque per rationem determinare ad volendum hoc vel illud, ita vt determinatio actionis & finis in potestate liberi arbitrij constituatur, vt optimè probat R. Pater ex Angelico Doctore pag. 29. suæ defensionis, hominemque liberi arbitrij non esse nisi ad eum pertineret determinatio sui operis, ex proprioque iudicio eligeret hoc aut illud vt ait D. Tho. sed cum inde infert R. Pater Fuliensis pag. 30. & sequentibus, [Hoc falsissimum esse si Deus physicè prędeterminet liberum arbitrium ad suos actus, euidenterque falsum esse, vt solis illius vtar verbis, supposita scilicet Prædeterminatione, homini à Deo relinqui dominium in suos actus, nisi eo modo quo ille qui reum in vincula conjicit, dicitur illi facere potestatem fugiendi aut sistendi gradum.]

Sed pace Religiosi viri dixerim, antequam eò deueniret vt tam indignè de Doctrina D. Thomę sentiret, hoc indignissimo abutens exemplo, debuisset saltem semel aliquod dare responsum huic solido Sancti Doctoris fundamento, (quo solo euanescit quidquid supra excogitauit) quod scilicet Deus ex efficacia suę virtutis infinitæ ita sit causa substantię actus liberi vt simul sit & modi illius, & consequenter sic determinetur à Deo agens creatum vt semper remaneat in potentia ad oppositum, quod in omnibus aliis motoribus deficit. Dicitur igitur se determinare, &c. Agens liberum eo modo quo & dicitur agere scilicet sub primo agente & determinante vt iam vsque ad fastidium repetijmus in hoc lib. c. 2. Legatur omninò, ne hîc actum agere videamur. Legendusque D. Tho. de verit. q. 5. a. 4. ad 7. q. 6. a. 3. 1. p. q. 22. a 4.

IV. Cum verò pag. 32. in prædictum Sancti Doctoris fundamentum videtur impegisse R. Pater, existimans determinationem creaturæ non posse conciliari cum alia priori scilicet Dei, sed necesse esse vt liberum arbitrium creatum à nullo alio sit determinatum, & in hoc conuenire cum Creatore, *Sicut Deus, inquit, præcisè vt liber*

est, ab alio quàm à se non determinatur ad agendum, ita creatura quà libera est, ita se determinat ad agendum vt ad hoc ab alio, saluâ libertate, determinari non possit.

Atqui hoc est omninò oppositum doctrinæ D. Thomæ (quam non debuit R. Pater ignorare, cùm illius susceperit defensionem) in 2. dist. 37. q. 2. a. 2. in o. vbi postquam ostendit Sanctus Doctor solum primum principium agere sine dependentia seu alterius prioris influentia, asserit voluntatem creatam à Deo præueniri in agendo, illiusque influentiam recipere sine qua verè esset primum principium in agendo, quamuis non in essendo, *Et præterea, inquit D. Tho. quamuis per hanc responsionem euitaretur quod non esset primum simpliciter, non tamen posset vitari quin esset primum agens, si eius actio in aliquod prius agens non reduceretur sicut in causam.* Confirmari potest ex eodem Sancto Doctore 1. p. q. 83. a. 1. ad 3. vbi ostendit discrimen inter liberum arbitrium creatum & Primum Liberum, aperiens quomodo voluntas creata sit causa sui motus, etsi non prima. Similiter in 2. d. 25. q. 1. a. 1. ad 3. vbi ait, *Determinatio finis & actionis in potestate liberi arbitrij constituitur, vnde remanet sibi dominium sui actus, licet non ita sicut primo agenti.* Itidem 1. contra Gent. c. 63 in fin.

Verùm vt quid per diuersa D. Thomæ opera discurrimus vt falsam ostendamus æqualitatem liberi arbitrij in Deo & in creatura, quam æqualitatem suadere nititur R. Pater pag. 32. cum in ipso textu D. Thomæ ab ipso citato sc. in 2. sent. dist. 25. q. 1. a. 1. ad 1. oppositum formalissimè habeat Sanctus Doctor, vbi postquam ostendit ea quę de Deo & creaturis dicuntur, semper dici de eo seclusis imperfectionibus sic concludit. *Vnde verissimè sui operis Dominus est, sc. Deus, & propter hoc etiam in littera dicitur quod liberum arbitrium, aliter in Deo, quam in aliis inuenitur.*

Id autem quod addit R. Pater pag. 33. ex D. Tho. in 2. dist. 93. q. 1. a. 1. o. non est ad propositum, nam in eo articulo inquirit Sanctus Doctor, vtrum voluntas possit peruerti per peccatum? ex quo hoc notandum est singulare discrimen quod dum voluntas agit, illius actio semper in Deum velut in primam causam reducitur, qui cum sit causa vniuersalissima, nihil est reale quod illius causalitatem possit subterfugere. Cum verò voluntas peccat, iam non efficit formaliter sed deficit, nec illius actio formaliter & reduplicatiuè vt peccatum importat, est effectus, sed defectus, cuius prima causa est voluntas creata, non verò Deus Opt. & idcircò dicitur quod quotiescunque voluntas per peccatum peruertitur, ipsa sit sibi prima causa deficiendi seu peccandi ad hoc à nullo alio determinata quàm à se ipsa in qua est prima radix deficiendi ex eo quod ipsa sit ex nihillo: vnde D. Thomas in 2. dist. 37. q. 1. a. 2. sic concludit, *Hæc procedunt vsque ad vltima entium: ità quod quamcunque rationem essendi aliquid habeat, non sit sibi nisi à Deo: sed defectus essendi sit ei à se ipso.* Item ipsemet 2. ad Anibal. q. 1. a. 2. ad 1. *Malum, inquit, in quantum huiusmodi non habet esse, nec est res aliqua, sed magis est priuatio alicuius perfectionis in re, vnde non habet causam efficientem, sed deficientem, & huiusmodi sunt causę media propter hoc quod sunt ex nihillo*, Legatur Doct. Angel. in 2. dist. 37. q. 2. a. 1. & 2. nominatim verò in responsionibus argumentorum.

Suum prosequitur intentum R. Pater pag. 34. asserens Doctorem Angelicum quamcunque determinationem ab actibus liberis excludere, eumque adducit 1. p. q. 22. a. 2. ad 4. dicentem voluntati virtutem ad vnum determinatam non præfigi.

At, truncauit R. Pater sequentia verba D. Thomæ, ibidem ex quibus totum hoc dirimitur negotium [Sicut rebus naturalibus quæ aguntur tantùm quasi ab alio directæ in finem: non autem seipsa agunt quasi se dirigentia in finem, vt creaturæ rationales per liberum arbitrium quo consiliantur & eligunt, vnde signanter dicitur (homo sc. derelictus in manu consilij sui) sed quia ipse actus liberi arbitrij reducitur in Deum sicut in causam, &c.] Deus igitur est causa, Authore D. Thomâ, consilij, electionis & determinationis liberi arbitrij, à quo excluditur sola hæc determinatio quæ rebus naturalibus conuenit, non verò illa quæ est per modum libertatis. Vnde Sanctus Doctor in 2. sent. dist. 25. q. 1. a. 1. ad 7. ostendens quod animalia libero careant arbitrio, ait [Ideò ex determinatione naturæ actus suos exercent, non autem ex propria determinatione agentis: vnde omnia eiusdem speciei similes operationes faciunt, sicut omnis aranea similem facit telam. Legendus Doctor Angel. q.q. disp. q. 24. quę est de lib arb. a 2. ad 2.

Itidem fatemur vt verissimum quod addidit eâdem pag. ex lib. 1. contra Gent. c 68. scilicet, *Dominium voluntatis excludere determinationem ad vnum*, Vbi loquitur D. Thomas de determinatione prædicta, qualis rebus naturalibus conuenit quæ per formam sunt ad vnum determinatæ, vt se ie explicat euidentissimè de potentia q. 3. a. 7. ad 12. *Quod quidem dominium natura non dedit, cum per suam formam sit determinata ad vnum*, Et ibidem ad 13. *Voluntas, inquit, dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem primæ causæ, sed quia causa prima non ita agit in voluntate, vt eam de necessitate ad vnum determinet, sicut determinat naturam, & ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis & voluntatis*, Sicut igitur voluntas creata verè dicitur agere, sed sub primo agente, sic & dicitur se determinare, sed sub Deo ex sua infinita virtute agendi determinante iuxta modum creaturę vt dictum est; Ratio fundamentalis est, quia voluntas creata non est primum liberum vt ait Sanctus Doctor 1. p. q. 83. a. 1. ad 3.

Nec aliâ opus est explicatione ab ea quam idem D. Tho. loco supra citato contra Gent. tradidit, vbi ostendens Deum esse vniuersale essendi principium, causam vniuersaliss. cuius causalitas ad omnes etiam operationes intellectus & voluntatis extendatur, ad quam omnes effectus causarum secundarum principaliùs reducantur, satis suadet, id quod propugnamus.

V. Fœliciter tandem incidit R. Pater in quodlibet. 12. q. 3. a. 4. vbi (Ly Prædeterminatio) nominatim exprimitur, cui tanto studio hactenus aduersatus est. Sed si & eundem Sanctum Doctorem legisset 1. ad Anibald. dist. 47. quęst. vnic. a. 4. Item Commentaria in D. Dionys. de Diuin. Nonim. c. 5. lect. 3. eaque omnia quæ lib. 2. cap. 6. fusius retulimus ex Angelico Doctore, sine dubio confessus fuisset nulla defensione Sanctum Doctorem indigere, vbi tam formaliter & expressè (etiam in terminis) ipsa Prædeterminatio exprimitur, vt nullâ possit tergiuersatione dissimulari. Quod si huic primo D. Thomæ testimonio nullum dederit R. Pater responsum, vt legenti patebit, multò minùs potuisset his omnibus in dicto capite sexto citatis; ex quibus adeò manifestis, nulla superest ratio recurrẽdi ad fatum quo incautis ibidem illudere satagit; sit enim fatum rebus mobilibus inhærens dispositio immobilis, siue stellarum aspectus, siue causarum naturalium nexus, quæ horum comparatio cum causa prima quæ sua agendi virtute infinita mouet vnumquodque iuxta suum modum, attingens à fine vsque ad finem fortiter, suauiterque disponens omnia?

Quare cùm semper recurrat R. Pater ad prauam expositionem sensus compositi & diuisi, & ad necessitatem quę nos ineluctabiliter, vt loquitur pag. 38. adigat

ad agendum ; cùm hæc omnia tanquam falsa superiùs reprobauerimus, nihil est quod hìc exosâ repetitione lectorem grauemus. Quantùm vero ad subterfugium quo magnum habere se existimat præsidium in præuiso vsu nostræ libertatis, vanum penitùs & inutile inferiùs fauente Numine demonstrabimus, vbi de cognitione certa contingentium.

Pag. 38. tangit R. Pater argumentum quo communiter probatur à Thomistis Prædeterminatio cui ille aduersatur, *Ab eo, inquit, Sanctus Doctor quod est ad vtrumlibet, non sequitur aliqua actio determinata, nisi ab aliquo alio inclinetur ad vnum, &c.* Cui veritati sufficienter satisfacere se existimat R. Pater dicens, *Voluntatem nostram eatenus solùm determinari ab aliquo externo ad suos actus, quatenus non potest tendere actu in finem, nisi præcedente aliqua cogitatione, &c.* At si vera esset euasio, vbi erit verum discrimen (secundũ nostrum concipiendi modum) inter voluntatem Dei & nostram ? Quis enim dicat voluntatem Diuinam tendere in finem nisi ex præcedenti cognitione, seu cæco modo inclinari ? Etenim licet in Deo omnia vnum sint, esse sc. intelligere, & velle, secundum tamen nostrum modum concipiendi, semper operatur Deus ex præsupposita cognitione : & licet non sit intellectio vera volitionis causa, est tamen ratio, sicut & immutabilitas Dei est ratio æternitatis illius : Quare si vera esset Reuerendi Patris solutio, eaque sufficeret, vt voluntas quæ ex se est indifferens ad plura, verè diceretur ad vnum determinari, nullâ ratione potuisset Sanctus Doctor dicere voluntatem Diuinam ad volitum seipsam determinare quod est illi proprium & singulare, vt optimè aduertit R. Pater pag. 40. Prætcrea nullâ solidiori responsione suæ satisfacit obiectioni asserens hoc solùm esse discrimen inter Deum & creaturas, quod illæ à Deo acceperint potentias : quod habeant ab eo internam & naturalem inclinationem ad bonum in communi, quod simul cum illis influat ad earum operationes, eaque omnia quæ ibidem prosequitur pag. 41. quæ omnia euidentissimè confutata apparent ex iis quę superiùs diximus ex q. 3. de potentia, &c. de eo quod creaturæ à Deo recipiunt per modum transeuntis : de insufficientia solius concursus simultanei & motionis moralis quæ est ex propositione obiecti, lib. 1. c.c. 12. 13. & 14. legantur omninò.

VI. Non est verior solutio quam R. Pater adhibet Doctori Angelico ex q. 24. de verit. a. 14. vbi Sanctus Doctor docet voluntatem nostram esse indifferentem ad multas operationes nisi à Deo determinetur, vbi existimat D. Thomam solùm voluisse, *Quod antequam voluntas in aliquem actum liberum prorumpat, indigeat præuiâ excitatione, siue per sensus parta, siue immissa per gratiam præuenientem.* Nam manifestissimè (missis aliis innumeris D. Thomę testimoniis de quibus hactenus) etiam ibidem oppositum concludit Sanctus Doctor his verbis, *Vnde si gratiam Dei per quam interius motum mentis operatur, &c. Sic nec vllum bonum potest homo facere sine gratia.* At quis dicat sola excitatione per sensus parta, Deum interius operari motum mentis ? Ludit ergo verbis R. Pater hac explicatione tam opposita Diuo Thomæ. Item vbi illa gratia de qua D. Augustinus ab ipso R. Patre citatus, quæ duritiam cordis aufferat ; quę transferat illud ab asperitate in lenitatem, & quæ omnipotentissimâ facilitate faciat vt homo operetur & velit, quod, vbi, quando & quomodo voluerit Deus ? Qui si multipliciter vt ait idem D. August. in cordibus hominum operetur, seu varios habeat modos quibus verè dicatur causa actionis creaturæ, vt quid semper mutilat R. Pater verba D. Thomæ vt præcipuum agendi modum omittat (de quo est tota quæstio) qui fit per modum cuiusdam applicationis quam hactenus agnoscere R. Pater noluit, vt sic ei liceret concludendo supponere quod illi semper probandum supererit pag. 43. vbi ait, *Quod res naturalis intrinsecè per suas facultates natiuas ita sit ad agendum determinata, vt ea in se & ad sua virtutis complementum, nihil aliud exigat quam concursum Dei conseruatiuum, ex quo vt vult, necessariò sequitur operatiô.*

Quintum R. Patris argumentum pag. 44. propositum nullâ nouâ indiget responsione, vtpote falsâ innixum suppositione, *Sc. quod non possumus resistere Prædeterminationi physicæ : quod non possumus ex ipsa non operari : quod motio prædeterminans sic sit causa faciens velle voluntatem, vt talem actum impedire non possit, nosque adstringi per eam ad agendum sicut res naturales,* Quæ omnia & id genus similia iam non semel ostendimus esse falsa, cùm verus & adæquatus Prædeterminationis Thomisticæ effectus sit efficere vt voluntas creata operetur & operetur liberè, cùm non minus sit Deus causa libertatis in agentibus liberis, quàm necessitatis in agentibus necessariis.

Cum verò ibidem ait R. Pater, *Hominem præuentum motione præueniente non posse eâ non vti*, Confundit ille qualitates quæ dantur per modum habituum quibus verè vtimur cum volumus : (de quibus loquitur D. Thomas locis ab ipso citatis) cum illis quæ dantur per modum motionis virtuosæ seu per modum transeuntis (qualis est Prędeterminatio) quæ non ideò datur vt eâ vtantur creaturę, sed vt illæ per eam in ratione principij actualis sufficienter constituantur vel ad acquirendos habitus, vel vt acquisitis, operando vtantur : quare nunquam dicendum est quod creatura vtatur Prædeterminatione physicâ, quia hic loquendi modus falsum supponit fundamentum, loquitur enim de creatura quasi à Deo soluta, independente & separata in facto esse, à quo verè non minus dependet quam in fieri, magisque quam radius à sole, vt diximus lib. 2. c. 4. cui non possit tribui, id est creaturę, vt sit à Deo independens, quin ipsa sit vniuersale principium essendi, vt ait D. Thomas, quod cum sit impossibile, nullum ab hac radice quæ omnia portat est separandum : legendus D. Tho. de potentia q. 3. a. 7. ad 7. Nec debebat R. Pater dissimulare responsionem ad 2. & ad 3. quæst. 83. articuli primi primæ partis ab ipso citati, vbi euidenter edocetur præmotio, *Quam ei nunquam (vt protestatur pag. 45.) Thomistæ suadebunt.*

VII. Cum autem ait R. Pater pag. 44. *Non esse in nostra potestate Prædeterminationem acquire vel abijcere*, Respondeo hoc falsum esse absolute loquendo quia & gratiæ præuenienti resistere possumus, quam etiam à Deo postulamus (cui conuenit nomen Prędeterminationis in ordine duntaxat supernaturali) eique obicem ponere innumeris peccatis & negligentiis, sed de hoc fusius cap. 9. libri præcedentis, legendus Doctor Angelicus lib. 2. ad Anibald. dist. 28. ad 1. 2. & 4. vbi ait, *Verè dicimur posse, quod per amicos possumus*, maximè verò per Deum amicum, qui vt loquitur D. Thomas animam nostram continuò sustinet in esse, & à quo creatura nusquam sit, tum in essendo, tum in agendo separanda : si enim ab illo vt separata concipiatur in ordine naturæ in quo nihil præsupponitur ; verum quidem est, quod huiusmodi motionem virtuosam minimè possit ex se profundere, cum illa vt sic incapax sit omnis operationis, aliàs vt iam diximus hæc esset primum suæ operationis principium, licet non esset primum ens. At si sic à Deo

dependens habeatur, sicut agens instrumentale dependet à principali agente, sufficit operationem ad quam hæc motio datur esse in potestate creaturæ, vt per eam motionem creatura verè dicatur posse hunc vel illum effectum producere, posse inquam, potentiâ cum actu coniunctâ, de qua suprà, sicut & calor verè dicitur posse carnem generare vt est coniunctum animæ instrumentum. Nec est necesse, immo nec possibile vt creatura sola verè dicatur aliquid posse, dicente illo Sine me nihil potestis facere, quod verissimum est siue Conditoris respicias rationem, siue Redemptoris: sed de hoc fusius infra Deo fauente, cùm de quibusdam consequentiis quas ex doctrina de Prædeterminatione physica importunè coacervant.

Vbique bene Sanctus Doctor, ideoque merito iure omnia eius testimonia, quæ refert R. Pater à pag. 45. & sequentibus libenti animò admittimus, factâ etiam distinctione voluntatis creatæ vt est natura, & vt est rationalis potentia, &c. Sed negamus consequentias quas illis testimoniis R. Pater adnexuit; *Quod scilicet ex Prædeterminatione physica voluntas necessariò moueatur ad suos actus vt ait ille pag. 46. Item quòd tam necessariò velit, vt non possit non velle, & quod ita velit hoc obiectum vt non possit velle aliud vt asseris pag. 47.* Denique, *Quod hæc Prædeterminatio inducat necessitatem cum actuum nostrorum libertate nullâ ratione cohærentem pag. 48. &c.* Vbi velim aduertat prudens lector Reuerendum Patrem abuti authoritate Sancti Doctoris, qui loco vltimo ab ipso relato loquitur de motione morali, non verò de physica, de qua est tota controuersia, quâ motione morali positâ, etiam cum gratia sanctificante consummata, adhuc exigitur Præmotio physica, vt docet Doctor Angelicus 1. 2 q. 109. a. 9. ad 1.

Pari falsitatis vitio laborat sequela à Reuerendo Patre educta pag. 50. ex q. 6. de malo, art. vnic. quæ talis est, *Ex sententia quam impugnamus, apertè sequitur hominem, &c. non solum aliqua, sed etiam omnia agere ex necessitate, ita sc. vt illa vitare non possit.*

At quis patienter ferat adeò frequentem tamque falsam repetitionem? hanc sanè habes in initio huius lib. tertij non minus fusè quam efficaciter confutatam, nam cùm loquentem oporteat formaliter loqui, & nomine necessitatis intelligatur id quod aliter fieri non possit, numquam ad hoc inconueniens adduci poterunt Thomistæ, vt fateri cogantur, Prædeterminatum ad vnum, non posse oppositum.

Præterea non debebat prætertre R. Pater solutionem D. Thomæ ad 3, art. 16 ab ipso citati pag 58. q. 6. de malo, vbi ait D. Thomas, *Deus mouet quidem voluntatem immutabiliter propter efficaciam virtutis mouentis, quæ deficere non potest. Sed propter naturam voluntatis motæ quæ indifferenter se habet ad diuersa, non inducitur necessitas, sed manet libertas, &c.* Ex quibus patet hæc duo non esse incompossibilia, scilicet aliquid fieri à Deo certissimè, & tamen liberrimè.

Ad secundam Confirmationem sequentem (prima enim non indiget responsione, vtpote nixa interpretatione falsâ sensus compositi & diuisi) in qua ait D. Thomas, *Deum mouere omnia secundum rationem mobilium*, Verum quidem est, sed hoc minimè impedit, quominus fiat id determinatè quod Deus intendit, cuius intentio frustrari non potest vt iam diximus: vnde Sanctus Doctor de verit. q. 24. a 8. cùm sibi obiiceret quod gratia debeat recipi in libero arbitrio secundum modum eius, secundum quem est mutabile in bonum & malum: ad 6. respondet, *Eius quod recipitur in aliquo potest considerari & esse & ratio. Secundum quidem esse suum est in eo in quo recipitur per modum recipientis, sed tamen ipsum recipiens trahitur ad suam rationem, sicut calor receptus in aqua habet esse in aqua per modum aquæ, in quantum scilicet inest aquæ vt accidens subiecto: tamen aquam trahit à sua naturali dispositione ad hoc quod fiat calida & faciat actum caloris: & similiter lux aërem, licet non contra naturam aëris. Ita & gratia secundum esse suum est in libero arbitrio per modum eius, sicut accidens in subiecto, sed tamen ad rationem suæ immutabilitatis liberum arbitrium pertrahit ipsum Deo coniungens.* Ex quo patet liberum arbitrium per gratiam determinari & immutari, saluâ semper libertatis indifferentiâ, vnde cum Deus sit, teste Angelico Doctore 1. p. q. 22 a. 2. ad 2. non solùm prouisor vniuersalis, sed etiam particularis, non tantùm mouet nos ad bonum in communi ex inclinatione indita, vt vult R. Pater, verùm etiam ex aliqua qualitate superaddita, sicut dum mouet per gratiam ad aliquid determinatum, quod fieri etiam diximus absque vllo libertatis creatæ præiudicio.

VIII Ad tertiam Confirmationem pag. 51. in qua ait R. Pater, *Physicam Prædeterminationem inferre necessitatem ex eo quod non subiiciatur voluntati*, Respondeo negando sequelam, nam ille non distinguit inter qualitates quæ sunt per modum habitus, quibus vtimur cum volumus, vtpote quæ voluntati subiiciantur; & motionem illam virtuosam, quæ ideò datur à Deo, vt per eam sibi subiiciat voluntatem, seu vt illam applicet ad agendum, vt rectè notauit Aluarez disp. 86. *Auxilium efficax actuale (quod idem est ac præmotio physica in ordine naturæ) non subiacere nostri arbitrii potestati quantùm ad vsum, sicut subiacent habitus quibus vtimur cum volumus*, Nec propterea est pro libertate creata metuendum, operante illo, qui attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.

Et quamuis gratis concederemus, nos gratiâ actuali vti vel non vti (quod tamen nusquam fit à Thomistis concedendum, vtpote repugnans principiis doctrinæ Sancti Doctoris) adhuc possemus dicere, licet impropriè, gratiâ actuali nos vti, vel etiam abuti, quando id ad quod nos excitat & inclinat Deus, non plenè & perfectè perficimus: eâ autem nos vti quando id completè ad finem vsque quem debet ex se habere perducimus: ita tamen vt eâ nunquam benè vtamur, nisi gratiâ cooperante & subsequente adiuti: nunquam verò abutamur, nisi defectu voluntatis nostræ, iuxta illud, Perditio tua ex te Israel; tantummodo ex me auxilium tuum: ex quo nobis superest sola necessitas assiduæ orationis, quos nisi gratia Dei semper præueniat & sequatur, ac bonis operibus præstet iugiter esse intentos, nec bonum incipimus, nec cœptum ad finem bonum perducimus.

CAPVT QVINTVM.

In quo falſitatis arguuntur ſolutiones quarumdam objectionum quas, extraneis quibuſdam R. Pater pag. 51. & ſequentibus affingit, vt ex earum inſufficientia riſum moueat Prædeterminatio Thomiſtica.

I. TAnti fecit R. Pater lectoribus ſuadere nonnullos voluiſſe cum libertate neceſſitatem conciliare, vt non vereatur ſolutiones quaſdam excogitare quas facillimè attribuat Thomiſtis, huiuſque ſufficientiſſimum ſe habere exiſtimat fundamentum, quoddam proferens D. Thomæ teſtimonium perperam intellectum: ex eo ſiquidem quod doceat Sanctus Doctor 1. p. q. 82. a. 1. ad 1. *Neceſſitatem naturalem non auferre libertatem voluntatis, ſeu non repugnare libertati,* Statim infert R. Pater, hoc ipſum verę libertati adſcribendum, nec illud fore à Thomiſtis reiiciendum, etſi ex earum Doctrina de Prędeterminatione phyſica ſequeretur.

Verùm debuiſſet ille Cajetanum ſaltem conſulere, qui cum prædictam aſſerat D. Thomæ reſponſionem ad primum, poſſe bene & male intelligi, ſine dubio auſus non fuiſſet prauum Thomiſtis affingere intellectum, quem ille Thomiſtarum Coriphęus conſtat prædamnaſſe. At ne in eo vno ſiſtamus, legat qui voluerit Ferrarienſem lib. 3. contra Gent. c. 38. ſui commentarij, vbi ſyncerè & verè exponit, quid in prædicto loco Sanctus Doctor dicere voluerit, [Sed occurrit circa hoc dubium (inquit) vt enim dicitur in quęſtione de malo q. 16. a. 5. liberum arbitrium dicitur, eò quod in diuerſa poſſit, ſed homo non poteſt in diuerſa reſpectu eius boni ad quod ex interiori inclinatur neceſſitate, vt patet in beatis qui ſemper actu diligunt Deum, & non poſſunt non actu ipſum diligere dilectione charitatis: ergo talis neceſſitas non ſtat cum libertate: ergo male dicitur quod neceſſitas huiuſmodi nihil tollit de libertate voluntatis.]

[Reſpondetur quod cum libertas duobus modis ſumatur, ſcilicet vt opponitur neceſſitati coactionis, & vt opponitur neceſſitati naturalis inclinationis, non eſt de ratione ipſius in quātum opponitur neceſſitati coactionis, quod in diuerſa poſſit, ſed quod voluntatis inclinatione quis operetur, quod poteſt conuenire etiam agenti aliquid ex naturali inclinatione (vt bene etiam dixit Cajetanus) nam voluntas vult id in quod homo naturali inclinatione voluntatis fertur, cum voluntatis actus nihil aliud ſit quam inclinatio volentis in aliquod. Per oppoſitum autem quod quis neceſsitate coactionis agit, inuitus agit & contra voluntatem. De ratione autem libertatis in quantum opponitur neceſsitati naturalis inclinationis eſt, quod in diuerſa poſsit, quia non habet determinationem ad vnum. Vnde, de verit. q. 22. a. 6. inquit Sanctus Thomas, quod voluntas dicitur libera in quantum neceſsitatem non habet. De hac ergo loquitur D. Thomas loco allegato: hic verò loquitur de libertate vt opponitur coactioni] hactenus Ferrarienſis.

Et inde velim aduertat Candidus Lector non potuiſſe adduci Thomiſtas à quibuſdam Modernis ſine iniuriâ, in illorum ſententiam, qui vellent ad rationem libertatis ſufficere, vt eximatur à ſola coactione, cùm vbique aſſerant, hanc debere inſuper immunem eſſe à neceſsitate vt rectè diſiniuit Innocentius X. in ſua cōſtitutione quæ incipit, *Cum occaſione, &c.* Quia ad rationem dominij, potiſsimùm ad merendum & demerendum, ſemper excluditur determinatio ad vnum, non iſta quę à Deo fit per modum libertatis cum facultate ad oppoſitum, ex infinita virtutis Diuinæ efficacia, ſed hæc quæ fit per modum naturæ, qualis eſt illa quę cernitur in rebus naturalibus, de qua D. Thomas q. q. diſp. q. 24. (quæ eſt de lib. arb. a. 2. ad 2.) *Potentia, inquit, motiua brutorum ſecundum ſe conſiderata non magis inclinatur ad vnum oppoſitorum quam ad alterum, & ſic dicitur quod poſſunt moueri & non moueri, ſed iudicium quo applicatur potentia motiua ad alterum oppoſitorum eſt determinatum, & ſic non ſunt liberi arbitrij,* Itidem lib. 2. contra Gent. c. 48. *Intellectualia, inquit, non ſolùm ſunt liberę actionis, vt irrationalia, ſed etiam liberi iudicij, quod eſt liberum arbitrium habere.* Legendus omninò Doctor Angelic. lib. 2. ſent. diſt. 25. q. 1. a. 1. & 1. p. q. 82. a. 1. ad 3. Explicatur magis: ſi arca quæ eſt in mente artificis, eſſet forma materialis ad vnum modum determinata, qualis eſt forma nidi impreſſa æſtimatiuæ hirundinis, non inclinaret ad opus, niſi ſecundum modum quem præhabet determinatum: nec penes artificem eſſet domum ædificare, aut ab illa abſtinere, vel eius formam variare. Verùm quia forma domus in cauſa intelligente abſoluta eſt, nec ex ſe determinata vt opus exeat certâ formâ ſeu modo, hinc ſequitur inclinatio libera domus ædificandæ & facultas variandi formam, quæ omnia deſunt brutis, quæ vnum in agendo tenorem ſeruant, v. g. hirundines eadem formâ nidificant, atque vni addicuntur operi, veluti & apes in fauo mellis conficiendo: ſic quæ mouentur viſis quę ſibi occurrunt, aut paſsionibus inſurgentibus ſic afficiuntur, vt timorem vel fugam cohibere nequeant. Quare cum brutis voluntarium attribuit Philoſophus, id explicat Doctor Angelicus, prout voluntarium violento opponitur, non verò prout dicit indifferentiam libertati neceſſariam. Et 2. 2. q. 103. a. 1. ad 1. *Deus, inquit, reliquit hominem in manu conſilij ſui, non quia liceat ei facere omne quod velit, ſed quia ad id quod faciendum eſt non cogitur neceſsitate naturæ, ſicut creaturæ irrationales: ſed liberâ electione ex proprio conſilio procedente,* Subintellige ſemper, vt dictum eſt, præſuppoſitâ primæ cauſæ influentia, quia creatura nec eſt primum agens aut primum liberum, nec eſſe poteſt vt iam toties diximus. Legendus D. Tho. 1. p. q. 19. a. 3. ad 5. q. 83. a. 1. ad 3. & 1. 2. q. 6. a. 1. ad 3. q. 3. quæ eſt de creat. a. 7. ad 3. 4. 5. 12. & 13. De Malo. q. 3. a. 2. ad 4. vbi ait [Manifeſtum eſt autem quod cum aliquid mouet alterum, non ex hoc ipſo quod eſt mouens, ponitur quod eſt primum mouens, vnde non excluditur quin ab altero moueatur, & ab altero habeat ſimiliter hoc ipſum quòd mouet. Similiter cum aliquid mouet ſeipſum, non excluditur quin ab altero moueatur, à quo habet hoc ipſum quod ſeipſum mouet, & ſic non repugnat libertati, quod Deus eſt cauſa actus liberi.]

II. Nemo igitur æquiuoco determinationis nomine decipiatur, quæ cum multiplex ſit, ſemper diſtinguenda eſt iuxta tritum Ariſtotelis effatum priuſquam definiatur, nam quis minus liberum exiſtimet v. g. Chriſtum Dominum ex eo quod peccare non poſſet, vel quod quemdam haberet ad bonū determinationis modum vt docet D. Thomas 3. p. q. 18. a. 1. ad 4. *Voluntas humanâ Chriſti, inquit, habuit quemdam determinatum modum*

ex eo quod fuit in hypostasi Diuinâ, vt scilicet moueretur semper secundum nutum Diuinæ voluntatis, Non ergo omnis determinatio talis est, qualis est illa quæ est in motibus indeliberatis, vel quæ cernitur in brutis, à qua multùm discrepat illa quæ ex Prædeterminatione physica sequitur, vtpote includens modum libertatis cuius non minus sit causa Diuinæ virtutis efficacia, quàm substantiæ actus; vnde & libro 2. ad Anibal. dist. 25. a. 2. postquam ostendit D. Thomas quomodo iudicium brutorum sit in eis quasi ab alio præfixum, quatenus fit ex instinctu seu æstimatione naturali, quod non est, inquit, in habentibus liberum arbitrium, & ibidem ad 2. respondens Sanctus Doctor huic prou. 20. Cor Regis in manu Dei, &c. ait, *Quod operatio quam Deus in liberum arbitrium operatur ipsum vertendo & mutando non præiudicat eius libertati, quia Deus operatur in liberum arbitrium secundum modum eius, sicut & in qualibet alia re.*

Pag. 52. Magnum contra quosdam (quos vocat extraneos) instruit certamen R. Pater, vt probet definitionem liberi arbitrij traditam à D. Thoma 1. p. q. 62. a. 8. ad 3. minimè esse admittendam, in qua asseritur spectare ad perfectionem libertatis vt diuersa possit homo eligere, seruato ordine finis, maximè si fiat definitio, quę homini, Angelis & Deo optimo sit communis.

Sed ad hoc respondeo primò nil nostra interesse quantùm ad præsens spectat, qui indifferentiam libertatis suscepimus propugnandam stabilitâ naturâ physicæ Prædeterminationis: quare libentissimè admittimus ea omnia quæ pag. 53. dicuntur, dummodo benè intelligantur, saluo scilicet Dei dominio, seu præsuppositâ primæ causæ influentia, quam hactenus sufficientissimè probauimus necessariam esse.

Deinde, dicemus infrà, quomodo non quæcunque dissoluta & effrænis indifferentia, sit propria libertatis essentia, nam vt ait Seneca, *In Regno nati sumus, Deo parere libertas est.* Nec vnquam negarunt Thomistæ, quominus libertas, quæ in electione consistit, reperiatur, etiamsi ordo debitus ad finem non obseruetur, sed contendunt hanc indifferentiam non debere esse ita absolutam, quin aliquando ab ipso fine dependeat, seu cum fine debito subsistat, ita D. Thomas 1. p. q. 62. a. 8. ad 3. vbi ait, *Quod liberum arbitrium diuersa eligere possit seruato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis eius.*

Dico secundo certissimum esse in via D. Thomæ potentiam peccandi, per se non pertinere ad essentialem libertatis definitionem in communi sumptam, sic tamen sumendam vt statim dicemus, ex quo non licet inferre, vt autumat R. Pater, quod homo non sit liber, aut quod non peccet nisi fictè: etenim quamuis peccatum vt est deuiatio à recta ratione non reperiatur nisi in voluntate quæ potest agere vel non agere, benè vel malè, sicut nec cæcitas nisi in animali: hinc tamen sicut non legitimè infertur quod animal visu priuatum, sit tantùm fictè cæcum, ex eo quod cæcitas non sit in eo quid reale, realiter spectans ad naturam animalis, in quo tamen est realiter sicut & aliæ priuationes: sic nec benè infertur quod homo non sit nisi fictè liber, aut quod peccet tantùm fictè, ex eo quod potentia peccandi non pertineat ad essentiam libertatis, Quare potuit R. Pater aduertere sanctum Doctorem q. 22. de verit. a. 6. loqui de voluntate, non secundum se præcisè, sed de ea secundum statum in quo deficere possit vt legenti patebit, qui nisi hæc sequentia D. Thomæ verba suo more truncasset, *Et pro tanto dicitur quod velle malum, nec est libertas, nec pars libertatis, quamuis sit quoddam libertatis signum*, Iam nullum superesset pro libertate negotium.

III. At præmissa hàc discussione, non minus certum est apud D. Thomam, tradendam esse aliquam libertatis definitionem, Deo, Angelis & hominibus communem, quæ certè alia non sit, quàm quæ propugnatur à Thomistis consistens in indifferentia actiua liberi arbitrij contradictoriè sumptâ. Ita D. Tho. cui liberum arbitrium est virtus electiua q. 7. de Simplicitate Dei a. 7. qui cum sibi ex Aristotele X. Metap. æterno & temporali nihil esse commune, nisi nomen, dixisset, ex quo tantum superesset sola æquiuocatio. Ad 1. in Sed contra respondet [Quod Philosophus loquitur de communitate naturaliter & non logicè: ea verò quę habent diuersum modum essendi non communicant in aliquo secundum esse quod considerat Naturalis: possunt tamen communicare in aliqua communi intentione quam considerat logicus. Et præterea etiam secundum naturales corpus elementare & Cœleste non sunt vnius generis, sed secundum Logicum sunt. Nihilominus tamen Philosophus, non intendit excludere analogam communitatem, sed solum vniuocam.]

Confirmatur ex responsione ad 2. nominatim verò ex quęst. vnic. de scientia Dei sequenti art. 11. vbi ostendit eandem esse rationem omnium, [In quorum definitione non includitur defectus nec dependentia à materia secundum esse, vt ens, bonum, &c. Igitur sicut à corpore cœlesti & elementari abstrahitur ratio corporis, illis logicè communis, quæ licet genere differant, in hoc tamen conueniunt quod trinam habeant dimensionem: ita & de libertate dicendum est, sicut & de scientia, bonitate, cæterisque omnibus secundum se imperfectionem minimè inuoluentibus. At de ratione libertatis in communi est indifferentia actiua, agendi scilicet & non agendi, quæ tam agentibus liberis, quam ipsi Deo conuenit, nusquam verò potentia deficiendi. Si ergo nihil prohibet vt ait D. Thomas, [Inueniri liberum arbitrium quod nullo modo tendere possit in malum, vt quid non poterit definiri? Quod si non pertinet (vt ait idem Sanctus Doctor) ad rationem alicuius potentiæ quod deficiat in suo actu, v. g. ad rationem potentię visiuæ quòd aliquis obscurè videat.] Qui inferat R. Pater pag. 58. liberum arbitrium peccare tantùm fictè & impropriè, nisi in eo includatur potentia deficiendi? *Signum igitur est quod homo sit liber si deficiat*, vt ait *D. Thomas*, non verò quod hæc infœlix & misera peccandi potestas sit essentia libertatis.

Sed vt hoc euidentius adhuc demonstretur, legat qui voluerit Sanctum Doctorem q. 16. de spiritualibus creaturis a. 5. [Secunda autem diuersitas, inquit, in quam liberum arbitrium potest, attenditur secundum differentiam boni vel mali. Sed ista diuersitas non per se pertinet ad potestatem liberi arbitrij, sed per accidens se habet ad eam in quantum inuenitur in natura deficere potenti. Cum enim voluntas de se ordinetur ad bonum sicut in proprium obiectum, quòd in malum tendat non potest contingere nisi ex hoc quod malum apprehenditur sub ratione boni, quod pertinet ad defectum intellectus vel rationis, vnde causatur libertas arbitrij. Non autem pertinet ad rationem alicuius potentiæ quod deficiat in suo actu, sicut non pertinet ad rationem potentię visiuę quod aliquis obscurè videat, & ideò nihil prohibet inueniri liberum arbitrium, quod ita tendit in bonum, quod nullo modo potest tendere in malum, vel ex natura sicut in Deo, vel ex perfectione gratiæ sicut in hominibus & Angelis beatis.] Quid euidentius?

At, prędictum D. Thomæ testimonium conferat Candidus Lector cum illis verbis Reuerendi Patris pag. 55. vbi volens veram exprimere voluntatis libertatem, dicit illius indifferentiam in hoc consistere, *Quod voluntas possit bene vel male operari*, Discat igitur ab Angelico

gelico Doctore R. Pater signum libertatis distinguere ab eo quod sit libertati essentiale; ex quo sufficienter fit satis omnibus quæ vsque ad tertiam partem pag. 59. obiiciuntur.

Verùm quia in fine paginæ 58. quædam tetigit R. Pater de indifferentia ad agendum: paulò fusius hac de re Sanctum Doctorem lector euoluat 1. p. q. 19. a. 10 ad 2. q. 62. a. 8. ad 3. 2 2 q. 88. a. 4. ad 1. 1. p. q 18. a. 4. ad 3. Et ibid. q. 58. a. 3. ad 1. In 2. sent. dist. 25. q. 1. a. 1. ad 2. vbi ait D. Angelicus *Liberum arbitrium non tendere in malum nisi propter aliquem defectum &c.* Et quod vbi est perfectissimum, ibi in malum tendere non potest; *sed hoc ad libertatem arbitrii pertinet vt actionem aliquam facere vel non facere possit, & hoc Deo conuenit, bona enim quæ facit, potest non facere, nec tamen malum facere potest.*

Item de verit. q. 24. a 7. ad 4. *Quamuis, inquit, potestas peccandi non sit libertas, nec pars libertatis, vt dicit Ansel. lib. de libero arb c. 1. consequitur tamen libertatem in natura creata. Et a 9 ad 5. Posse peccare (inquit) non facit ad meritum, sed ad meriti manifestationem in quantum ostendit opus bonum esse voluntarium, & ideò inter laudes viri iusti ponitur Eccl. 31 Qui potuit transgredi & non est transgressus, facere malum & non fecit.*

IV. Mihi hanc defensionem perficienti occurrit opus egregium de libertate, recens editum à Reuerendo Patre Baronio ordinis Prædicatorum qui mirum in modum libertatis arcanum rimatur & prosequitur, dum ipsius libertatis radicem & originem in præstantia naturæ intelligentis intuetur infiniti boni capacis, ac proindè multùm superioris aliis quibuscumque bonis, in quæ habet dominium, ex eo quod digna non sint quibus subiiciatur, aut quæ amet necessariò, sed liberè si velit, vtatur illis. Hæc libertatis imago talis est (inquit) quæ Deo, Angelis & hominibus conueniat: nam eius intima radix est illa plenitudo, quâ omnes perfectiones continet, vel actualissimè vt Deus: vel potentiâ, vt anima rationalis corpori infusa: vel medio modo, vt Angelus à Deo in primo suæ creationis instanti speciebus instructus qui est omnia, partim actu, partim in potentia. Hinc infert Baronius, indifferentiam ad bonum & malum & ad amorem summi Boni, defectum esse libertatis, nam hoc bonum longè præstaret necessariò amari sicut de facto illud amant beati: insuper, & deliberationem de vltimo fine, de quo vt de re omninò certâ & iustâ, sicut dicebat Sanctus Cyprianus conueniret, nullam esse aut fieri deliberationem.

Subinde, tres distinguit ille opiniones; Prima fuit quorumdam Modernorum asserentium necessitatem stare cum libertate, ac proinde amorem increatum quo Deus suam diligit bonitatem: vel creatum quo Beati & Cælites eidem adhærent bonitati, liberrimum esse. Non quod sentiant liberum esse quodcunque voluntarium, quod inest etiam brutis, nostrisque actibus indeliberatis; sed illud dumtaxat liberum, quod est cum perfecta obiecti cognitione, omnibus perpensis eius meritis; (In quo hæc opinio differt à Caluino, qui volebat actus indeliberatos esse liberos, eâ libertate quæ ad peccati malitiam sufficeret.)

Sed hæc modernorum opinio est nimis angusta, imò & veræ libertatis destructiua, quæ non solùm coactionem excludit, sed & necessitatem vt diximus.

Secunda opinio est Molinistarum nostrique Fuliensis qui libertatem in indifferentia absoluta ponunt rem quamlibet amandi vel non amandi aut etiam odio habendi; nullâ limitatione receptâ, etiam à fine, quin hoc ipso libertatem tollat, quòd de indifferentia aliquid auferat, quam vnicam volunt esse libertatis essentiam. Sed & ista est nimis laxa, in eo potissimùm quod indifferentiam ad peccandum, falsò autumat ad perfectionem libertatis pertinere.

Medium quod Beati tenuêre, prosequuntur Thomistæ, dum negant vnionem ad Summum bonum per amorem beatificum, esse formaliter liberam. Nihilque repugnare libertati seu indifferentiæ subordinationem ad finem, quâ temperetur, non minuatur vera indifferentia quæ ad libertatem pertinet. Nam sicut discurrit intellectus à principiis ad conclusiones, ita voluntas à fine ad media progreditur, cum hoc discrimine quod principiis sunt vt plurimùm conclusiones necessariò connexæ; secùs media finibus, quibus sæpè tantùm contingenter appendent, vt conclusiones omnes probabiles suis præmissis.

Et sicut ad rationis vim & perfectionem non pertinet, malè ex principiis conclusiones inferre (seu, vt diximus cum Angelico Doctore, non pertinet ad perfectionem potentiæ visuæ, posse malè videre) ita nec est essentia nec pars libertatis, sed potius defectus, ex fine constituto, malè media eligere: Ac proinde electio, ordine finis prætermisso, vitium est libertatis & imperfectio, non vera eius natura quæ in independentia seu eminentia suprà bona finita consistit (nam quæcumque materiæ immersa sunt ad determinatam perfectionis speciem coarctantur) tanquam illorum domina, bono infinito soli subdita, potens ad arbitrium repellere quidquid illo minus est, dum intellectus beneficio bonum quodcũque creatum, potest aliquo notare defectu, ac proinde illud amandum proponere cum indifferentia & libertate. Voluntas quippe boni capax infiniti, solo bono increato clarè cognito potest satiari: cæteris verò finitis superior est, nisi ipsis per ignauiam sese deiiciat: vnde quando suo infortunio suam in bonum infinitum exercet libertatem, Deumque ipsum obscurè cognitum potest hic non amare, id ex ignorantia & infirmitate potiùs est, quàm ex vlla libertatis perfectione. Et quoniam hac in vita bonum ipsũ infinitum non nisi per offusas rerum caligines nobis apparere potest, vbique nobis innascitur indifferentia, nihilque est vllo in obiecto quod rapere effectũ possit necessariò: nam voluntas cæca sequitur iudicium intellectus, qui cum indifferentia proponit prosequenda esse omnia bona finita, imò & infinitum obscurè cognitum.

V. Subtilissimè intentum prosequitur variis exemplis & rationibus, suamque enucleat opinionem, asserens nullum extare vitæ humanæ genus, artis aut scientiæ alicuius, nisi eâ œconomiâ quâ libertatem explicat: nam sibi quælibet scientia aut professio vnum obiectum & finem constituit tanquam immotum cardinem, v. g. ars Medica obiectum ponit *corpus sanabile*, & id pro comperto & ita certo, vt si quis de illo dubitet, artis Medicinæ fundamentum iudicetur conuellere: sibique etiam pro fine valetudinem assumit, illi se subiicit, illam vellet immortalem, nulli morbo obnoxiam, causâ illius reliqua molitur, & quamnis valetudo corporis, nedum finitis bonis annumeretur, sed mediocribus: sanitati tamen adhæret Medicus vt necessario bono, cætera liberè eligit, illius seruandæ aut restituendæ causâ, aliisque omnibus modum ex illa adhibet quasi ex certa regula. Eodem ordine, inquit, reliqui homi-

nes res suas peragunt, singuli certum vitæ genus eligunt, finem in illo constituunt ad quem cõsequendum reliqua omnia admouent & trahunt. Et hæc quasi necessaria adhæsio ad bonum constitutum est veluti ianuæ cardo, quo circumagitur, & ingressum permittit aut prohibet domum accedentibus.

Quid noui comminiscimur, inquit, si totius vitæ humanæ & Christianæ cursum, si libertatem innatam aut ascitam ex gratia, ad illa exempla familiarissima componamus? Hunc ordinem Sapientes præscribunt homini si statum libertatis consentanea iura seruare velit. Quid enim mali est si vtriusque ordinis, naturæ scil. & gratiæ libertatem perfici optemus, dum vitam humanam & Christianam eâ œconomiâ instituimus quam quisque hominum seruat, dum suę probè fungitur officio; dum rationi, sapientiæ, legi æternæ, Deo, vt vltimo fini & summo bono adhærere jubemur? Hæc dicta sint occasione testimonij Diui Thomæ in hoc capite relati, asserentis *Pertinere ad perfectionem libertatis, quod liberũ arbitrium diuersa eligere possit, seruato ordine finis*: quod Reuerendo Patri Fuliensi videbatur lapis offensionis & petra scandali: quod idcircò amouendum hoc egregio discursu iudicauimus.

Verùm hic diutiùs non immorabimur in exscribendo viro, cuius opera omnium litteratorum gratulatione excipiuntur, in quibus stili elegantia cum soliditate doctrinæ, vi argumentorum & subtilitate ita decertat, vt vix iudices quid in illis magis mireris.

Ego verò pro tenuitate supra modum aduersariis morem gerens, & fortè vltra omnes complacentiæ leges; libertatis indifferentiam, quam tàm importunè efflagitabant, vbique propugnaui, saluâ semper Prædeterminatione physica, cui tàm infensi erant adversarij. Legatur omninò prædictus Pater Baronius in sua 3 part. dogmatic. disp. 1. sect. 2. paragr. 1. & sequent.

CAPVT SEXTVM.

In quo confutantur quę in tertia Defensionis parte à R. Patre afferuntur.

I. QVamuis iam sufficienter diximus cum Angelico Doctore lib. 1. cap. 16 num. 30. Deum opt. non esse, nec esse posse causam peccati in agentibus liberis, etsi hæc ab eo in omnibus præueniri ad agendum necesse sit: attamen quia in re tanti momenti cauendum est ab omni specie mali, accuratiùs subueniendum est Lectoribus, ne à R. Patre subdolis sententiarum inuolucris decipiantur. Etenim tàm frequenter sine vlla distinctione totque abutitur ille D. Thomæ testimoniis, vt quàm facillimè incautum Lectorem ludificetur, nisi verum à falso quàm diligentissimè secernatur. Iterum igitur atque iterum profiteamur Deum opt. non esse causam peccati aut mali moralis, propositionesque omnes absolutè negandas quæ asserant hominem Dei auxilio ad mentiendum verbi gratia indigere, quia illæ sunt de peccato secundum se, seu de malitia morali quæ est id quod est formale & principale in actu peccaminoso. Nequaquam verò negandum à Deo causari entitatem actus quæ est bona, & basis, seu fundamentum huiusmodi deformitatis, sicut & animal est subiectum cæcitatis, sine quo non esset talis priuatio, nec esse posset; vnde & dixit Aristoteles quod si malum esset integrum destrueret seipsum, eademque nixus ratione docuit D. Angelicus nullum posse esse malum quod verè & in se sit infinitum.

Et licet sine vllo ferè negotio fieret satis omnibus argumentis R. Patris, dicendo omnia testimonia D. Thomæ ab ipso allata pag. 60. &c. non militare contra Thomistas, quia in illis loquitur sanctus Doctor de peccato formaliter sumpto, cuius voluntas creata est prima causa deficiens, quam vt sic, non sit necesse, immò nec possibile à Deo præueniri. Attamen paulò fusiùs res est examinanda, ne sub prætextu vitandæ Caluinianæ blasphemiæ asserentis Deum esse peccati authorem saltem indirectè; in errorem incidamus Manichæorum asserentium duo esse prima principia, quæ sanè essent admittenda, eliminatâ Prædeterminatione physicâ, vt constat ex dictis.

Sufficientissimè ergo soluitur argumentum ab Angelico Doctore, quoties loquens de peccato formaliter sumpto, asserit Deum non esse causam peccati qui tamen aliquando auxilium (ob præterita sc. crimina, infinitasque negligentias) iustè denegat; cuius est non solùm vnicuique priuato homini intendere, sed etiam communi bono prouidere, vt contigit ipsis Iudæis specialiter ab ipso electis, ex quorum delicto salus fuit Gentibus, vt loquitur Apostolus.

At cum de peccato agitur quatenus sub eo positiuũ quid includitur, quod à Deo opt. esse necesse sit, cum sit entium omnium causa vniuersalis, aliter philosophandum est & distinctione vtendum, nec continuò inferendum est illum esse causam malitiæ, ex eo quod sit causa entitatis quæ bona sit, vt constat ex B. Alberto Magno in 2. sent. dist. 35. a. 7. vbi ait *Antiqui circa hanc quæstionem, vt patet in littera, duobus modis opinabantur, Quidam enim dicebant voluntatem per se sufficere ad actum malum, sed non ad actum bonum vel indifferentem. Et dixerunt quod ex hoc non sequitur duo prima principia esse, quia voluntas per se agit malum, tamen ipsa non est à se: in eo autem quod est primum principium, exigitur quod sit à se. Et hæc opinio obtinuerat plures antiquorum. Quia verò Moderni viderunt quod perfectius est agere quàm esse: viderunt, quod id quod non est à se, nec potest à se manere in esse, multò minus potest agere à seipso: Et cum actus malus secundum conuersionem ad creaturam sit simpliciter actus egrediens à potentia activa perfecta secundum naturam, ideò concluserunt quod non egreditur ab ea nisi secundum quod mouetur à prima causa: alioquin sequeretur duo prima principia esse. Et hæc est causa quare & alia opinio ferè cessit ab aula, & à multis modernorum reputatur hæretica. Sustinendo igitur istam opinionem, dicendum quod voluntatis natura dependet ad Deum sicut secundum dependet ad primam causam & continens & mouens: & in tali ordine defectus incidit ex secundo, & non reducitur ad primum, sicut patet exemplis: licet enim peccatum in parte incidat quandoque ex iniquitate materiæ, tamen quidquid forma inducitur ex monstro, totum effluit à virtute formatiua: ergo à simili licet defectus malitiæ incidat in actu voluntatis, tamen quidquid entitatis habet, totum est à causa prima omnia mouente. Idem probatur per motum solis qui mouet vires naturales, circa quarum*

operà multiplices accidunt defectus, & tamen quidquid est ibi informationis, totum est à virtute solis non errante. Item de claudicatione: quidquid enim est ibi gressus, totum est à virtute mouente tibiam sine errore. Deuiatio autem à recto, causatur à tibiæ curuitate, quæ nihil est, sicut nec aliquid est curuitas tibiæ. Ergo à simili sic etiam est in Deo mouente liberum arbitrium in actu mali. Dupliciter igitur actus malus refertur ad principium efficiens scilicet concretus malitiæ, & sic non refertur nisi ad voluntatem quę est principium efficiens & deficiens. & sic non est res: & hoc modo loquitur Fulgentius. Alio modo refertur principium efficiens secundum id quod habet de esse, & hoc modo refertur in Deum vt primum efficiens. Hactenus B. Albertus Magnus.

II. A suo Præceptore nullatenus hac in re recessit Doct. Angelicus in 2. sent. dist. 37. q. 2. a. 2. vbi inquirens vtrum actio peccati quatenus actio, sit à Deo? Postquam respondit affirmatiuè, quia ex opposita sententia videtur sequi quod sint plura prima principia, sic concludit [In omnibus in quibus incidit defectus ex causa secunda & non ex causa prima, oportet quod quidquid est in effectu deficiente, essentiæ & bonitatis, totum à prima causa procedat. Quod autem defectus reducatur in causam secundam deficientem, patet in claudicatione quæ est à virtute progressiua, mediante tibia, per cuius scilicet tibię curuitatem, obliquitas in gressu claudicantis relinquitur: vnde quidquid est ibi de gressu, totum est à virtute gressiua, sed defectus vel obliquitas gressus, non est à virtute gressiua, sed à tibia tantùm. Similiter etiam est ordo Dei ad voluntatem causatam, sicut causę primæ ad causam secundam, ideò ex parte Dei, nullus defectus incidere potest: voluntas autem causata ad defectum possibilis est, & ideò quidquid est in actu deficiente scilicet peccato, de ratione actus, & entis, & boni, totum hoc à primo agente scilicet Deo procedit mediante voluntate, sed ipse defectus qui est in actu hoc modo est à voluntate, quod à Deo non procedit, &c.]

Et cùm sibi obiecisset D. Thomas, quidquid est causa actionis in qua deformitas fundatur secundum quam actio mala dicitur, est mouens & cooperans ad malum, sed Deus est causa, &c. Ad 2. sic respondet, [Illud dicitur ad malum cooperari quod inclinat ad actionem secundum quod actio deformitati substat, vnde mala est. Hoc autem Deo non conuenit, & ideò non oportet vt ad malum cooperari dicatur, quamuis actio illius, causa sit entitatis in qua malum consistit, secundum quod influit agenti, esse, posse, & agere, & quidquid perfectionis in agente est, &c.]

Rursumque sic instante Sancto Doctore, [Bonarum actionum Deus non est actor nisi secundum quod Deus potentiæ agendi efficaciam confert, &c. Si igitur Deus ipsarum actionum malarum in quantum actiones sunt à potentia egredientes causa esset, eodem modo dicendus esset actor malarum actionum sicut & actor bonarum.]

Ad 3. Respondet, [Deus dicitur causa bonarum operationum, non solùm quantum ad essentiam actus, sed etiam quantum ad perfectionem secundum quam bonę dicuntur, vtrumque enim agenti influit, & vt agat & vt bene agat: sed in malis actionibus quamuis sit causa earum quantum ad essentiam, non tamen est causa quantum ad defectum, & ideò absolutè Deus dicendus est, causa bonorum operum, non autem peccatorum.]

Denique argumento quinto facta hac obiectione [Rei non assignatur causa efficiens secundum quod est in intellectu, sed secundum quod est in re, sed quidam actus sunt in quibus non potest separari illud quod est de natura actus à deformitate nisi secundum intellectum, quia benè fieri non possunt, &c. Sed vt sunt sub deformitate non sunt à Deo, ergo nullo modo a Deo sunt.

Ad 5. Respondet D. Thomas [Quod sicut actio quæ peccati deformitatem habet, dicitur bona, in quantum est actio bonitate naturæ: non propter hoc quòd aliquando inueniatur separata à deformitate, sed quia bonitas illa naturæ deformitati substat, ita etiam Deus dicitur esse causa illius actionis in quantum est actio, & non in quantum est deformis: hoc modo quod actionem non faciat à deformitate separatam: sed quia in actione deformitati coniuncta, hoc quod est actionis, facit: & quod deformitatis, non facit: etsi enim in aliquo effectu plura inseparabiliter coniuncta sint, non oportet vt quidquid est causa eius quantum ad vnum, sit causa eius quantum ad alterum, sicut natura est causa oculi quantum ad substantiam eius, & non quantum ad defectum cæcitatis, quæ ex naturę defectu incidit,] Quid poterat efficacius excogitari vt Reuerendi Patris defensio confutaretur, quam quæ ab Angelico Doctore proposita sunt & soluta?

III. Testimonium autem quod adducit R. Pater pag. 104. ex D. Thoma, non est ad propositum, quia ibi loquitur Doctor Angelicus de gratia habituali, pręter quam, necessarium est Dei adiutorium actuale, pro quo militamus, quo non minus possit agens creatum etiam transire in actum contrarium, quàm per formam, de qua ibi est sermo.

Ex prædictis sufficientissimè satisfit his quæ affert R. Pater à pag. 60. &c. Nominatim verò ex responsione ad 5. qua euidenter soluitur argumentum, de quo ille ait pag. 64. *Verùm hoc gratis asseritur, &c.*

Cum verò pag. 61. instat ipse ex eodem Angelico Doctore 1. 2. q. 79. a. 1. Respondeo non debuisse Reuerendum Patrem omittere responsionem ad 3. eiusdem atticuli, sicut & articulum sequentem, vbi expressè docet Sanctus Doctor hoc ipsum quod propugnamus, scilicet Deum optimum nullo modo esse causam peccati, etiam pręsuppositâ primæ causæ influentiâ, eademque vtitur claudicationis similitudine, à qua repetenda breuitatis causa abstinemus. Legatur D. Angel. de malo q. 3. a. 1. ad 4. Quare aut spongiâ deleat Angelicum Doctorem R. Pater aut, inanem fateatur suam eiusdem defensionem. Cætera autem quę passim spargit ille, iam soluta sunt ex cap. 2. huius libri tertij.

Præterea recurrit Reuerendus Pater pag. 64. ad gratiam sufficientem, immemor eius quod dixerat in initio, *Nullum scilicet ei locum relinqui ex Prædeterminatione physica.* Verùm, quia ex dictis fusè superque satis lib. 1. cap. 16. nostram hac in re mentem aperuimus, ad hoc prædictum caput lectorem remittimus, ne exosa repetitione ipsum frustrà grauemus, ibi enim euidentissimè ostendimus, quî ex Doctrina Thomistica nihil hac in parte sequatur, nisi singularis prærogatiua primæ causæ, saluâ semper libertate creaturæ.

Nullius igitur culpę Author est Deus, oppositumque sentientibus cum omni detestatione anathema dicunt Thomistæ: quod intelligendum esse de culpa formaliter sumpta iam non semel diximus. Nam de entitate quæ bona est aliter philosophamur, quæ etsi sit basis & fundamentum seu subiectum iniquitatis, sicut & animal cęcitatis, nil vetat quin Deo adscribi possit & debeat, vt patet ex D. Thoma citato in 2. sent. dist. 37. a. 2. ad 2. quia cum Dei omnipotentia sit causa vniuersalissima, debet suam extendere causalitatem ad omnem entitatem physicam ac modum seu formalitatem realem illius: maximè quia liberum arbitrium dum peccat licet deficiat in genere moris (in quo est prima causa deficiens) efficit tamen aliquid in genere physico, in quo indiget

præueniri à Deo, non autem in altero, vnde & iure merito ait D. Thomas 1. 2. q. 80. a. 1. ad 3. Malum consilium formaliter & vt sic esse effectiuè ab humana voluntate deficiente & à diabolo suadente, non verò à Deo. Et ideò etsi homo infallibiliter peccet, dum talem actum bonum elicit in quo defectus aliquis reperitur, hic non prouenit ex vi Præmotionis, quæ talis est vt ei semper possit resisti, sed ex malitia & ignauia voluntatis: & inde oritur necessitas continuò recurrendi ad Deum, vt Diuini operis fructum etiam propensius exequentes, pietatis suæ remedia maiora mereamur percipere ad perficiendum, quia nisi præstet ille & iugiter nos bonis operibus esse intentos, illicò deficiemus: vnde & Deus iustè punit peccatorem quia deficit exequendo id ad quod Deus præmouet: & hoc singulare est discrimen inter præmotionem physicam & moralem, quod moralis cum sit per modum consulentis, præcipientis, aut lege positiua permittentis, debet suo consilio, præcepto aut permissione attendere ad omnia quæ infallibiliter sequuntur ad actionem illam quomodocumque; & ita omnis defectus moralis ei imputatur, non verò agenti physico maximè si sit causa vniuersalissima qualis est Deus prouisor omnium vniuersalis (à quo debet indispensabiliter causari omnis entitas) qui adeò bonus est D. August. teste, vt nulla permitteret mala, nisi majora inde bona ad gloriam suam, salutemque hominis euentura prospiceret.

IV. Confirmatur: si quę esset ratio quę suaderet Deum non prædeterminare liberum arbitrium ad materiale peccati materialiter consideratum, seu ad entitatem physicam in qua reperitur defectus moralis, esset quia huic entitati annexa est inseparabiliter malitia seu peccati deformitas: hoc enim est præcipuum Reuerendi Patris fundamentum, hac de causa asserentis sufficere concursum simultaneum: sed hæc ratio nulla est, & potiori iure tenetur respondere argumentis quę contra nos obiicit: nam ratio veri est inseparabilis à ratione boni, & tamen intellectus attingit tantùm rationem veri, & voluntas tantùm rationem boni: ergo cum sola entitas physica in actu peccaminoso sit attingibilis à causalitate Dei, sola hęc ab ipso attingetur, etsi coniuncta sit cum malitia, vt expressè docet D. Thomas citatus in lib. sententiarum.

Non omnis qui sciens & volens liberè concurrit ad substantiam alicuius actionis, cui malitia seu deformitas peccati inest, huius est & causa. Nam si ex duobus idem opus efficientibus aut idem onus portantibus, vnus bonâ fide, alter malâ intentione: vnus ex officio, alter contra prohibitionem sibi factam id efficiat: aut docens alium scribere, eiusque deducens manum, id vnus prauo fine faciat, quod discens, bono fine præstat, peccabit vnus & non alter. Ratio est, quia peccatum imputatur ei, qui sciens & volens producit actum, quo deflectit à lege Dei, & à recto ordine ad Deum recedit, cum peccatum formaliter & completè nihil sit aliud, quàm actus inordinatus, quo peccans à Dei lege & à Deo fine vltimo deficit, Deumque offendit: Deus autem concurrens ad substantiam actus peccati, à nulla lege discedit, nec se aut vllum alium à se auertit. Quę ratio est D. Thomę 1. 2. q. 79. a. 1. *Deus, inquit, non potest esse directè causa peccati vel sui vel alterius, quia omne peccatum est per recessum ab ordine qui est in Deum sicut in finem. Deus autem omnia inclinat & conuertit in se ipsum, &c.* Igitur Deus concurrens ad actum, in quo est peccati deformitas, non peccat, sed solus homo, quatenus per actum quem producit à Deo fine suo vltimo recedit.

Deinde ex Reuerendo Patre, omnibusque Catholicis Doctoribus, paucissimis exceptis, Deus concurrit simultaneè ad materiale peccati materialiter consideratum, non obstante quod sit inseparabiliter annexum cum malitia: ergo etiam concurrit præuiè cum libero arbitrio seu illud Prædeterminat: si enim aduersarij prædeterminationis dicunt, & secundum fidem dicere tenentur quod Deus tali concursu simultaneo attingens immediatè entitatem actus peccaminosi, non attingit ipsam deformitatem quamuis annexam, quia hæc coniunctio non est essentialis & intrinseca, seu ex meritis ipsius entitatis, sed prouenit ab extrinseca voluntate deficiente, quare non admittent quod Deus concursu præuio attingit illam entitatē, non attingendo malitiam ob rationem dictam: concursus enim præuius strictè non est influxus immediatus in actum, sed in potentiam, & mediatus mediante potentia in actum: nam est difficilius conceptu, quod influxus immediatus in actum attingat entitatem eius & non malitiam, quàm quod hoc faciat influxus mediatus in actum, non enim illum attingit nisi mediante alio à quo præcisè potest procedere hic defectus malitiæ.

Nec est verum sequi ex hac Doctrina, nobis esse licitum velle actum peccaminosum quantum ad entitatem, quia cum actus peccaminosus non possit elici à nobis nisi deficiendo, non possumus sine peccato velle eius materiale. Et quamuis Pręderminatio Dei efficacior sit quam purum consilium aut pręceptum, non tamen eius efficacia se extendit v. g. ad odium vt malum est moraliter seu ad malitiam quę est priuatio debitę rectitudinis in actu libero, quę cum non contineatur sub obiecto adęquato Dei agentis, non est minor repugnantia, vt Deus dicatur causa illius, seu vt ab illo malitia attingatur, quàm si diceretur quod possit oculus percipere saporem, aut auris lucem. Ex quo sequitur quod licet Deus causet physicè ipsum consilium (quod est quoddam bonum) quo quis malum sibi consiliatur, non tamen causat illud consiliando.

Secundo confirmatur exemplo quo sæpius vtitur Doctor Angelicus. Nam etsi vna & eadem claudicatio procedat à tibia curua, & à virtute progressiua animalis; attamen in ratione motus fit à virtute progressiua rectè tibiam curuam quantùm est ex se mouente. At quoad defectum naturalem quem habet, seu vt est claudicatio procedit non à virtute progressiua, sed à tibia curua. Idem accideret si pictor v. g. iuxta regulas artis penicillo defectuoso, inculpabiliter tamen ab ipso assumpto, depingeret: nam tunc pictura quoad id quod est perfectionis & artis in ea, procederet à pictore, & quoad defectum actis, ab ipso penicillo defectuoso, rectè tamen quantum est ex parte pictoris & iuxta artis regulas moto, minimè nihilominus esset pictori tribuendus huiusmodi defectus.

Ratio horum omnium est: quia defectus in claudicatione aut picturâ inuenti, non continentur intra latitudinem obiecti adæquati virtutis progressiuæ aut artis rectè pingentis: sed potius repugnant eidem obiecto. Cum ergo deformitas moralis opponatur obiecto adæquato Diuinæ causalitatis, poterit Diuina causalitas terminari practicè ad id omne quod est obiectum adæquatum omnipotentiæ absque eo quod causet malitiam moralem seu peccatum quod prouenit aliunde, nempe ex prauitate voluntatis creatæ.

Item ex prædictis satis euidenter soluitur secundum argumentum pag. 67. à Reuerendo Patre ex 1. 2. q. 80. a. 1 allatum: nam cum voluntas creata sit causa particularis & deficiens limitatæ virtutis, si actum producat in quo sit deformitas peccati, nil mirum si sit causa illius deformitatis, sicut & passiones & habitus praui qui voluntati subduntur in agendo, eiusque modum agendi defectibilem sequuntur. At cum Deus, vt ibidem ait D. Thomas ad 3. (quod omisit R. Pater,) *Sit vniuersale principium omnis interioris motus humani*,

Non potest cum vlla alia causa creata comparari; ideòque nullum est hac in re argumentum ex cōparatione deductum, cùm Deus ita sit causa actus, vt nullo modo sit defectus, teste Angelico Doctore supra in 2. sent. dist. 37. q. 2. a. 2. nominatim ad 5. cui si attendere voluisset R. Pater, nunquam sibi in animum inducere potuisset sua defensione sanctum Doctorem indigere.

V. Præterea multiplicat argumenta R. Pater pag. 70. & 71. existimans peccatum sequi ex prædeterminatione Thomistica, sicut ex introductione vnius formæ sequitur corruptio alterius, cuius corruptionis agens est vera causa per accidens. At, illius multipliciter deficit argumentandi modus, nam vt ait D. Tho. ad 3. articuli à R. Patre citati, *Malum habet causam deficientem aliter in rebus voluntarijs & naturalibus*. Et ideò non licet vnum inferre ex alio, maximè cum malum pœnæ sit quoddam bonū, quod idcircò necesse sit esse à Deo: Malum autem culpæ, cum sit deuiatio ab vltimo fine, non potest esse à primo rerum omnium principio, vt ait Sanctus Doctor, in cap. 1. Ioa. lect. 2. *Sicut ars, inquit, non est principium seu causa alicuius defectus in artificialibus, sed per se est causa perfectionis ipsorum & formæ; ita & Verbum quod est ars patris plena rationum viuentium, non est causa alicuius mali vel inordinationis, præcipuè mali culpæ, quod habet perfectam rationem mali, sed huius mali causa per se est voluntas creatura, &c.*

Sicut igitur agens creatum producens animal quod competet omnibus suis esse facultatibus absolutum, non dicitur causa cæcitatis si contingat illud ex alia causa nasci cæcum, quæ cæcitas realiter in ipso est, & quæ minimè esset priuatiuè considerata nisi in animali; Sic non potest dici præmotio Dei, quæ non est nisi ad bonum, esse causa peccati, quod non ab ipsius motione sequitur, sed à praua voluntate creaturæ deficientis: Quare non debuisset R. Pater omittere solutionem ad 3. secūdi articuli pag. 71 ab ipso relati, vbi ait Sanctus Doctor, *Effectus causæ secundæ deficientis reducitur in causam primam non deficientem quantum ad id quod habet entitatis & perfectionis, non autem quantum ad id quod habet de defectu, sicut quidquid est motus in claudicatione causatur à virtute motiua, sed quod est obliquitatis in ea, non est ex virtute motiua, sed ex curuitate cruris: Et similiter quidquid est entitatis & actionis in actione mala, reducitur in Deum sicut in causam, sed quod est ibi defectus, non causatur à Deo, sed à causa secunda deficiente.*

Cùm ergo pag. 72. ait R. Pater *Impossibilile esse, posita motione prædeterminante, vt homo peccatum caueat* Patet ex dictis esse falsissimum, nec quidquam hìc addendum superest præter ea quæ cap. 2. huius libri diximus. Itaque cum ex dictis constet voluntariæ cæcitatis eum vitio laborare qui de mente D. Thomæ vel leuiter circa Prædeterminationem Physicam dubitauerit; videat R. Pater quid respondeat S. Doctori (præsupposita Prædeterminatione Physica aut ab ipso probata) constanter vbique neganti peccatum Deo posse attribui ita D. Tho. 1. 2. q. 79. a. 1. ad 3. & in 2. dist. 37. q. 2. a. 1. ad 4. & ad 2. vbi ait, [Peccatum refertur in voluntatem sicut in causam, & quamuis voluntas sit creata à Deo in quantum est quoddam ens, non tamen quantum ad hoc quod defectus ex ipsa indicere potest: est enim possibilis ad defectum, ex hoc quod ex nihillo est. Quamuis autem Deus sit causa voluntatis faciens eam ex nihillo: hoc tamen quod est ex nihillo esse, non habet ab alio, sed à se, vnde secundum hoc, non habet causam aliam: & ideò defectus qui sequitur ex ea secundum quod ex nihillo est, non oportet quod in vlteriorem causam reducatur.] Et ibid. art. 2. ad 2. [Illud dicitur ad malum cooperari quod inclinat ad actionem secundum quod actio deformitati substat, vnde mala est, hoc autem Deo non conuenit, & ideò non oportet vt ad malum cooperari dicatur, quamuis actionis illius causa sit, in quâ malum consistit secundum quod influit agenti esse, posse, & agere, & quidquid perfectionis in agente est]

Hanc doctrinam deprompsit D. Thom. ex sanctissimo Præsule Augustino lib. 2 de lib arb. c 20. Et lib. 3. contra Iulia c. 9. Qui Iulianus ex eo quod Deus esset causa corporum, sexuum & coniunctionum inferebat peccatum originale non esse in prole.

Cui Sanctus Præsul sic respondet. [Sicut de prole adulterorum, si ego dicerem: tot malorum, id est, lasciuiæ, turpitudinis, criminis, bonus fructus esse non potuit: rectè mihi responderes, hominem, qui de adulteris natus est, non esse fructum lasciuiæ, turpitudinis, criminis, quorum malorum author est diabolus; sed corporum, sexuum, coniunctionum, quorum bonorum author est Deus. Sic ego tibi rectissimè dico, malum quo nascitur homo non esse fructum corporum, sexuum & coniunctionum quorum bonorum author est Deus, sed primæ præuaricationis cuius author est diabolus. Iidem tom. 5. lib. 12. de ciuit. Dei cap. 7. [Nemo ergo, inquit, quærat efficientem causam malæ voluntatis: non enim est efficiens, sed deficiens, &c. Causas porrò defectionum istarum cum efficientes non sint, sed deficientes, velle inuenire, tale est ac si quisquam velit videre tenebras vel audire silentium: quod tamen vtrumque nobis notum est: neque illud nisi per oculos: neque hoc, nisi per aures: non sanè in specie, sed in speciei priuatione: Nemo ergo ex me scire quærat, quod me nescire scio, nisi fortè vt nescire discat, quod sciri non posse sciendum est. Ea quippè quæ non in specie, sed in eius priuatione sciuntur, si dici aut intelligi potest, quodammodò nesciendo sciuntur, vt sciendo nesciantur.]

VI. Denique verissimum esse confiremur D. Thomæ testimonium à Reuerendo Patre allatum pag. 72 (vbi velim aduertat prudens lector discrimen quod ponit Sanctus Doctor ad 3. inter meritum, quod potuit habere Angelus à primo instanti suæ creationis: & peccatum, quod esse non potuit nisi post primum instans) quia inquit D. Thomas. [Si aliqua res habeat esse ab agente deficiente, quod possit esse causa defectiua actionis, poterit in primo instanti, in quo incipit esse, habere defectiuam operationem: sicut si tibia quę nascitur clauda ex debilitate seminis, statim incipiat claudicare: Agens autem quod Angelos in esse produxit scilicet Deus, non potest esse causa peccati] Verum falsam dicimus esse consequentiam à R. Patre inde deductam sc. *quod nequeat Angelus ad actum efficaciter à Deo præmotus à peccato abstinere*, verè siquidem diceretur Deus author peccati Angeli in primo instanti cōmissi, quia, vt ait D. Thomas ibid. *Illa operatio: quæ simul incipit cum esse, sicut moueri sursum: inest igni à generante.* Sed quod Deus opt. moueat ad alios actus vt est causa vniuersalis cuius influxum nihil subterfugere possit, non idcircò dicēdus est Deus causa defectuum aliunde prouenientium, quia sic illam entitatem Deus operatur (quæ necessariò debeat esse ab ipso, aliàs non esset causa omnium bonorum) vt defectum seu malitiam detestetur, ad quam formaliter nec mouet nec præmouet, etiam indirectè vt ait D. Tho. 1. 2. q. 79. a. 1. Et

ideò latum est discrimen inter primam liberi arbitrij motionem à Deo factam in primo instanti, & quamcunque sequentem in qua possit esse peccatum: quod in prima, cum liberi arbitrij operatio testetur conditionem sui principij, secundum prædictam D. Thomæ Doctrinam, idque quod efficit, totum possit in Deum refundi, non potest non esse bonum, eo operante, qui summè bonus est: in aliis verò operationibus in quibus liberum arbitrium à Deo physicè præuenitur & ita præmouetur vt se ipsum ex proprio consilio & deliberatione applicet ad agendum, si in sequenda præmotione deficiat, peccat: cuius peccati causa non est Deus sed voluntas creata, quæ est prima causa deficiens, itaque vt optimè notat Ferrariensis 3. contra Gent. c. 89 *Oportet deuenire ad aliquem actum voluntatis, quem nullus alius actus voluntatis, neque aliud consilium pracedat vt causa: & ipsius, Deus est causa, qui voluntati dedit naturalem inclinationem in illum actum, aut quantum ad exercitium aut, quantum ad specificationem*, Quare immeritò existimat R. Pater quod si Deus præmoueat liberum arbitrium ad aliquem actum secundum se bonum, (quem debet indispensabiliter causare ex conditione primi agentis & primi liberi) in quo tamen aliquis reperiatur defectus ex voluntate creata deficiente prouenìens; huius defectus causa sit Deus, sicut fuisset causa peccati Angeli si ille peccasset in primo instanti. Insuper hic aduertat candidus lector, dicta à R. Patre pag. 73. & 74. de voluntate creata quę est vera causa defectus, etsi deformitatem per se non intendat: item de passionibus & prauis habitibus per modum naturæ rapientibus & quibuscunque rebus externis; hæc & similia non esse ad propositum si cum vniuersalissima totius entis causa conferantur, ad cuius prouidentiam pertinet aliquos permittere defectus in rebus defectibilibus; voluntas verò creata cum teneatur omnem defectum sibi possibilem impedire vt iam diximus, eius damnatio iusta esset, si malum faceret aut fieri permitteret, etiam intuitu boni quod inde euenire posset.

VII. Duas tandem excogitauit solutiones R. Pater pag. 74. & sequentib. quas si nullo ferè negotio dissoluat, non idcircò gloriosior ei erigitur triumphus: vbi enim vnquam D. Thomas aut veri Thomistæ dixerunt Deum optimum, ideò præcisè & vt sic, non esse causam peccati, quia non imponit necessitatem agendi agentibus liberis, ita vt omne illud quod talem minimè imposuerit necessitatem, illicò non sit causa peccati? Hâc siquidem regulâ absoluenda essent omnia ad peccatum inducentia, quę homini nullam imponunt necessitatem peccandi. Abutitur ergo necessitatis vocabulo, quam ibidem falsò attribuit Thomistis sicut & prauam sensus compositi interpretationem, verè sentientibus per Prædeterminationem physicam non solùm non destrui facultatem agendi & non agendi (in quo consistit libertas necessitati opposita) sed maximè perfici, cum adęquatus Prædeterminationis Diuinæ effectus vtpote efficacissimæ, sit efficere vt agens liberum agat & liberè agat.

Itidem docent quidam Thomistæ liberum arbitrium à Deo Optimo ad bonum Prędeterminari non solùm physicè, sed etiam moraliter, idque sæpissimè; ad malum verò minimè, & minus physicè, cum peccare, formaliter loquendo, sit deficere, quem defectum non sit necesse in vlteriorem causam quam in voluntatem deficientem reducere.

At, inde inferre illud omne non esse causam peccati nisi quod suasionibus moraliter alliciat ad actum illius, vt R. Pater Thomistis affingere conatur, ridiculum est & à communi sensu alienissimum, vt ipsius vtar verbis pag. 75. non ergo inconstantiæ arguendi sunt Thomistæ quos in derisum adducit, sed ipse, malæ intelligentię aut certè modicæ fidei in Doctrina D. Thomæ.

Nec est cur in dissoluendo argumento quod prosequitur pag. 76. diù immoremur, quo autumat Prædeterminationem physicam tollere ab actu libertatem, cum proprium Prædeterminationis effectum esse dixerimus indifferentiam agendi & non agendi in qua indifferentia consistit essentia libertatis. Illud autem quod adducit ex Angelico Doctore in 2. sent. dist. 39. q. 1. a. 1. non tantùm non est verum, sed oppositum euidentissimè est inde inferendum, cum eadem sit ratio vltimi finis & primi principij; nam ad 2. ait D. Thomas, *Dicendum quod influentia primi principij ad substantias quibus immediatè influit, est per operationem ipsius primi principij, & quia illa operatio defectum habere non potest, indeficienter ab eo esse recipiunt: sed ordo voluntatis ad finem vltimum, non est per operationem finis vltimi, sed per operationem voluntatis in finem tendentis, & quia voluntas defectibilis est, ideò ab ipso ordine deficere potest, per defectum sua operationis, & non per defectum finis.* Ex quibus constat Doctorem Angelicum refundere omnem defectum, non in Deum ratione scilicet subordinationis, sed in voluntatem defectibilem, ex eo quod ipsa sit ex nihilo.

Similiter verum est quod ibidem ait Sanctus Doctor dist. 41. q. 2. a. 2. sc. quod, *Homo non est susceptibilis culpa, nisi secundum quod est Dominus suorum actuum*, Sed vbi vnquam D. Thomas dixit necesse esse vt voluntas creata sit prima causa, primum liberum, vel vt supremum Dominium habeat? Qui vbique docet oppositum vt 1. p. q. 83. a. 1. ad 3. *Liberum arbitrium, inquit, est causa sui motus, quia homo per liberum arbitrium seipsum mouet ad agendum, non tamen hoc est de necessitate libertatis quod sit prima causa sui id quod liberum est: sicut nec ad hoc quod aliquid sit causa alterius requiritur quod sit prima causa eius. Deus igitur est prima causa mouens & naturales causas & voluntarias, &c. Ita & mouendo causas voluntarias, non aufert quin actiones earum sint voluntaria, sed potius hoc in eis facit.* Item in 2. sent ad Anibal. dist. 2. q. vnica. a. 2. ad 2. De potentia q 3. a. 7. ad 13.

VIII. In quæst. autem 2. de malo art. 2. à R. Patre citata ostendit D. Thomas originem peccati esse à voluntate creata deficiente, cuius imperio cum non possint vt ibidem ait, exteriora membra resistere, ipsa est subiectum, causa peccati, & quidem directa. *Hanc* verò comparare cum vniuersalissimo rerum omnium principio vt molitur ille pag. 77. manifestissimè aduersatur Sancto Doctori vbique docenti Deum optimum non posse esse causam peccati, ne quidem indirectè, qui nunquam sic voluntatem creatam præmouet, quin ipsa possit ei resistere vt centies diximus. Quare ex prædictis locis Angelici Doctoris, nominatim verò ex cap. 2. huius lib. efficacissimè confutantur omnes consequentiæ, quæ ex eiusdem testimoniis male intellectis à pag 77. vsque ad 80. eruuntur. Legatur Sanctus Doctor in 2. sent. dist. 37. q. 2. a. 1. ad 4. & a. 2. ad 2. Item 1. 2. q 79. a. 1.

Sed vt paucis, verùm efficacibus verbis fiat satis omnibus confirmationibus quas à pag 80. magno verborum apparatu prosequitur R. Pater, reuocandum est in memoriam id quod iam non semel diximus, nullam scilicet causam particularem comparandam esse cum causa vniuersalissima quæ indispensabiliter debet esse causa omnis entis realis, etsi in ali-

quo nonnullus defectus aliunde proueniens reperiatur, quia omnis priuatio debet esse in subiecto, maximè verò si hic defectus (qui est priuatio debitæ rectitudinis in actu libero) sequi ex eadem causa intelligatur velut proprius eiusdem causę effectus, seu vt proprietas entitatis in qua reperitur, vt R. Pater suadere molitur pag. 80. falsò existimans ex Dei Prædeterminatione tam necessariò sequi peccatum, quàm necessariò sequatur diei claritas ex sole super terram existente, quod quàm sit alienum à Doctrina D. Thomæ vsque ad satietatem probatum est, sufficienterque declaratum vel solo claudicationis exemplo à Sancto Doctore toties repetito, quo aptius nihil afferri possit, cùm in his etiam quę intrinsecè mala sunt, dum liberum arbitrium peccat, licet deficiat in genere moris, efficiat tamen in genere physico, & ita cùm ad hanc efficientiam non sit prima causa, semper indiget concursu præuio primæ causæ cui liberum hominis arbitrium essentialiter sit subordinatum. Et quamuis defectus per se loquendo sit inseparabilis à tali entitate quæ esse non potest nisi à Deo (aliàs non esset causa omnium vniuersalissima) non tamen potest dici Deus causa huiusmodi defectus, vt ait D. Angel. in 2. sent. dist. 37. q. 2. a. 2. ad 5. vt supra dictum est.

IX. Si autem quæras cur Deus pręsupposito iusto decreto suo non impediendi lapsum alicuius, entitatem hanc in qua talis est defectus, producat, quâ non existente hic minimè reperiretur. Respondebit Sanctiss. Præsul August. lib. de corrept. & gratia cap. 10. *Quapropter saluberrimè confitemur quod rectissimè credimus, Deum, Dominumque rerum omnium qui creauit omnia bona valde, & bona ex malis oritura præsciuit & sciuit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere etiam de malis bene facere, quàm mala esse non sinere, sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, vt in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium; deinde quid posset sua gratia beneficium, iustitiaque iudicium. Denique Angeli quidam, quorum princeps est qui dicitur diabolus, per liberum arbitrium à Domino Deo refugæ facti sunt: refugientes tamen eius bonitatem quâ beati fuerunt, non potuerunt eius effugere iudicium per quod miserrimi effecti sunt. Cęteri autem per liberum arbitrium in veritate steterunt, eamque de suo casu nunquam futuro certissimam scire meruerunt, &c. Sic & hominem fecit cum libero arbitrio & quamuis sui futuri casus ignarum, tamen ideò beatum, quia & non mori & non miserum fieri in sua potestate esse sentiebat. In quo statu rectè ac sine vitio, si per ipsum liberum arbitrium manere voluisset, profectò sine vllo mortis & infœlicitatis experimento acciperet illam merito huiusmodi permansionis, beatitudinis pulchritudinem, quâ & sancti Angeli sunt beati, id est, vt cadere non posset vlteriùs, & hoc certissimè sciret. Quia verò per liberum arbitrium Deum deseruit, iustum iudicium Dei expertus est, vt cum tota sua stirpe, quæ adhuc in illo posita, tota cum illo peccauerat, damnaretur. Quotquot enim ex hac stirpe gratiâ Dei liberantur, à damnatione vtique liberantur quâ iam tenentur obstricti; vnde etiam si nullus liberaretur, iustum Dei iudicium nemo iustè reprehenderet. Quod ergo pauci in comparatione pereuntium, in suo vero numero liberantur multi, gratiâ fit, grãtis fit, gratię sunt agendæ quia fit, ne quis velut de suis meritis extollatur, sed omne os obstruatur, & qui gloriatur, in Domino glorietur*, Hactenus Sanctiss. Præsul Augustinus.

Quod autem ait R. Pater pag. 82. de præparatione ad gratiam quam dicit impossibilem præsupposita Prædeterminatione physica, patet esse falsum ex dictis, quia verè dicimur posse quod possumus per amicos, vt docet D. Angelicus lib. 2. ad Anibal. dist. 28. a. 4. ad 1. & 2. Item de verit. q. 24 a. 11. ad 5. Maximè verò per Deum Amicum Adiutorem in opportunitatibus, qui nulli deest, neminemque prior deserit. Legendus Doctor Angelicus 1. 2. q. 109. per decem articulos integros fusissimè; formalissimè autem art. 6. ad 1. 2. 3. & 4. Quare ex prædicta Prædeterminatione (quam dixit Bannes esse fundamentum humilitatis Christianæ) verè nihil relinquitur nisi vt humiliemur sub omnipotenti manu Dei, atque in timore & tremore salutem nostram operemur, semper orantes vt aspirando præueniat & adiuuando prosequatur ille qui fidelis est & absque vlla iniquitate.

CAPVT SEPTIMVM.

In quo falsitatis arguuntur quædam solutiones excogitatæ à Reuerendo Patre pag. 83. contra Doctrinam D. Thomæ.

I. CVm prospiceret R. Pater in principiis fidei haud posse negari quin omnes motus nostri physicè spectati in Deum velut in primam causam etiam iuxta D. Thomę Doctrinam reducantur, existimauit ille sufficienter id saluari si Deus diceretur causa motuum quorũdam indeliberatorum, & necessariorum, quibus præsuppositis proprium sit voluntatis concursum Dei generalem & ex natura sua indifferentem determinare, seque pro suo arbitrio flectere ad quemcunque actum singularem: vbi semper recurrit ille ad inclinationem quam Deus dedit voluntati & ad determinationem quam ab illo habet ad bonum in communi, ita pag. 84. & sequentibus.

At non est necesse vt hic in his confutandis diutiùs immoremur, quia his & similibus subterfugiis sufficientissimè satisfecimus tùm lib. 2. tùm cap. 2. huius tertij libri, vbi demonstrauimus insufficientiam concursus indifferentis & simultanei, Deumque Opt. non solùm esse vniuersalem totius naturæ, sed & specialem salutis humanæ Prouisorem, specialiter mouentem liberum hominis arbitrium ad aliquid determinatè per gratiam sine vllo libertatis creatæ præjudicio, priusque, magis & modo intimiori influere in quemcunque actum singularem hominis, quàm ipsum liberum arbitrium, vt docet D. Thomas de potentia q. 3. a. 7. in fine & ad 4.

Sed quod difficilius hic possit dissimulari, est, quod suo more truncato solùm vtatur D. Thomæ testimonio R. Pater, relictis sequentibus verbis, quibus apertè suadetur id cui tam acriter aduersatur, scilicet quod Deus sit non solùm motor vniuersalis sed & specialis, vt ibidem ait D. Tho. *Sed homines iustos conuertit ad seipsum sicut ad specialem finem quem intendunt, & cui cupiunt adhærere sicut bono proprio*, Quibus D. Thomæ verbis si addantur quatuor eius responsiones eiusdem articuli citati 1. 2. q. 109. a. 6. nullus est qui Doctrinæ de physica Prædeterminatione possit contradicere.

Pag. 87. fatetur R. Pater à Deo tribui causis secundis non solùm esse & posse, sed & agere, hocque tertium sufficienter conferri per concursum simultaneum per, quem non renuit ille confiteri Deum Opt. influere in

actum peccati. Verùm iam multoties probauimus Deum non posse esse causam agendi causis secundis per concursum simultaneum. Secundò iam iam etiam diximus quod si iuxta fidem tenetur ille concursum simultaneum immediatè in entitatem actus peccaminosi admittere, qui non attingat ipsam deformitatem quamuis annexam, quia hæc connectio non est essentialis & intrinseca seu ex meritis ipsius entitatis proueniens, sed ab extrinseca voluntate deficiēte. Multò faciliùs est in principiis eiusdē fidei & D. Thomę, præsupposita scilicet Prædeterminatione, ostendere Deum Optimum non esse Authorem peccati factâ distinctione entitatis & malitiæ, ex eo quod præuius Dei influxus non sit immediatus in actum, sed in potentiam, & ea mediante in actum, ex cuius vitio prouenit defectus, quia iuxta tritum Philosophorum adagium, Quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur. Quibus attentè consideratis si reuocet in memoriam prudens lector id quod cap. 2. huius libri diximus de Pręmotione, quo scilicet in sensu hæc sit complementum virtutis agentis, sufficientissimè responsum est à pag. 87. vsque ad pag. 92.

Sed vrgeo magis: nam D. Thomas hac distinctione non sufficienter probaret Deum Opt. non esse causam peccati nisi distingueret deformitatem culpæ ab entitate actus; qui aliâ ratione ab Agente vniuersali, aliâ à voluntate creatâ proficiscitur: quâ distinctione, etiam in opinione oppositâ necessariò vtendum est: quod non tantùm verum est de actu interno voluntatis, sed etiam de actu exteriori. Ratio est, quia licet malum culpæ originem ducat à voluntate, reperitur etiam, saltem extensiuè in executione operis: nemo enim dixerit homicidium actu patratum, specialem non habere deformitatem à simplici voluntate interficiendi hominem: nam vt ait D. Thomas de malo q. 2. a. 2. in o. [Hoc ipsum quod actus exterior deformis imputatur homini ad culpam, est à voluntate, & sic patet, quod si totum id quod est in peccato considerare volumus, peccatum non solùm consistit in priuatione, neque solùm in actu interiori, sed etiam in actu exteriori.] At vt consentiunt ferè omnes Catholici, & vt ipse R. Pater non negabit, nulla creatura potest agere, seu aliquem actum externum efficere sine concursu Dei simultaneo: sicut igitur non solùm peccat Titius qui habet voluntatem furandi ingens pondus auri v. g. quod non potest sine alterius adiutorio seu concursu surripere, sed & ille qui sciens & prudens Titium adiuuat in tali executione: sic & Deus qui concursu simultaneo influeret in actum deformitati culpæ subiectum, sine quo concursu simultaneo in communi opinione causa secunda non potest agere. Quod si huic aut simili argumento teneatur respondere R. Pater, iisdem solutionibus quibus supra vsi sumus vt ostenderemus Deum optimum non esse causam peccati, etiam præsuppositâ Prædeterminatione physicâ, videat quid speret emolumenti. Ille recedendo à Doctrina Diui Thomæ, quo recessu semper erit de veritate suspectus, teste Innocentio VI. & quantum ad præsens de falsitate conuictus.

II. Quoniam docent Thomistę cum Sanctiss. Præceptore per concursum præuium, primum agens esse rationem agendi causis secundis, seu per illas agere quasi per instrumenta, latè sumpto instrumenti vocabulo, pro eo scilicet quod ita mouetur vt etiam seipsum moueat, & cui etiam effectus tanquam causæ principali assimiletur.

Acceptâ occasione vsurpauit R. Pater opusculum D. Thomæ citatum pag. 92. vt ex eo sic argumentaretur, [Inde sic arguo, inquit, quod si vt dicamus Filium operari per SpiritumSanctum, satis est quod filius virtutem agendi spiritui sancto communicauerit: sanè cum voluntas totam suam entitatem & agendi vim à Deo acceperit, vel id posset sufficere, vt Deus dicatur operari per voluntatem, seu mediante voluntate.]

At quis non videat quantum hæc comparatio creaturæ cum Deo deficiat, in qua essentialis dependentia seu subordinatio sit prima radix & fundamentum physicæ Prædeterminationis, quæ dependentia nusquam sit in Diuinis Personis in quibus vna est virtus agendi sicut & vna essentia. Nemo igitur hâc comparatione decipiatur, tùm quia non est ad rem: tùm quia non sufficienter exprimitur (ex Ly agere per aliud) cum & hoc conueniat puris instrumentis quibus denegatur ratio causæ principalis, vnde & iure merito ait D. Bernardus tract. de gratia & lib. arb. [Paulus cum plurima bona, quæ Deus per ipsum fecerat, enarrasset: non autem ego, ait, sed gratia Dei mecum: potuit dicere per me, sed quia minus erat, maluit dicere mecum: præsumens se, non solùm operis esse ministrum per effectum, sed & operantis quodammodo socium per consensum.]

Vbi aduertas à Sancto Abbate, non dici [Simpliciter socium, sed quodammodo socium] Quia scilicet necesse est creaturam à Deo præueniri (quod non sit solo concursu simultaneo) siue Creatoris conditionem respicias, siue Redemptoris dignitatem, vnde & ipsemet D. Bern. eodem tract. loquens de Apostolo qui repositam sibi iustitiæ coronam dicebat, [In eo enim, inquit, sibi iustitiæ consortem, & coronæ statuit promeritorem, cum operum quibus erat illa reposita corona, habere dignatus est coadiutorem: porò coadiutorem fecit, cum fecit volentem, hoc est voluntati suę consentientem, &c. Deus igitur author est meriti, qui & voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntati.] Ergo non solùm agit Deus cum voluntate creata, sed & in voluntatem quam facit consentientem, cuiusque bonum efficit consensum, quia vt ait D. Tho. 1. p. q. 44 a. 1. in o. *Necesse est dicere, omne ens quod quocunque modo est, esse à Deo, si enim aliquid inuenitur in aliquo per participationem, necesse est vt causetur ab ipso cui essentialiter conuenit*, Causatur igitur à Deo ipsius voluntatis creatæ consensus, absque vllo libertatis ipsius prejudicio, cuius est hæc singularis prærogatiua in agendo, *Qui hoc intendit, cum terret aut percutit, vt faciat voluntarios, non vt saluet inuitos, quatenus dum de mala mutat voluntatem in bonum, transferat, non auferat libertatem*, Itaidem mellifluus Abbas ibidem.

III. Cæterum, vt verissimum veneramur D. Thomæ testimonium pag. 93. à Reuerendo Patre relatum, sed falsam esse dicimus consequentiam huic ab eo adnexam scilicet quod, *Per physicam Prædeterminationem cui, homo, resistere non possit ad peccatum adigatur*, Vt loquitur ille: nam præterquam quod hoc falsum est vt suprà diximus, hic cum distinctione loquendum est teste Angelico Doctore in 2. dist. 37. q. 1. a. 2. in argumento sed contra, *Omne bonum à Deo est, sed quadam peccata sunt quæ habent malitiam ex aliqua circonstantiâ superueniente, & tamen actus sunt boni ex genere vt dare eleemosinam propter inanem gloriam*: Et tunc vt per se patet, talis defectus prouenit ex vitio creaturæ, non verò ex Diuina Prædeterminatione, & de huiusmodi loquitur Sanctus Doctor loco citato à R. Patre. In his autem actibus quibus malitia necessariò est annexa, ad illos neque consilio inducit Deus neque præcepto (sicut ad prędictos) sed tantùm ex conditione causæ vniuersalissimę ea tantùm confert Deus sine quibus esse non possent huiusmodi priuationes quæ peccata dicuntur, quorum vt iam diximus Deus non est causa nec esse potest, ob rationes iam superiùs assignatas quas hic iterum inserere nimis

nimis esset exosum & inutile.

Fatentur ergo Thomistę cum suo Sanctissimo Pręceptore, homini à Deo multa proponi bona, siue interius, siue exterius, quibus ex sua malitia homo peruersè vtatur; sed peccat ipse in principiis D Thomæ quicunque ille fuerit, qui hoc adscribat Prædeterminationi Diuinæ, quæ non est ex illo qualitatum numero, quibus vtatur vel etiam abutatur (propriè loquendo) liberum arbitrium, quod potest quidem cuicunque Dei motioni resistere quantumuis efficaci, vt supra satis ostensum est. Et hoc debebat R. Pater aduertere, & cum Angelico Doctore distinguere qualitates quæ homini conferuntur, per modum habituum, quibus vtimur cum volumus ; ab illa quę est per modum motionis virtuosæ per quam Deus liberum arbitrium sibi subiicit iuxta modum suum. Legendus D. Tho. 1. 2. q. 109. a. 6. q. 113. a 8. ad 2. de pontentia q. 3. a. 7. 1. p q 2. a. 3. & q 105. a. 4 Item D. Augustinus serm. 13 de verbis Apost. Vbi ait, *Agis & ageris : & tunc benè agis, si ab eo agaris : Spiritus enim Dei, qui te agit, agentibus adiutor est*, Et lib. de gestis Pelagij cap. 3. explicans illud Apostoli, *Quotquot Spiritu Dei aguntur ; hi sunt Filij Dei*, ait, *Procul dubio plus est agi, quàm regi, qui enim regitur, aliquid agit, & à Deo regitur vt rectè agat : qui autem agitur agere aliquid ipse vix intelligitur : & tamen tantum præstat voluntatibus nostris gratia Saluatoris, vt non dubitet Apostolus dicere, Quotquot Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filij Dei : nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest, quàm vt illi se agendam commendet qui male agere non potest, &c.* Item de gratia Christi c. 25.

Quibus omnibus attentè (vel vt loquitur R. Pater, posito omnium partium affectu) pensatis, facile est inferre, quo in sensu accipienda sint omnia Scripturæ testimonia quæ à Sanctis Patribus adducuntur, vt hominem liberi esse arbitrij testentur; quibus non obstantibus semper subintelligendus est præuius primę causę influxus : vnde & nostra ad Deum conuersio i spiritus boni petitio : animi præparatio, inquisitio, pulsatio & similes ad gratiam præparationes etiam remotæ, fiunt ex prioribus auxiliis gratiæ præuenientis & Spiritus Sancti nondum inhabitantis. Quare nihil mirum si intuitu ipsorum dentur vlteriora auxilia & ipsa gratia sanctificans, quia vt diximus in opere iustificationis nostræ nihil vetat vnum gratię effectum esse causam alterius, sed eo semper præsupposito cui prius dederit nemo vt ei retribuatur. Et hoc sufficeret pro quarta defensionis parte sequenti; Attamen vt eam ex omni parte deficientem prodamus, sit.

CAPVT OCTAVVM.

In quo confutantur, quæ in quarta Defensionis parte à Reuerendo Patre congeruntur.

I. EOdem semper animo suam D. Thomæ Defensionem prosequitur Reuerendus Pater affirmans pag. 96. *Recentiores Thomistas asserere, positâ efficaci gratiâ consensum voluntatis necessariò sequi*, Sed pace Religiosi viri dixerim, oppositum, vt verum Doctrinæ Thomisticæ fundamentum, hic est supponendum, quia tàm recentiores, quàm veterani Thomistæ perpetuò, constanter & exerto ore credunt & profitentur, positâ quacunque gratiâ, etiam efficacissimâ, semper liberrimè sequi consensum voluntatis humanæ : relictaque falsa interpretatione sensus compositi & diuisi quam illis perperam affingit. Dico primò allatum D. Thomæ testimonium non esse ad propositum, quia ibidem loquitur Sanctus Doctor, non de auxilio Dei præueniente, seu de Prædeterminatione ; sed gratia habituali vt ipse R. Pater benè aduertit pag 97.

Sed cum inde sic ibidem philosophatur ille, *Si homo quia liber est potest non vti gratiâ habituali, poterit eâdem ratione, non vti gratiâ efficaci*, Sancto Doctori manifestè aduersatur ; nam vt docet 1. 2. q. 16. a. 1. *Vsus rei alicuius importat applicationem rei illius ad aliquam operationem : vnde & operatio ad quam applicamus rem aliquam, dicitur vsus eius, sicut equitare est vsus equi & percutere est vsus baculi*, Constat autem quod liberum arbitrium creatum non applicat ad operationem auxilium efficax Diuinæ gratiæ, sicut applicat habitus, quin potius ab ipso applicatur : vnde non subiacet quantum ad vsum potestati liberi arbitrij, sed è contra : quamuis impropriè loquendo de vsu auxilij efficacis, prout accipitur pro termino eius, scilicet operatione, vel pro cooperatione liberi arbitrij, debeat dici secundum fidem, quod auxilium efficax quantum ad vsum subiaceat potestati liberi arbitrij, quia nihil tam subditum ipsi, quàm propria operatio aut cooperatio : cuius habet proprium & perfectum dominium.

Videtur hoc primum in Concilio 2. Arausic. can. 6. determinatum his verbis, [Si quis humilitati aut obedientiæ humanæ subiungit gratiæ adiutorium, nec vt obedientes & humiles simus, ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti, quid habes quod non accepisti ? Et gratiâ Dei sum id quod sum : vnde & August. de correp. & gratia c. 8. ait, voluntas humana non libertate consequitur gratiam, sed gratiâ potius libertatem. Et Sanctus Prosper Epist. ad Sanctum Augustinum ait ; nunquid illa virtus gratiæ quæ sibi quos voluit, subdidit, conuertere eos, qui inconuertibiles permansere, non potuit ? Legendus Sanctis. Præsul in Enchiridio c. 95. Item de correp. & gratia c. 14. Similiter D. Tho. 1. 2. q. 112 a. 3. 3. contra Gent. c. 94. q. 6. de potentia a. 1. ad 17.]

Et hoc est potens gratiæ auxilium de quo Sanctus Prosper Epist. ad Rufinum, [An dicendum, inquit, voluntati Dei humanas obsistere voluntates, & tam feros, tamque intractabiles horum hominum mores, vt Euangelium ideò non audiant, quia prædicationi impia corda non pareant : & quis istis corda mutauit, nisi qui finxit sigillatim corda hominum : quis huius rigoris duritiam ad obediendum molliuit affectum, nisi qui potens est de lapidibus Abrahæ filios excitare ?]

II. Per hoc tamen non negamus quominus sit aliud minus Dei auxilium sc. sufficiens quod datur vt possimus, & de hoc intelligenda est Sacra Scriptura cum dicit. Quoties volui congregare Filios tuos & noluisti? &c. Math 23. & huiusmodi auxilio resistimus etiam in sensu composito, illudque abiicimus : non verò primum, quod ideò datur vt voluntas resi-

stendi, cordisque duritia primitùs auferatur. Legendus D. Tho. 1. p. q. 19. a. 8. ad 3.

Ex prædictis, sufficienter satisfit Reuerendi Patris defensioni vsque ad pag. 99. vbi tertium adducit D. Thomæ testimonium ex 1. 2. q. 68. a. 1. in quo cum agat Sanctus Doctor de donis Spiri[illegible] Sancti qui se habent per modum habitus v[illegible] Tho. ibidem a. 3. in o. nihil ad rem id omne quod affert contra Prędeterminationem physicam : sed ne actum agamus legat qui voluerit cap. 4. lib. 2. num. 5. vbi ex 1. 2. q. 68. a. 2. ostendimus præter virtutes & dona Spiritus Sancti adhuc requiri operationem Diuinam nomine Prædeterminationis significandam. Et idem dicendum est ad aliud testimonium Angelici Doctoris ex 2. sent. dist. 29. à R. Patre allatum pag. 100. quia ibi loquitur D. Thomas, vt priùs, de gratia habituali.

Cum verò R. Pater ait eadem pag. 100. *Neque minus ridendus esset Sanctus Doctor, si existimans hominem, solâ gratiâ efficaci positâ in illius voluntate, non posse non consentire illius præmotioni, adhuc exigeret magnum illum apparatum donorum Spiritus Sancti tanquam præuiam dispositionem necessariam ad consensum cum maiori facilitate edendum*, Ludit verbis, quia nulla debet fieri comparatio Prædeterminationis Thomisticæ (quâ quis ad vnum Prædeterminatus, adhuc potest oppositum, etiam dum actu operatur) cum visione beatifica, in qua beatus sic se habet, vt iam diximus, circa Deum clarè visum, sicut se habet non videns Deum ad communem boni rationem, id est, necessariò. Et tamen in dicta visione in quâ gratia erit omninò perfecta, adhuc exigit D. Thomas præuium Dei influxum. Ita Sanctus Doctor 1. 2. q. 109. a. 9. ad 1.

Non ergo irridendus Doctor Angelicus, vt suâ dicendi argutiâ suadere nititur R. Pater, qui cum doceat 3. p. q. 7. a. 5. *Dona propriè esse quasdam perfectiones potentiarum animæ, secundum quod natæ sunt moueri à Spiritu Sancto*, Non exigit amplius (vt autumat R. P.) præsupposita Prædeterminatione physica illum donorum apparatum, quę cum se habeant per modum habitus disponentes potentiam, debent præcedere prædictam Prædeterminationem quæ est per modum complementi pro vltima perfectione quæ consistit in operatione, vt ait D. Thomas 3. p. q. 34. a. 2. *Perfectio vltima, inquit, non consistit in potentia vel habitu, sed in operatione* Operatio autem pręsupponit potentiam vltimò perfectam, quod fieri dicimus per Prædeterminationem quam propugnamus.

III. Pag. 101. Verissimum attulit R. Pater Diui Thomę testimonium, cui falsam hanc adnexuit consequentiam, *Si talis adesset Prædeterminatio, fieri non posset vt homo consensum non eliceret*, Quis enim vnquam dixit nisi fortè Caluinista, ad iustificationem adulti non requiri illius consensum per motum liberi arbitrij, cui sit actus etiam supernaturalis, connaturalis; non secundum se, sed vt est eleuatum per habitum vel auxilium supernaturale, teste Angelico Doctore 2. 2. q. 23. a. 2. vbi probat quod charitas sit aliquid creatum in anima vt connaturaliter diligat. Etenim tàm causa prima quàm secunda eleuata, sunt causæ totales & principales respectu suorum actuum cum eodem indiuisibili influxu concurrant : sed quia hic grauis tangitur controuersia, paulo fusius est examinanda.

Dicimus igitur, quod si causa secunda tantùm per actuale gratiæ auxilium eleuetur ad eliciendum actum supernaturalem ; hoc non impedit quominus sit causa etiam principalis actus supernaturalis, quia tunc tale auxilium simul eleuat potentiam & applicat ad actionem, vnde prius naturâ illam constituit in actu primo, quod sufficit vt dicatur propria illius forma, non quod habeat huiusmodi gratię auxilium sibi subordinatum, quin potius ei potentia subordinatur : sed quia illo eleuata habitus vicem gerente, æquè vitaliter ac liberè agit, ac quando est eleuata per habitum, qui etsi sit supernaturalis minimè tamen repugnat naturæ, sicut calor repugnat aquæ quę idcircò non est nisi ignis instrumentum quoties ab eo eleuatur ad calefaciendum : vnde & D. August. lib. de prædest. sanct. c. 5. tom. 7. ait, *Posse habere fidem, naturæ esse hominis*, Tale autem gratiæ auxilium adeò potens & efficax quod repentè conuersionem efficiat: aliquando quibusdam communicari, plures arbitrantur Theologi, vt contigit in Saulo adhuc spirante minarum & cædis in discipulos Domini.

Quod si vel Scriptura, vel etiam D. Thomas vt 2. 2. q. 173. a. 4. videantur asserere creaturam à Deo ad aliquid assumptam non esse nisi instrumentum Dei; per hoc tantùm significatur quod Deus magis principaliter operatur bona opera nostra, quàm nos ipsi : & quod Deus sit causa prima : agi autem & non agere est proprium instrumenti : agi autem & simul ab intrinseco agere, repugnat vero instrumento : qui autem Spiritu Dei aguntur, vt ait Sanctus August. lib. de correp. & gratia cap. 2. ita aguntur vt agant, non vt ipsi nihil agant. Vnde quando Sancti Patres totum opus nostræ iustificationis Deo attribuunt, intelligunt, tanquam causę primę & magis principali, per cuius gratiam concurrit ille qui iustificatur, & hoc est certum de fide.

Cum autem ait D. Tho. 2. 2. q. 173. a. 4. Mentem Prophetæ moueri à Spiritu Sancto sicut instrumentum deficiens respectu principalis agentis. Respondeo ibi Sanctum Doctorem loqui de instrumento latè sumpto, quo in sensu omnes creaturæ sunt instrumenta Dei. Vel dicendum quod actus vitalis procedens à mente Prophetæ eleuata prophetico lumine, si consideretur secundum se præcisè, procedit à Propheta vt à causa principali : si verò consideretur, vt per ipsum actum Deus vult significare aliquid, sic procedit à Propheta sicut ab instrumento Dei, & in hoc sensu loquitur D. Thomas. Et hoc manifestatur exemplo. Sacerdos est causa principalis suæ loquutionis vt sic, dum consecrat absoluit, &c. Sic enim ad illam mouetur, vt etiam se moueat ; & tamen est tantùm instrumentum illius loquutionis prout consecrat, absoluit, &c. Ac proinde est tantum instrumentum consecrationis, &c. Quia tantùm consecrat vt motus & eleuatus à charactere qui est virtus instrumentaria permanens per accidens: idem dicendum de tactu quo suscitatur mortuus & fiunt alia miracula. Similiter intelligendus est D. Tho. 3. p. q. 7. a. 1. ad 3. dum ait, quod humanitas Christi est instrumentum Diuinitatis : non enim est instrumentum respectu actionum immanentium, ad quas eliciendas infunduntur ei habitus supernaturales : sed respectu miraculorum, productionis gratię & similium: si enim D. Thomas intelligeretur vniuersaliter de omnibus, sequeretur quod etiam humanitas dicenda esset instrumentum Verbi respectu visionis, loquutionis & similium : quod nullus admittet. Ex hoc ipso igitur quod D. Thomas dicit humanitatem Christi esse instrumentum animatum, intelligit quod ita est instrumentum respectu aliquorum, vt sit etiam causa principalis respectu aliorum.

IV. Ad propositum igitur de consensu adulti in iustificatione redeamus vt verum à falsò seligamus. Sentiunt Thomistæ quod licet collatio auxilij effi-

cacis non sit adæquata & sola causa conuersionis adulti, est tamen sola & adæquata causa cur liberum arbitrium incipiat operari conuersionem suam. Prima pars probatur ex Tridentino asserente non solam gratiam, sed etiam liberum arbitrium esse causam suæ conuersionis, & damnante eos qui sentiunt liberum arbitrium merè passiuè se habere: At merè passiuè se haberet, si collatio auxilii efficacis esset adæquata causa conuersionis, seu si solus Deus totum in iustificatione adulti operaretur.

Confirmatur ex 1. ad Corint. 15. Abundantius omnibus laboraui, non autem ego, sed gratia Dei mecum. Item ex August. lib. 1. ad Simpl. q. 2. *vt velimus, inquit, & suum esse voluit & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo*, Item de spiritu & lit. c. 43. *Consentire vocationi, inquit, aut non consentire, propriæ voluntatis est.* Sanctus Prosper lib. 1. de vocat. Gent. 26 *Gratia Dei in omnibus iustificationibus principaliter præeminet suadendo exhortationibus, &c. Sed etiam voluntas hominis subiungitur ei atque coniungitur vt Diuino in se cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium.*

Ex quibus liquet liberum arbitrium concurrere ad suam conuersionem quasi eliciens actum conuersionis, quamuis non sit prima causa se reducens de potentia in actum, sed reducatur à Deo efficaci auxilio, siue à gratia præueniente, per quam idem Tridentinum asserit excitari & adiuuari liberum hominis arbitrium.

Secunda verò pars etiam probatur. Primo ex D. Thoma 1.2. q. 111. a. 2. vbi ait quod *Deus non sine nobis nos iustificat, quia per motum liberi arbitrii dum iustificamur, Dei iustitiæ consentimus, ille tamen motus non est causa gratiæ, sed effectus, vnde tota operatio pertinet ad gratiam.* Item ex D. August. lib. de gratia & lib. arb. cap. 16. *vt ergo velimus sine nobis operatur, cum autem volumus, & sic volumus vt faciamus, nobiscum operantur cùm sine illo vel operante vt velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nil valemus.* Explicatur. Quòd collatio auxilii efficacis sit adæquata causa cur liberum arbitrium operetur, seu suam incipiat conuersionem nil aliud importatur quàm quod Deus suo mediante auxilio efficaci cuiusdam misereatur, ipsum ab aliis discernens, quod auferat duritiam cordis, quod faciat ex nolente volentem, ex repugnante amantem, cùm ipsi vt primæ causæ essentialiter sit subordinatum liberum arbitrium creatum, quod nec est prima suæ conuersionis causa, nec primum liberum.

At hæc omnia prædicta operatur Deus vt docet Apost. ad Rom. 9. 1. ad Cor. 4. Quis est qui te discernit? Ad Philip. 1. Deus operatur in nobis velle: vbi non dixit Apostolus quod cooperetur vel operetur Deus nobiscum, velle, sed quod operetur, quia licet voluntas velit, & verè suam causet volitionem, non tamen facit se velle, seu non est prima causa quod quis fiat volens ex nolente: quod cum fiat in homine iuxta proprium liberi arbitrii modum, semper stat potentia ad oppositum & consequenter libertas.

V. Apprimè confirmantur prædicta ex eo quod à R. Patre pag. 101. de prophetia, in contrarium adducuntur: Nam sicut diximus, auxilium efficax quo Deus inchoat conuersionem v.g. Petri, ipsum discernens, non subiacet libero arbitrio Petri, quamuis suam ex illo conuersionem verè operetur Petrus: sic rectè asserit D. Thomas quod Prophetæ arbitrio non subiacet denuntiare de quibus inspiratur. *Non autem, inquit, quantum ad reuelationem, quia ipse Propheta spiritui subiicitur, non enim fit reuelatio secundum arbitrium Prophetæ sed secundum arbitrium spiritus reuelantis.* Si ergo denuntiet Propheta, libera erit eius denunciatio, quia sic eam Deus esse voluit, sed tamen liberum hominis arbitrium minimè impediet quin enuntiet Propheta hoc ipsum quod enuntiandum voluerit Deus, vt patet num. 22. v. 18 *Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei vt vel plus vel minus loquar.* Item ibidem versu 38. *Nunquid loqui potero aliud nisi quod Deus posuerit in ore meo?* Et cap. 23. v. 20. *Ad benedictionem adductus sum, benedictionem prohibere non valeo.* Verùm calumniandi ansam nemo inde arripiat, quasi ex prædictis Scripturæ testimoniis sentiam, aliqua esse auxilia Diuinę gratiæ quibus non possit liberum hominis arbitrium resistere: cùm ex Tridentino iam iam non semel oppositum dixerim. Eodem quippe Spiritu Sancto afflati loquuti sunt sancti Dei homines in sacris codicibus & Conciliis Oecumenicis: pro quibus conciliandis semper aliquà distinctione vtendum est, dicendo scilicet Scripturam sacram in sensu composito esse intelligendam: (Blasphemum siquidem esset asserere eam in nullo sensu esse veram) Tridentinum verò in sensu diuiso: sicque sine illo ferè negotio firma fit vtriusque concordia, hâc distinctione Thomisticè intellecta. Et ita verissimè asseritur ab Angelico Doctore loco citato à Reuerendo Patre pag. 103. quod liberè agant, qui Spiritu Dei aguntur, quia ideò aguntur vt liberè agant, ita D. Thom. 3. p. q. 7. a. 1. ad 1. [Humanitas Christi, inquit, est instrumentum Diuinitatis, non quidem sicut instrumentum inanimatum quod nullo modò agit, sed solùm agitur: sed tanquam instrumentum animatum animâ rationali, quod ita agitur, quòd etiam agit. Et art. 5. *Manifestum est, quod anima Christi perfectissimè à Spiritu Sancto mouebatur secundum illud Lucæ 4 Iesus. &c agebatur à spiritu in desertum.* An inde negabis sacratissimã Christi animam, egisse quia agebatur? Agebat sanè, & ideò agebat, quia agebatur ab illo, *sine quo (vt ipse ait Ioa. 15.) non poterat facere quidquam*, Legendus D. Thom. 3. p. q. 18. a. 1. ad 1. Et signanter ad 2. Item q. q. disp. q. 24. de lib. arb. a. 1. ad 5. Et passim lib. præcedenti cap. 5.

VI. Denique ad 9. argumentum pag. 104. à Reuerendo Patre propositum ex q 6. de verit. a. 3. deductum Respondeo primò non debuisse omitti à R. Patre solutionem ad 3. eiusdem articuli, ex quâ elucet oppositum doctrinæ quam molitur stabilire. Dico secundò ex adminiculis quibus certitudo prædestinationis explicatur, in quibus donum gratiæ annumeratur non posse excludi auxilium Dei efficax, immò semper intelligitur quotiescumque bonum aliquod ab aliquo perficitur. Nam cum vt antea diximus, auxilia Dei alia sint sufficientia, quibus posse operari, creaturæ rationali tribuitur, & quibus non rarò resistit: Alia verò efficaciora, quibus ipsa operatio confertur, quibus minimè resistimus, quia per ea, voluntas resistendi mutatur, non verò resistendi facultas aufertur: perperam agit in doctrina D. Thomæ qui ex prolato gratiæ vocabulo sine vlla distinctione, accepto vno distinctionis membro, alterum continuò denegat.

Ideò dicendũ cum Ledesma lib. de aux. Diuinæ gratiæ q. vnic. a. 9. fol. 180. col. 2. inde non rectè colligi quod D. Thomas ponat certitudinem Dei in agendo in communi tantùm & non in particulari, quoniam in particulari Deus determinat hæc omnia, & hæc ex eius Prædestinatione habent certitudinem. Tantùm ergo ibidem significatur (inquit Ledes.) id quod in prædestinatis, sæpissimè contingit, nempe quod aliquando prædestinatus post acceptam gratiam non cadit sed perseuerat: Et tunc à Deo præparata sunt adminicula ne cadat: Aliquando verò cadit: Itemque præparata sunt vt resurgat: ideòque semper illa media sunt in particulari præparata. Esse autem veram sancti Doctoris mentem do-

cet Consalez 1. p. disp. 57. sect. 2. num. 43. & 44. Quando igitur Sanctus Doctor in verbis argumento relatis distinguit illos duos modos certitudinis prouidentiæ: sub primo modo intelligit prouidentiam, quam gerit Deus de causis necessariis concurrendo ad earum operationes, prædeterminando eas omninò ad vnum per modum naturæ. In secundo verò modo explicat prouidentiam Prædestinationis quæ est in ordine ad actus liberos, inquiens, quod hæc habet certitudinem: non quia moueat Deus liberum arbitrium sicut mouet causas secundas naturales, prædeterminando illud ad vnum per modum naturæ: Sed ex preparatione multorum mediorum, ita vt quamuis vnum deficiat, alterum adhibeatur. In quo tamen non significat, quod tam illud medium quod defecit, quam etiam illud quod loco illius adhibetur, non sint distinctè & in particulari præuisa & prædeterminata, illud quidem vt sufficiens, istud verò vt efficax. Sed solùm intendit quod media non adhibentur cum omnimoda determinatione ad vnum per modum naturę, sed iuxta modum humani liberi arbitrij flexibilis & mutabilis, seruato iure nostræ libertatis: ita vt in iis qui numquam post acceptam gratiam cadunt, prouideatur in particulari de adminiculis ne cadant, & hæc à Deo prędeterminantur. In iis verò qui aliquando cadunt, & postea resurgunt, sic quoque prouideatur de adminiculis, de sufficientibus quidem, quibus possint: de efficacibus verò, quibus de facto resurgant & perseuerent: hęc ille.

Verùm hîc fideliter stabo promissis, quibus pollicitus sum nolle me arcanis immiscere Diuinę prædestinationis, de quibus qui Angelicum Doctorem legere voluerit, hanc, cui respondemus, defensionem, non minus oppositam principiis Doctrinę D. Thomę hac in parte, percipiet: quàm sint ipsę tenebrę luci meridianę. Quod si vt loquitur D. August. ad se ipsam manifestandam quid valeat ipsa euidentia, legat qui voluerit Angelicum Doctorem q. 6. de verit. a. 2. in sed contra. & ad 10. 11. & 13. lib. 3. contra Gent. cap. vlt. ad Ephesios cap. 1. lect. 1. 1. p. q. 23. a. 5.

CAPVT NONVM.

In quo falsum Defensionis fundamentum conuellitur, fraudeque detectâ quarumdam Defensionis eiusdem obiectionum, responsiones earum à pag. 106. ad finem vsque, quàmfacillimè dissoluuntur.

1. IN memoriam reuocatâ distinctione superiùs factâ de primo Motore, vt est Prouisor vniuersalis, & vt est Prouisor specialis: seu de Deo vt est author naturæ, & vt est author gratiæ: facilè responderi potest, cur Sanctus Doctor asserat Deum specialiter aliquos mouere per gratiam ad aliquid determinatè volendum: ex quo minimè colligi potest, quin etiam ad alia etiam determinatè moueat prout est naturæ author, cui non minus sit subordinata voluntas vt natura, quàm vt est potentia libera potens in opposita: etenim si Deus dicatur vniuersalis Motor à D. Tho. 1. p. q. 9 a. 6. ad 3. per hoc tantùm intelligitur quod voluntas quoad bonum in communi prędeterminatur à Deo vt natura, seu ad modum agentis naturalis: quoad bonum verò in particulari determinatur etiam à seipsa, sed semper sub primo determinante, quia ipsa, nec est primum agens, nec primum liberum, vt sufficientissimè iam iam ad satietatem vsque diximus. Quare syncerè acceptis D. Thomæ testimoniis in quibus loquitur Sanctus Doctor de necessitate suppositionis, vt patebit legenti reliquum defensionis, lectoribus illudere conatur ni fallor R. Pater, dum sic philosophatur pag. 111. *Ex quibus, inquit, manifestè colligitur, non alio titulo necesse esse quod ille agat, quem Deus efficaciter mouet, quàm quia Deus eum operaturum præuidit: repugnat enim quod id quod est futurum, non sit futurum, & eatenus necesse est, illud esse futurum. Quia verò Deus non videt operationem nostram futuram, nisi quia re vera voluntas nostra est illam editura, si ponatur in his aut illis circonstantiis, hinc fit, vt suppositio præscientiæ Dei sit consequens & dependens quodammodo ex vsu nostræ libertatis.* Item pag. 112. sic loquitur, *Suppositio cognitionis Diuinæ, est posterior scriptione meâ, eamque supponit, &c.* Deinde pag. 114. *Necessitas ex præmotione, inquit, supponit actuum nostrorum existentiam*, Ac denique pag. 115. *Deus non vult nisi postquam nouit illum cum tali motione perseueraturum.*

Vt autem hęc Doctrina confutetur, vtpote Diuo Thomæ prorsùs opposita, supponendum est propositiones de futuro contingenti (de illis enim tantùm loquimur) esse determinatè veras aut falsas ab æterno pro omni instanti reali. Quia nullum potest assignari instans reale, in quo Deus non se se determinauerit circa futuritionem vel non futuritionem omnium rerum possibilium, mediante decreto: alioquin Diuina voluntas, in aliquo instanti reali, maneret potentialis & suspensa: quod repugnat eius infinitæ perfectioni & actualitati: vnde dependenter à decreto ab æterno in Deo existente, res omnes contingentes & liberæ sunt ab æterno determinatè futuræ vel non futuræ, & consequenter propositiones de illis enuntiatæ sunt determinatè veræ vel falsæ in omni instanti reali.

Hoc autem non obstante Theologi distingunt in Deo duo signa vel instantia rationis (abstrahendo ab eo quod illa sint instantia rationis in quo vel solùm à quo) in quorum priori, Deus intelligitur in sua natura constitutus cum suis attributis essentialibus, & vt cognoscens omnia possibilia per scientiam simplicis intelligentiæ: nihil tamen adhuc determinans circa futuritionem vel non futuritionem rerum.

In secundo verò concipitur in Deo decretum quo se liberè determinat ad illas producendas in aliqua temporis differentia, vel ad illas relinquendas in statu meræ possibilitatis.

Difficultas ergo est, an in illo signo priori ante omne decretum absolutum vel conditionatum, illæ sint determinatè futurę vel non futuræ? Affirmatiuam partem autumat esse veram R. Pater, vt patet ex supradictis: ideò ait pag. 115. *Deus non vult, nisi postquam nouit illum cum tali motione perseueraturum.* Quibus verbis satis ostendit decretum Diuinę voluntatis non esse primam causam quæ extrahat rem aliquam à statu puræ possibilitatis ad statum futuritionis.

Partem verò negatiuam tuentur omnes Thomistę cum Sanctissimo Præceptore, efficaciterque probant ratione desumptâ ex 1. p. q. de scientia Dei a. 5. & 6. & ex pluribus locis, quæ talis est. Antecedenter ad omne decretum liberum Diuinæ voluntatis, creaturæ non habent in Deo (esse) futurum determinatè & infallibiliter: ergo implicat quod antecedenter ad tale decretum repræsen-

tentur à Diuina essentia vt certò futuræ, & consequenter quod vt tales ab ipso Deo cognoscantur. Hæc vltima consequentia apertè sequitur ex prima, cùm Deus non cognoscat nisi ea quæ in sua essentia repræsentantur. Prima autem ex antecedenti. Nam Diuina essentia non repræsentat res secundum aliquod (esse) determinatum & infallibile, nisi præcontineat illas secundum prædictum (esse) ex eo quod omnes creaturas cognoscit in se ipso tanquam in causa. Anteced. probatur quia sicut creaturæ non habent (esse) possibile, nisi ratione Diuinæ essentiæ tanquam à ratione à priori, & ita ex eo sunt possibiles, quia Deus potest illas producere: ita potiori ratione non habent esse determinatè, & infallibiliter futuras ex se ipsis, sed ex eo quod Deus actu decreuit eas producere, alioqui ipsæ essent sibi primæ causæ determinatæ & infallibilis futuritionis: ergo antecedenter ad Diuinum decretum non habent in Deo rationem futurarum determinatè & infallibiliter talium.

Confirmatur & explicatur ex eodem Sancto Doctore supponendo primò futurum & possibile comparari inter se per modum superioris & inferioris, quatenus omne futurum est possibile, non tamen è contra. Secundò fundamentum possibilitatis esse Diuinam potentiam. Et hoc vel solo lumine naturali notum: ex quibus sequens deducitur confirmatio. Nam possibile, est indifferens ad hoc vt sit futurum & non futurum absolutè; & eius ratio quatenus est futurum, sita est in determinatione seu contractione possibilitatis: ergo primum fundamentum futuritionis habebit rationem primi contrahentis & determinantis primum fundamentum possibilitatis scilicet Diuinam Omnipotentiam: ergo cùm lumine naturali constet primum determinatiuum Omnipotentiæ Dei, esse Diuinam voluntatem, oportebit vt primum determinans possibile ad rationem futuri sit eadem voluntas seu decretum Diuinũ: & repugnabit aliquid esse certò & determinatè futurum antecedenter ad tale decretum.

Prædictæ Doctrinæ fundamentum est voluntas Dei efficacissima, quâ cuncta antequam fiant vel fieri intelligantur, prædefiniuntur; ita vt nunquam subsequatur euentus pro tempore futuro, nec subsequendus intelligatur, nisi Deus prius illum non solùm (vt sic dicamus) sufficienter; sed etiam efficaciter præfiniuerit: alioqui eius efficacia non esset vniuersalissima, siquidem ante eius efficacem causalitatem, omnia futura haberent rationem futurorum. Et in opposita sententia prius erit determinatio in causa secunda respectu alicuius actus in particulari, quàm determinatio causæ primæ circa illum actum; siquidem iuxta illum, prius Deus videt voluntatem creatam efficaciter consensuram si ponatur in tali occasione & circonstantiis, quàm quod ipse efficaciter velit prædictum consensum; atque adeò prius erit futurus per ordinem ad causam secundam, quam per ordinem ad primam: hoc autem repugnat. Quia Diuina voluntas non esset prima & vniuersalissima causa extrahens quamcunque rem possibilem, aliquando quomodolibet futuram à statu puræ possibilitatis, ad statum futuritionis; quod sanæ mentis in vera Philosophia nemo dixerit.

Hæc est solida Angelici Doctoris Philosophia 1. p. de scientia Dei art. 13. Item in 1. dist. 38. q. 1. a. 5. de Malo q. 16. a. 7. & alibi sæpè. Hæc itidem est Sanctiss. Præsulis Augustini sententia, asserentis nihil fieri, nisi Deo volente, si sit bonum: vel permittente, si sit malum. Et ita decretum vel positiuum, vel permissiuum ipsius Dei præcedit futuritionem cuiuscunque rei.

CAPVT DECIMVM.

In quo nonnulla argumenta soluuntur, quę aduersùs prędictam D. Thomę Doctrinam militare videntur.

I. QVoniam teste Aristotele multa falsa sunt probabiliora veris; hìc tam accuratè prospiciendum est iis quę contra subtilem hanc & arduam D. Thomæ Doctrinam obiici possent, vt nulla supersit species falsitatis. Primum igitur quod in oppositum proponere solent, est.

Ex eo quod Deus comprehendat creaturas rationales supereminenti sua comprehensione videt conditionem vniuscuiusque, tam secundum potentiam naturalem, quàm secundùm obedientialem, & consequenter videt quam inclinationem vel repugnantiam habeat ad actus v. g. virtutum moralium (aliqui enim sunt magis, alij minus dispositi naturaliter ad virtutem, vt probat D. Tho. in q. q. de potentia iuxta illud Iob. 31. Ab infantia creuit mecum miseratio, &c.) Ergo videt quod si hic melius dispositus ad virtutem, ponatur in his circunstantiis cum tali motione, eliciet actum virtutis, quem non eliciet alius minus bene dispositus cum eadem motione: & ita Deus certò & infallibiliter pręscit futura contingentia absoluta, etiam libera, in sola comprehensione causarum secundarum ante omne decretum.

Secundò, Angelus in comprehensione causarum secundarum & aliarum circunstantiarum concurrentium, præscit coniecturaliter & valde probabiliter futura contingentia absoluta, etiam libera (vt communiter omnes concedunt) ergo Deus certò & infallibiliter præscit eadem futura in comprehensione earundem causarum secundarum & circonstantiarum concurrentium: cùm eius comprehensio sit supereminens & infinitè perfectior quam Angelica; ita vt possit dici supercomprehensio: si enim comprehensio Angelica propter suam perfectionem attingit aliquo modo futura contingentia absoluta in suis causis, vt futura: comprehensio Diuina, quia infinitè perfecta, ipsa attinget perfectissimo modo, ac ita certò & infallibiliter.

Tertiò, Deus præscit certò & infallibiliter futuros effectus naturales & necessarios in comprehensione causarum naturalium, propter dependentiam ipsorum à suis causis: ergo etiam præscit certò & infallibiliter futuros effectus liberos & contingentes, in comprehensione causarum liberarum & contingentium: quia hi non minus dependent à suis causis, quam illi: & si illi sunt impedibiles ab intrinseco, illi etiam sunt impedibiles, etsi tantùm ab extrinseco.

II. Ad Primum, Respondeo quòd Deus comprehendendo creaturas rationales supereminenti illâ comprehensione, videt conditionem vniuscuiusque, tam secundum potentiam naturalem, quam secun-

dum obedientialem: & consequenter videt quam inclinationem vel repugnantiam habet ad actus virtutum, &c. Non tamen videt antecedenter ad decretum suæ Diuinæ voluntatis, quòd hic meliùs dispositus in his circonstantiis sit operaturus cum tali motione, cum qua alius minùs dispositus non erit operaturus: quia liberum arbitrium creatum habet perfectum dominium sui actus, soli Deo subordinatum: vnde nihil est in toto ordine creato quod possit ipsum efficaciter mouere & determinarè ad vnum, ac tollere eius indifferentiam, sed solum Diuinum decretum efficax & motio executiua ipsius: quæ proinde habet aliquid intentionale, vt procedens ab efficaci Diuina voluntate vt ipsius executiua, quod non habent aliæ motiones

Ad Secundum. Dicendum quod Diuina comprehensio, quia est infinitè perfectior quam Angelica, habet quod infinitè perfectiori modo attingat in obiecto cognito, illud omne quod attingit comprehensio Angelica: non autem habet quod in eo attingat vt futurum aliquid, antecedenter ad decretum efficax suæ voluntatis, quia re vera antecedenter ad illud decretum, non est futurum: vnde Deus antecedenter ad actum suæ voluntatis nihil videt futurum, sed omnia videt vt possibilia, & simul scit quod ex possibilibus illa tantùm erunt futura, quæ decernet esse futura: Angeli autem nescientes decreta Dei circa futura contingentia absoluta, & videntes concursum causarum ac circunstantiarum, possunt coniecturalem habere cognitionem futurorum contingentium absolutorum: cui tamen potest subesse falsum: vnde Angeli boni suspendunt iudicium.

Ad Tertium. Respondeo quod Deus præscit certò & infallibiliter futuros effectus naturales & necessarios, in comprehensione causarum naturalium post decretum efficax suæ voluntatis de futuritione ipsorum, non verò antecedenter ad illud decretum, quia nihil omninò fit, nisi Deo volente. Et similiter Deus videt futuros effectus liberos & contingentes in comprehensione causarum liberarum & contingentium, post decretum efficax suæ voluntatis de futuritione ipsorum & non antecedenter ad illud decretum. Est tamē maior difficultas ex parte obiecti vt cognoscantur futuri effectus contingentes & liberi, quàm vt cognoscantur futuri effectus necessarij: nam causæ necessariç sunt ab intrinseco determinatæ ad tales effectus, vt ignis ad comburendum; causæ verò contingentes & liberæ sunt ad hos effectus vel ad illos indeterminatæ.

III. Ratio fundamentalis Doctrinæ huius Thomisticæ est. Causa libera quantumuis coniuncta cum omnibus circonstantiis & dispositionibus antecedentèr ad decretum Diuinæ voluntatis, semper manet indifferens ad vtrumlibet. Ergo ex vi comprehensionis vel supercomprehensionis ipsius non potest certò & determinatè cognosci futurum contingens vt ab ea eliciendum, qualis est actus liber ipsius, vel ab ea dependens, & ab aliis causis secundis immediatè seu proximè producendus. Antecedens vt certum, communiter admittitur à Philosophis & Theologis, alioqnin prædicta futura non essent futura contingentia de quibus loquimur, siquidem non penderent à causa libera vt tali. Consequentia verò quo ad primam partem probatur, quoniam in causa indifferente ad vtrumlibet v. g. ad amandum vel non amandum, aut odio habendum, ex vi comprehensionis ipsius, non potest certò cognosci quòd infallibiliter & determinatè amabit, non verò odio habebit. Sicut in vna causa determinata ad vnam partem, nempè ad amorem, non potest certò cognosci quod indifferenter & indeterminatè amabit aut non amabit, sed quod determinatè amabit.

Quoad secundam verò partem etiam constat, quia hoc ipso quod futurum contingens proximè producendum ab aliis causis, pendeat etiam à voluntate libera vt indifferente ad vtrumlibet, non potest ex hoc capite magis certò cognosci ex vi comprehensionis prædictæ voluntatis, quàm illa quæ immediatè eliciuntur ab ipsa: ergo si hæc nequeunt ex vi comprehensionis voluntatis certò cognosci, nec illa poterunt ex vi comprehensionis suarum causarum, à quibus immediatè producuntur, & eiusdem voluntatis à quâ etiam pendent, certò attingi.

IV. Explicatur magis. Effectus non potest cognosci in suis causis, etiam ex vi supercomprehensionis causarum, nisi eo modo quo continetur in illis: at futura contingentia collata præcisè cum suis causis secundis antecedenter ad decretum Diuinum non continentur in eis vt determinatè futura, sed vt indifferentia ad hoc vt sint vel non sint: ergo ex vi etiam supercomprehensionis, non poterunt cognosci vt determinatè futura, sed semper vt indifferentia ad essendum vel non essendum: siquidem quantumuis causa alicuius effectus contingentis supercomprehendatur, non potest ex ea elici id, quod in ipsa non continetur, sicut quantumuis comprehendatur planta, nequit ex ea præcisè sumpta cognosci possibilitas leonis aut equi, ex eo quod in ipsa non præhabentur. Ergo similiter cum futurum contingens vt determinatè & infallibiliter futurum non contineatur in suis causis proximis præcisè tanquam certò futurum, sed tantùm indifferenter & indeterminatè, nequibit ex vi etiam supercomprehensionis cognosci vt determinatè futurum: aliàs nequidem dicenda erit cognitio talis, supercomprehensio: cum nec causas attingat, nec suos effectus eo modo quo sunt in illis.

Existimant Antithomistæ futura contingentia habere veritatem obiectiuam ex futuro euentu, & hanc præcedere in aliquo signo rationis liberam & efficacem determinationem Diuinæ voluntatis; hancque veritatem obiectiuam determinatè à Deo percipi ex sua supereminenti comprehensione rerum antequam de earum determinata futuritione quidquàm decreuerit Deus; & quamuis oppositum iam demonstratiuè probauerimus, tamen quia contra arduam hanc Doctrinam nonnulla militant argumenta; pro his dissoluendis sit.

CAPVT VNDECIMVM.

Dissoluuntur obiectiones difficillimę, quibus traductis, vltimum corruit Defensionis fundamentum.

I. PRobatâ Prædeterminatione physicâ ex subordinatione essentiali causę secundę cum Prima, quam constat esse voluntatem Dei, quę res extrahat à statu purę possibilitatis (cuius intima radix est Dei Omnipotentia) ad statum futuritionis; nihil magis cernitur oppositum Doctrinę quam propugnamus, quàm asserere futura contingentia libera habere veritatem vel falsitatem determinatam ante voluntatis Diuinę determinationem de earum determinata futuritione. Huic autem Doctrinę vt basi vltimę inniti & subscribere Reuerendum Patrem constat ex pag 115. vbi ait, *Deus non vult nisi postquam nouit illum cum tali motione perseueraturum*, Quâ propositione derogatur dignitati primę & vniuersalissimę causę scilicet voluntati Diuinę, quę non mouet aliquem ad perseuerandum, vt vult R. Pater, nisi, *Postquam nouit illum perseueraturum*, Sicque hanc non pręcedit vt prima causa, sed illam sequitur. Et ex hoc falso principio sic argumentatur.

Primò. Futurum contingens ex suppositione suę verę futuritionis habet certam & necessariam determinationem ad essendum etiam ante decreta Diuinę voluntatis, ergo eo ipso habebit etiam antecedenter ad ea sufficientem certitudinem & veritatem obiectiuam ratione cuius possit certò cognosci à Deo. Consequentia patet. Ant. probatur, primò ex D. August. tom. 6. lib. 26. contra Faustum c. 4. his verbis, *Tam non possunt futura non fieri, quàm non fuisse facta præterita*, Secundo ex D. Ansel. lib. de concord. præscientię & pręd̃est. gratię cum lib. arb. c. 1. asserente, *Rem verò futuram necesse est esse futuram, quoniam futurum esse nequit & non futurum*, Vnde secundum D. August. sicut pręteritum ex suppositione suæ pręteritionis habebit etiam independenter à Diuino decreto, certam & necessariam determinationem, ratione cuius non potest non esse præteritum: ita etiam futurum ex suppositione suę futuritionis habebit eodem proportionali modo certam & necessariam determinationem, ratione cuius determinatè & necessariò erit. Et similiter secundum Anselmum, sicut in omni signo etiam in illo quod antecedit decretum Diuinum, nihil potest esse simul futurum & non futurum: ita etiam in omni signo, futurum ex suppositione suę futuritionis, erit necessariò futurum, ne in aliquo signo vt innuit Anselmus, possit aliquid esse simul futurum & non futurum.

Ad hoc primum argumentum respondeo Neg. Ant. Pro cuius intelligentia aliquid dici tripliciter futurum: primò in ordine ad solas causas secundas, vt mors Ezechiæ, Isa. 38. secundum quas verè erat futura vt exponit D. Tho. 2. 2. q. 171. a. 2. ad 2.

Secundò, dicitur aliquid futurum in ordine ad solam primam causam, huiusmodi est resurectio Lazari. Tertiò dicitur aliquid futurum per ordinem ad omnes causas scilicet primam & secundas, vt Antichristus erit.

Ex quibus futurum primo modo, non est futurum absolutè & completè, quia deest illi id quod potissimum desideratur ad futuritionem absolutam & completam, nimirum efficax Diuinę voluntatis decretum circa eius existentiam pro tempore futuro: quamuis aliquo modo habeat coniunctum decretum eiusdem voluntatis Dei, non quidem eo modo; quo futura secundi & posterioris generis, sed quatenus vtrunque istorum Deus vult; nempe quod aliquid quandoque sit futurum secundum causam inferiorem, id est, secundum inclinationem & dispositionem prædictæ causæ, quod tamen non sit futurum secundum causam superiorem.

Respondeo ergo Sanctum Præsulem August. loqui de futuris secundo & tertio modo sumptis, ac præcisè de illis vt per Dei decretum prædefinitis. Quod autem hæc sit mens Sancti Antistitis, patebit legenti totum caput illud 4. Itidemque Sancti Anselmi qui paulò inferius explicans quomodo prædicta futura ex voluntate Dei habeant ista duo sc. esse futura & fieri liberè à voluntate creata, ita inquit, *Quoniam quod vult, non potest non esse, cum vult hominis voluntatem, nullâ cogi vel prohiberi necessitate ad volendum vel ad non volendum, Et vult effectum sequi voluntatem, tunc necesse est, voluntatem esse liberam, & esse quod vult.*

II. Quod potest confirmari ex hoc quod ibidem ait, *Quidquid de iis quæ libero fiunt arbitrio, vel vt necessarium Sacra Scriptura pronunciat secundum æternitatem loquitur, in quâ præsens est omne verum immutabiliter, non secundum tempus in quo non semper sunt voluntates & actiones nostræ: & sicut dum non sunt, non est necesse, eas esse: ita sæpè non est necesse, vt aliquando sint*, Vbi vt constat non loquitur Anselmus de necessitate futuris liberis conueniente, vt sunt in tempore, sed vt sunt pręsentia in æternitate: at constat nihil habere hanc præsentiam in æternitate, sicut nec esse reale, nisi ex prædicto voluntatis Diuinæ decreto.

Cùm autem dicitur, quod sicut præteritum ex suppositione suæ præteritionis, habet etiam independenter à decreto Diuino certam & necessariam determinationem ratione cuius non potest non esse præteritum: ita etiam futurum ex suppositione suæ futuritionis, &c.

Respondeo quod præteritum secundum se, quod supponitur contingens, non habet independenter à decreto Diuino quod sit præteritum, sicut enim non habuit esse, cùm re ipsa fuit, nisi Deo volente, sic cùm præteriit non habuit esse nisi quale Deus voluit illud habere: eodemque modo philosophandum de futuro quantum ad hoc, seruatâ proportione.

Secundò. In illo priori signo rationis antequam intelligatur aliquod decretum Diuinæ voluntatis, vna ex his propositionibus de futuro contingenti, nimirùm (Antichristus erit: Antichristus non erit) habet determinatam veritatem vel falsitatem: ergo in eodem priori, certò & determinatè attinget Deus, quænam ex prædictis propositionibus sit vera: & consequenter vtrum Antichristus sit futurus, vel non sit futurus: nam cum cognitio Diuina sit infinita, oportet vt hoc ipso, quòd aliquod obiectum in aliquo signo sit certò cognoscibile, quòd pro eodem, certò attingat illud; alioquin non esset infinita in ratione cognitionis, siquidem non extenderetur ad cognoscendum certò, quod certò cognoscibile est. Anteced. autem probatur, quoniam adhuc in illo signo rationis prædicta propositio (Antichristus erit) contradictoriè opponitur cum hâc, Antichristus non erit: ergo altera illarum est determinatè vera, & altera determinatè falsa, cùm hoc sit de ratione contradictoriarum.

Ad 2. Resp. neg. Anteced. quoniam licet ex duabus

propositionibus quæ re ipsâ & in quouis instanti reali sunt contradictoriæ, necesse sit alteram verificari à parte rei de qualibet re, ac proinde esse determinatè veram; non tamen est determinatè verum quòd intelligatur verificari in quocunque signo rationis. Dicendum igitur est propositiones illas in eo signo neque esse propositiones formaliter, neque earum terminos, formaliter significare, sed tantùm materialiter, quatenus termini earum sunt aliàs impositi ad significandum : ac proinde neque ibi reperiri veram contradictionem, quæ non nisi in propositionibus formaliter talibus inuenitur.

Cuius ratio est, quia vt docet D. Thomas 1. p. q. 13. a. 1. in principio, voces, quæ sunt formaliter significatiuæ, debent esse signa conceptuum qui sunt in intellectu: alioqui voces psitaci essent formaliter significatiuæ & non tantùm materialiter. Cùm ergo à nullo intellectu etiam Diuino antecedenter ad libera Dei decreta, possit aliquid determinatè concipi circa futuritionem vel non futuritionem Antichristi; ideò propositiones illæ non possunt esse signa conceptuum, & consequenter nec formaliter significatiuæ nec contradictoriæ.

Respondeo secundò neg. anteced. quia lex contradictoriarum est, quòd vna sit vera & altera falsa formaliter; non tamen determinatè materialiter, id est, quod de facto nunquam vtraque sit vera, nec vtraque falsa, sed vna tantùm, vt si vna est vera, altera sit falsa. Quod verò in indiuiduo ista sit vera determinatè præ aliâ, id non efficit contradictio, sed causarum determinatio, præsertim Diuina: immò, ideò prouenit ex contradictione quòd vna sit vera & altera falsa determinatè formaliter, id est, quod hæc vel illa sit vera, & rursùs quod hæc vel illa sit falsa : quia Diuina voluntas licet non sit in signo antecedenti determinata ad habendum determinatè decretum de creatione mundi v. g. vel ad habendum determinatè decretum de non creando illum, attamen in eodem signo est determinata ad habendum vnum vel alterum vagè, ex eo quod non potest manere suspensa. Vnde sicut cum dicitur quod ad videndum requiritur oculus, talis propositio est vera de oculo determinatè, non quidem materialiter, sed formaliter sumpto, id est, non de oculo dextro vel sinistro determinatè, sed de oculo, siue dextro siue sinistro, secundum quam rationem sumitur oculus determinatè formaliter, & determinatè de illo verificatur, quod requiritur ad videndum. Ita cum dicitur quod vna ex contradictoriis debet esse determinatè vera & altera determinatè falsa, debet intelligi de illis determinatè formaliter, non verò determinatè materialiter.

III. Tertiò propositionem aliquam esse veram determinatè vel falsam determinatè, nihil est aliud quàm esse determinatè conformem vel difformem rei significatæ per ipsam. Sed in illo signo antecedenti ad decreta libera Dei: hæc propositio, Antichristus erit, habet esse conformem rei significatæ, ergo, &c. Mi. probatur, nam tunc aliqua propositio est conformis rei significatæ per ipsam, quando ita se res habet sicut per prædictam propositionem enuntiatur: hoc autem in præsenti contingit, siquidem enuntiatur de Antichristo, quod pro tempore futuro erit: & hoc ita erit, sicque res se habebit.

Ad Tertium, Resp. 1. neg. Mi. ex eo quòd illa propositio pro eo signo antecedenti ad decretum, solùm materialiter, non verò formaliter habeat rationem propositionis: & voces illæ aut termini nihil formaliter significent. Et nihil refert quod re ipsa, ita fore, vt sic dicamus, postea contingat, vt res sic disponantur, quòd in sequenti signo detur decretum, ratione cuius pro tempore futuro verificetur, Antichristum esse. Quia hæc concomitantia & dispositio, materialiter contingit, non formaliter, sicut si psitacus proferret illam propositionem, tunc solùm materialiter esset ibidem propositio aut conformitas, ac proinde solùm materialiter continget respectu prædictæ propositionis quod ita res postea disponatur vt re vera verificetur pro tempore futuro, quod Antichristus est. Vnde ad hoc vt aliqua propositio de futuro contingenti sit formaliter propositio pro aliquo priori, & pro eodem sit formaliter conformis cum suo obiecto, requiritur vt pro illo priori suum obiectum habeat determinatè rationem futuri in determinatione suarum causarum, præsertim primæ: quia si hoc non adsit, non erit ratio propter quam respiciat illud vt formaliter futurum, ac proinde sit formaliter conformis ei.

Respondeo secundò iterum neg. Mi. de conformitate determinata intellectam: secùs verò si de conformitate indeterminata intelligatur. Ratio est: nam ad hoc vt aliud sit conforme alteri, oportet vt illud alterum habeat, esse, & quod habeat illud sicut de illo enuntiatur. Quare cum ante determinationem efficacem Diuinæ voluntatis non habeant creaturæ determinatè, esse, futurum: nec determinatè, esse, non futurum, positiuè (vt sic dicamus) sumptum, quamuis debeant esse futura, vel non futura, consequens est vt nulla ex illis propositionibus de futuro contingenti materialiter sumpta, seu nulla in particulari sit in illo signo determinatè conformis vel determinatè difformis suo obiecto: siquidem in illo obiectum illarum, nec habet esse determinatè futurum, nec esse determinatè non futurum, quamuis sit determinatum ad habendum vnum vel alterum.

Nihilque refert quòd ita res postea disponatur, vt pro tempore futuro & ratione decreti in signo sequenti existentis, verificetur Antichristum esse ad hoc, vt propositio illa sit in omni signo antecedenti conformis suo obiecto, seu ad hoc vt obiectum ita sit, sicut de illo enuntiatur: sed requiritur vt si enuntiatur in aliquo signo aliquid conueniens illi pro tempore futuro, quòd ex tunc, seu ex vi illius ita sit pro tempore futuro, sicut per illam propositionem enuntiatur, alioqui non erit in eo signo conformis suo obiecto. Ratio est: nam sicut quòd res ita postea disponantur, vt pro tempore futuro, verificetur Antichristum esse, non sufficit ad hoc vt Antichristus re verâ habeat, pro signo antecedenti ad decretum Dei, rationem futuri determinati. Sed requiritur in eo signo aliquid præsens, in quo fundetur talis determinatio: ita neque ad hoc vt propositio id affirmans sit vera & conformis tali obiecto potiùs quàm difformis eidem: quia non stat hanc propositionem de futuro contingenti, nempè (Antichristus erit) esse determinatè conformem suo obiecto, & Antichristum non habere rationem futuri determinatè.

Vnde prima radix & regula veritatis & conformitatis prædictarum propositionum est decretum efficax Diuinæ voluntatis, ita quidem vt si prædictum decretum sit de futuritione, tunc propositio affirmans sit determinatè conformis: si autem fuerit de non futuritione, talis propositio erit difformis. Et tandem si in aliquo signo non adsit decretum de futuritione, vel de positiua, vt sic dicamus, non futuritione, tunc prædicta propositio nec habet esse determinatè conformem, nec determinatè difformem: & per consequens nec determinatè veram, nec determinatè falsam: sed tantùm non conformem aut non difformem, seu non determinatè veram aut non determinatè falsam.

IV. Quartò. Suam denique sententiam confirmabant hoc argumento. Si propter aliquam rationem prædicta propositio non esset conformis suo obiecto ante decretum Diuinum; maximè quia ante illud non sunt determinatæ causæ ad illius productionem, atque adeò nec habet esse

esse futurum: at hæc ratio nulla est, ergo, &c. Mi. probatur quia per prædictam propositionem non enuntiatur quod causæ sint determinatæ, aliàs talis propositio esset de præsenti. & non de futuro; sed tantùm enuntiatur quod res illa pro tempore futuro erit, quia licet causæ non sint determinatæ: attamen si pro tempore futuro res illa extiterit, tunc prædicta propositio erit vera & conformis suo obiecto.

Ad prædictam confirmationem respondeo neg. Mi. & ad probationem concedendum est, determinationem causarum de præsenti & causatam per decretum efficax Diuinæ voluntatis, non esse id quod enuntiatur de subiecto, ac proinde nec esse obiectum conformitatis illius propositionis de futuro: esse tamen primam radicem & primum requisitum, primamque regulam talis conformitatis: & ita nisi adsit prædictum decretum, non poterit vlla ratione esse vera & determinata conformitas inter illam & suum obiectum.

Potestque explicari exemplo intellectionis & volitionis liberæ. Nam intellectio proponens obiectum cum indifferentia, est radix & requisitum, & (vt sic dicamus) prima regula libertatis, quæ est in volitione libera obiecti propositi: & tamen cognitio illa indifferens, sic proponens obiectum, non est radix & regula volitionis liberæ per modum obiecti voliti ab ipsa, sed vt quid omninò prærequisitum ad hoc, vt obiectum illud sit volitum secundum suam bonitatem. Ita ergo efficax decretum Dei non est radix & regula conformitatis propositionis de futuro contingenti cum suo obiecto, tanquam aliquid necessariò enuntiatum per illam; & per consequens, nec tanquam obiectum conformitatis, sed tanquam quid omninò requisitum & per modum primæ radicis prædictæ conformitatis: quæ hoc ipso quod creata & per accidens, non potest non ortum ducere à Diuino decreto transferente futurum illud à statu possibili vel futuri fallibilis ad statum infallibilis futuritionis.

V Prædictis non obstantibus propositio disjunctiua affirmans Antichristum fore vel non fore, est verà propositio, sed non est determinata, de qua sola est sermo.

Nec refert si obiicias: quod licet propositio in communi possit esse vera vel falsa indeterminatè: tamen hoc ipso quod sit hæc propositio in indiuiduo, necesse est vt habeat determinatè veritatem aut determinatè falsitatem. Quia quoties aliqua passio sub disjunctione & indeterminatè alicui conuenit essentiæ in communi, toties conuenit determinatè indiuiduis sub illa contentis, vt patet in numero, cui in communi conuenit saltem per modum proprietatis quòd sit par vel impar indeterminatè & sub disjunctione: & tamen cuilibet numero in particulari debet competere quod sit determinatè par, vel determinatè impar.

Respondeo enim neg. anteced. & ad probationem dicendum est, propositionem esse veram in solis proprietatibus absolutis, vt in exemplo allato contingit: non verò in proprietatibus respectiuis, qualis est significare verum vel falsum; nam proprietas ista conuenit propositioni de futuro contingenti per ordinem ad suum obiectum scilicet futurum: & ita quia pro illo signo rationis, non habet determinatè (fore) nec determinatè (non fore) sed tantùm habet indeterminatè, quod erit, vel indeterminatè, quod non erit, ex eo quod Diuina voluntas est determinata in illo priori ad habendum aliquem actum vagè & indeterminatè sumptum, quo decernat (fore) vel (non fore) v. g. Antichristi: propterea hæc propositio (Antichristus erit) pro illo priori & in indiuiduo sumpta significat veritatem vel falsitatem indeterminatè tantùm: non verò determinatè.

CAPVT DVODECIMVM.

In quo tria tandem objiciuntur argumenta, quibus solutis tota Defensio apparet sufficientissimè confutata.

I. QVamuis exosum sit absque ordine siue respondendo siue arguendo procedere, attamen quia eâ methodo tradita est prædicta Defensio, vt pluries eadem confusè repeteret; tria adhuc argumenta supersunt dissoluenda, ex quorum solutionibus reliquæ, Defensionis huius nebulæ dissoluentur.

Primum autem argumentum nascitur ex eo quòd ab ipso Defensionis suæ limine probare satageret R. Pater sufficientiam concursus simultanei, quam centies suadere passim conatus est, cuius ratio præcipua hæc est; [quia per huiusmodi cōcursum simultaneum sufficienter saluatur dependentia quę debet esse inter Primum Agens & quodlibet agens creatum: etenim ex quâ parte Causa Prima potest agere sine concursu simultaneo causæ secundæ, non verò è contra, apparet, inquit, causæ primæ prærogatiua. Et ex quâ parte, ipsa actio causæ secundæ est immediatè à Deo, per hanc immediationem saluatur dependentia ipsius actionis à causa prima. Ac tandem ex quo capite, id quod est causa actionis, causat etiam immediatè effectum qui sequitur ad actionem, saluatur dependentia ipsius effectus à Deo] sic necessariò philosophandum iuxta Doctrinam in prædicta Defensione traditam, prorsùs tamen Angelico Doctori oppositam.

Genuina verò Thomistarū ratio ex opposito fundamento deducitur, quia nimirùm per concursum Dei simultaneum nusquam saluatur dependentia causæ secundæ à Prima in ratione principij actualis, quia causa secunda debet dependere actu & directè à Deo in agendo, quatenùs ab ipso immediatè accipit non solùm vt sit operatiua, sed etiam vt operetur & agat, quod est esse verum & immediatum actualis operationis principium: ad hoc autem non sufficit solus cōcursus simultaneus, ergo præter hunc requiritur antecedens seu præuius, de quo hic est sermo.

Addo (ex iam toties repetitis) actionem causæ secundæ in actuali exercitio consideratam, non solùm dicere actionem, sed actionem cum suo modo dependentiæ à causa secunda: secundùm quem modum ipsa actio dependere debet etiam à Deo. At, licet concederemus (quod tamen nunquam concedendum est) Deum per solum concursum simultaneum concurrere ad actionem causæ secundæ; non tamen potest ad illam prout est à causa secunda concurrere, nisi præmouendo ad actum vt optimè docet D. Thomas 1. 2, q. 80 a. 1. *Nihil, inquit, potest esse causa actus alienius nisi per hoc quod proprium princi-*

pium illius actus mouet ad agendum, Et hoc velim vel semel à Reuerendo Patre ponderari. At iuxta Aristotelem & eundem Sanctum Doctorem; Motio mouentis præcedit motum mobilis ratione & causâ: & ideò subtiliter dixit Cajetanus, *Quod si Deus non moueret solem ad illuminandam (intellige per concursum præuium) non esset causa illuminationis solis, quamuis posset esse causa illius illuminationis quæ esset à sole.*

II. Secundo arguunt nonnulli (& ipse R. Pater pag. 72. & 73) Ideò Angeli in primo instanti non fuerunt liberi ad peccandum, quia voluntas eorum dirigebatur à Deo tunc speciali prouidentiâ: & similiter homo in statu innocentiæ non erat liber ad peccandum venialiter priusquam mortaliter. Item confirmati in gratia, ratione huius perfectionis & prouidentiæ non possunt peccare, vt docet D Tho. de verit. q 24. a 9 & in 3. q. 1. a. 2 quęstiune 5. Ergo si voluntas creata prædeterminatur ad actus bonos, non remanebit in ea libertas ad peccandum siquidem ista Prædeterminatio Dei est efficacior quâuis Dei prouidentiâ.

Ad 2. Respondeo quod quamuis supra fecerimus satis prædicto argumento; attamen majoris euidentię gratia, dico non eandem esse prædictorum rationem cum Prædeterminatione Thomistica; nam Angeli in primo instanti non fuerunt liberi ad peccandum, quia eorum voluntas dirigebatur à Deo speciali prouidentiâ, non qualitercumque, sed quoad hoc simili ei quâ prouidet Deus per modum naturæ: nam Angelus ab intrinseco habet vt non sit liber ad peccandum in primo instanti, vt docent Theologi in tract de Angelis q 63. a 5 Ex eo quod prima eius operatio incipiens simul cum esse, eiusdem Angeli; debet esse talis rationis vt tribuatur Deo tanquam agenti particulari: quia talis operatio habet se ad instar passionis seu perfectionis debitæ in primo instanti. Et de hoc legendi Complutenses in lib. physic, disp. 28. à nu. 23 & deinceps. Quomodo verò duplici agenti particulari possit eadem operatio tribui. Vide eosdem lib. de generat. d 9. nu 56.

Ad illud autem de homine in statu innocentiæ constat ex iis quæ D. Thomas 1 p. q. 94. a 4 & 1. 2. q 89. a 3 tradit, quì sc. ex donis intrinsecis & intrinseca subiectione quam in statu innocentiæ habebant omnia inferiora partis hominis, supremæ parti ipsius; proueniebat vt non posset in illo instanti peccare venialiter, nisi prius peccaret mortaliter, & per peccatum, hæc prædicta dona prædictamque subiectionem & subordinationem amitteret, vt dicitur in tract. de peccatis.

Ad id verò quod de confirmatis in gratia dicitur, certum est donum confirmationis addere supra gratiam sanctificantem, quandam perfectionem intrinsecam auferentem à confirmatis vertibilitatem ad malum: quia donum hoc, est quædam participatio gratiæ consummatę Beatorum: & ita quoad hoc Deus sic prouidet his confirmatis, non qualitercumque, sed per prouidentiam similem ei, quâ prouidet his quæ operantur per modum naturæ: siquidem sic confirmati, ab intrinseco habent; quòd ita non peccent, vt nec possint peccare.

Potestque hoc explicari exemplo fidei in Summo Pontifice, nam ei definienti res fidei communicatur quædam perfectio intrinseca ex participatione visionis Dei, cuius est quædam veluti vicaria participatio, & ratione huius perfectionis conuenientis prædictæ fidei, non est fides personæ particularis; sed vt est fides capitis & Pontificis, est indefectibilis circa diffinitionem rerum fidei. At, nihil horum omnium in obiectione superiori enumeratorum habet Thomistica Prædeterminatio, quæ semper relinquit potentiam ad oppositum, vtpote non determinans per modum naturæ.

III. Verùm quoniam superius iamiam diximus Christi humanitatem esse instrumentum Diuinitatis, quod consequenter à Deo præmoueri ad agendum necesse sit tanquam Deo subiectum, teste Angelico Doctore 3 p q. 20. a. 1. & Christo dicente: Pater in me manens, ipse facit opera: cumque R. Pater in sua Defensione noui cuiusdam modi conciliandæ libertatis creatæ cum Diuinis prædefinitionibus; Thomistis, immò & Sanctis Patribus omninò ignoti meminerit, quem tamen semper supponit, sufficienterque probatum autumat in sua idea Theologica ad quam remittit lectorem: hic videndum est quid de eo ibidem dicat iuxta quod difficillimum de impeccabilitate Christi possit solui argumentum: nam cum ad victimam ductus sit Agnus ille innocens, sicut definitum erat de illo, sitque oblatus quia ipse voluit, iuxta quod æterni Patris manus & consilium fieri decreuerant. Act. 4. & aliunde Dei Prædeterminatio sit quasi quædam executio Diuinarum prædefinitionum siue decretorum: hic conformiter ad illa necessariò philosophandum est de eà: at nouam pro hoc argumēto dissoluendo solutionē excogitauit R. Pater non minus opositam principiis Doctrinę D. Thomę, cuius defensionem susceperat, quàm cætera omnia quæ in tota sua Defensione attulerat, nam cum lib. 2. c. 17. suæ ideæ Theologicæ, sibi objiceret, quòd Christus non esset liber ex eo quod moriendi præceptum sibi à Patre impositum omittere non posset, sic respondet

[Secundò, etsi Christus absolutè non posset omittere præceptum, poterat tamen illud omittere, non ponendo eum actum per quem illud impleuit: ac proinde eiusmodi actus positio, eique annexa præcepti obseruatio, Christo fuit libera. Atque hæc responsio, inquit, manifestè est ad mentem Sancti Thomæ 3 p. q 18. a 4. ad 3. vbi eà ratione defendit libertatem Christi, *Quia etsi voluntas illius sit determinata ad bonum in communi, non tamen est determinata ad hoc vel ad illud bonum.* Porrò huic D. Thomæ testimonio, quantum attinet ad bonum in communi respondebimus in epilogo. Vt autem huius solutionis nullitatem ostendamus, aduertendum est primò omissa esse à R. Patre sequentia verba D. Thomæ, *Et ideò pertinet ad Christum eligere per liberum arbitrium confirmatum in bono, sicut ad Beatos.* Quibus si addere voluisset id quod ait idem Sanctus Doctor 1. 2. q. 109 a. 9 ad 1. vbi docet hominem in statu gloriæ quando gratia erit omninò perfecta, Diuino auxilio non solùm habituali, sed & actuali adhuc indigere: non potuisset negare auxilium præueniens de quo hìc est sermo, vt iam multoties diximus.

Secundo. Non est vt arbitratur R. Pater ad mentem Diui Thomæ data solutio quæ agnoscit determinationem ad bonum tantùm in communi: cum doceat D. Thomas Dei prouidentiam esse de rebus etiam in particulari & de minimis, vt ait 1 p. q. 22. a. 3 in o. & ad 1. vbi habet quod *Omnis scientia operatiua tantò perfectior est, quantò magis particularia considerat in quibus est actus*. At, quis neget in Christo fuisse notitiam practicam perfectissimam & quæ attingebat singulas conditiones & circunstantias actus?

IV. Vera ergo mens D. Thomæ loco citato à R. Patre, est, quòd voluntas Christi habebat aliquid speciale, ex eo scilicet, quòd ad verum bonum determinata esset; ita vt malum velle non posset, sub quacunque ratione aut apparentiâ boni: & sic dicitur

determinata ad bonum in communi. Et tamen motione Diuinâ ad singulos actus mouebatur & determinabatur ad hoc vel illud bonum eligendum, vt iam diximus: quia sicut voluntas creata etiam in Christo, non est primum agens & prima causa aut primum liberum, sic non est primum se determinans. Et sic verissimum est Diui Thomæ testimonium à R. Patre relatum, sed omninò oppositum eius intento.

Dicere tandem Christum ideò fuisse liberum in morte præcisè tantùm, quia poterat per hunc vel illum actum adimplere præceptum Patris: hoc maximè derogat perfectioni & merito obedientiæ Christi, quæ fuit perfectissima, & consequenter de omnibus circonstãtiis etiam minimis: quod nusquam esset in opinion Reuerendi Patris, iuxta quam non esset magis laude & pręmio digna Christi Domini obedientia, quam si famulus acceptis ab hæro 12. aureis, vno potiùs quàm alio debitum solueret, quâ in solutione prælectio huiusmodi esset parui aut nullius ponderis siue momenti: quòd autem talis fuerit Christi obedientia habetur Ioa. 4. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*, Id est eodem modo: quod debet intelligi non solùm de omnibus actibus quibus meruit Christus, teste Angelico Doctore in 3. dist. 18. q. 1. a. 5. sed de omnibus circonstantiis, aliàs maxima pars meritorum Christi tolleretur.

Igitur à Thomistis longè aliter prædictum de impeccabilitate Christi soluitur argumentum. Dicunt enim quod sicut à Deo nunquam præmouetur agens liberum ad aliquem actum, quin etiam ad eius modum præmoueatur, ita non fuit Christo impositum moriendi præceptum, quin simul & modus præciperetur: mandatum ergo moriendi Christo à Patre datum est, & moriendi liberè, quod est posse non mori: & hoc totum erat de intentione præcipientis; sicque dici non potest, quod Christus potuerit peccare nisi probetur quòd potuerit mori necessariò, quæ propositio est opposita huic (mori liberè) at hoc de Christo dici non potest, quia mortuus est, & quidem liberè, Isa. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit*, Ioa. 10. *Nemo tollit à me animam meam, sed ergo pono eam.*

Alio modo se expedit ab hoc argumento de impeccabilitate Christi Domini R. Pater Vincentius Baronius, dicens, *Christum liberè elegisse mortem sibi præceptam, quatenùs erat indifferens ad amandum vel non amandum, vel etiam odio habendum, rem secundum se consideratam, non prætermisso, sed seruato ordine finis*, Nam ab ipso liberum arbitrium definitur, *Vis eligendi ex ordine finis: sicut & ratio est facultas inferendi conclusiones ex præmissis.*

Ex quo sic ratiocinatur: si eò liberior est voluntatis operatio quò plùs habet indifferentiæ, minùs dubitandum est de libertate nostræ voluntatis, vt subest æternis Dei prædefinitionibus & eius motioni externæ, quàm de libertate voluntatis Christi impeccabilis, vt res, Patris præcepto & consilio præscriptas implet. Atqui impotentia peccandi & discedendi ab imperio Patris, à Christo libertatem non abstulit: ergo, &c.

V. Alii verò respondent quod Christus Dominus habuit indifferentiam ad moriendum & non moriendum, quia eius voluntas humana non erat determinata ex necessitate absoluta ad tolerandam mortem, vnde liberè eam tolerauit & liberè obediuit præcepto moriendi: licet enim non posset non obedire prout ly (non obedire) sumitur priuatiuè aut contrariè, vt scilicet importat transgressionem præcepti, seu priuationem obseruationis præcepti: potuit tamen non obedire, prout ly (non obedire) sumitur merè negatiuè & contradictoriè, vt scilicet importat negationem actus præcisè, abstrahendo à præcepto: ad libertatem autem sufficit indifferentia contradictionis, nec requiritur indifferentia priuationis aut contrarietatis.

Seu breuius: sufficit ad libertatem quod voluntas non determinetur ex parte obiecti quasi sit summum bonum, vel quid ex natura sua ei connexum; tali enim determinatio ex parte obiecti est ab intrinseco, & importat necessitatem absolutam: sic autem non fuit determinata voluntas Christi ad tolerandam mortem, quia hæc non est summum bonum, nec ex natura sua est summo bono connexa; sed tantùm fuit determinata ab extrinseco ratione præcepti, quæ determinatio non tollit libertatem cùm sit tantùm secundum quid & ex suppositione. Cùm autem Christus fuerit ab intrinseco impeccabilis, non potest absolutè concedi & absque distinctione, quod potuerit non obedire vel quid simile, quod importat defectum: potest tamen absolutè concedi, quod potuit non mori, & similia quæ non important defectum.

Hìc adhuc posset superaddi, quod tandiù remaneat libertas, quandiù superest indifferentia iudicij, quâ remanente nusquam possit voluntas necessitatem pati: At præceptum Patris non auferebat à Christo indifferentiam iudicij, maximè si eius Passio consideretur prædicto modo, id est secundum se tantum, ergo &c.

VI. Quis non crederet, & meritò quidem exhaustam esse modò Petri Fuliensis dicendi facundiam? Secùs tamen sentiendum; nam quasi suspecta illi essent omnia quæ hactenùs dixerat: remittit ad alia quæ in aliis suis operibus scripsit de scientia media: quæ cum sit prædictæ Prædeterminationi Thomisticæ prorsùs opposita, ex illa molitur nouas argumentorum machinas eruere aduersus Thomistas, prioribus tamen nusquam solidiores: ideòque pari facilitate hìc à nobis dissoluendas.

Primò enim sic argumentatur in sua suaui concordia. Deus certissimè cognoscit Petrum v. g. conuertendum; ergo per scientiam mediam: quia sæpè ait D. Thomas effectum contingentem & liberum in suis causis non posse certò cognosci ab intellectu etiam Diuino.

Respondeo Neg. Conseq quantùm ad hoc quod effectus liber cognoscatur per scientiam mediam: licet enim ille cognosci non possit in suis causis nudè & ante decretum consideratis, cùm sint indifferentes & indeterminatæ ad vtrumlibet: cognoscitur tamen & certò, sed in ipso Dei decreto seu potius in sua essentia per illud decretum determinata. Et licet Dei decretum prædeterminans, & præmotio ex illo proueniens, non sit formaliter consequens actus liberos nostræ voluntatis: tamen æquiualenter ad illos consequitur: quia consequitur ad aliquid in quo continetur & à quo causatur nostra libertas, scilicet ad infinitam Diuinæ voluntatis efficaciam.

Secundò obiicit decretum efficax ex se & antecedens scientiam mediam eripere à Petro, v. g. libertatem: nam in illo proposito, inquit, non potest conuerti, ergo prædicta scientia est omninò admittenda, & consequenter exulat Prædeterminatio physica, quæ cum iudicetur necessaria ob essentialem creaturæ dependentiam, deberet quoque scientiam hanc mediam antecedere.

Ad 2. Resp. iam centies negatum esse hoc antecedens: nam illud decretum & præmotio id exequens ex sua infinita efficacia est radix libertatis actualis, quæ non potest esse certa à decreto indifferenti & influxu indeterminato. Nam causa libera eodem modo se debet determinare, quo libera est, id est, si sit primum liberum, vt Deus, debet se ipsum per se primò determinare idque independenter ab alio prædeterminante: si autem sit secundum liberum, vt est voluntas creata, debet tantùm secun-

dariò se determinare & dependenter à Primo libero : ita formaliter D. Thomas 1. p. q. 19. a. 3. ad 5. *Causa*, inquit, *quæ est ex se contingens, oportet quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum : voluntas autem Diuina quæ ex se necessitatem habet, determinat seipsam ad volitum ad quod habet habitudinem non necessariam.* Et 3. cont. Gent. c. 2. *A contingenti ad vtrumlibet non sequitur aliquis effectus, nisi per aliquid quo determinetur ad vnum.* Et de malo q. 3. a. 2. ad 4. *Manifestum est*, inquit, *quòd cum aliquid monet alterum, non ex hoc ipso quod est mouens, ponitur quòd sit primum mouens : vnde non excluditur quin ab altero moueatur, & ab altero habeat similiter hoc ipsum quod monet. Similiter cum aliquid monet seipsum, non excluditur quin ab alio moueatur à quo habet hoc ipsum quod seipsum mouet, & sic non repugnat libertati quod Deus est causa actus liberi arbitrij.* Denique lege eundem D. Thomam 1. p. q. 105. a. 4. ad 2.

VII. Tertiò denique nobis obiicit Pater Fuliensis in decreto prædeterminante v. g. conuersionem Petri, à Deo pręparari ipsi iuxta Thomistas media ineluctabilia : sed hoc, inquit, repugnat D. Thomę q. 6. de verit. a. 3. vbi docet Deum ad salutem Prædestinati præparare media, ex se quidem defectibilia, quorum tamen aliqua, aliis deficientibus, effectum sint habitura : ex quo infert Dom Petrus iuxta D. Thomam, scientiam mediam esse admittendam, quâ certò cognoscat Deus, quęnam ex mediis illis pręparatis effectum habitura sint, & quâ Deus dirigatur ad ea tribuenda, cum opus fuerit.

Ad tertium resp. neg. anteced. quia nullum est medium tam potens & efficax ad conuersionem Petri, cui ille non possit resistere in sensu diuiso & potentia antecedenti, seu vt alij loquuntur, potentiâ ab actu separatâ. Lege D. Thomam 1. 2. q. 112. a. 3. o. Sed ad Mi. dico quod cùm D. Thomas ait, *Ad salutem Prædestinati media defectibilia à Deo præparari, &c.* Loquitur ille de mediis & auxiliis extrinsecis, vel de intrinsecis obiectiuè tantùm & moraliter excitantibus, quæ cum non sint semper coniuncta cum auxiliis ex se efficacibus, non semper suum operantur effectum : vtrumque autem auxilij genus est necessarium vt diximus, quia voluntas consideranda est & vt natura & vt libera : quòd autem loco suprà citato de prioribus illis mediis loqueretur Doctor Angelicus, patet per hoc quòd media illa exprimat per, *Exhortationes & suffragia orationum*. At præter hæc, vt millies diximus, aliud est necessarium quo physicè cor tangatur & immutetur. Lege D. Thomam loco supra citato ad 3.

Hactenus pro confutanda defensione prędicta, saluo semper honore & reuerentiâ eius authori debitâ ; qui si omnia quæ aduersus Thomisticam Prædeterminationem obiici possunt attulisset, hic dicendi finem faceremus. Verùm quia adhuc plura eaque grauissima, aut non legit, aut dissimulauit, aut breuitatis causâ omisit de industria : vt huiusmodi argumentis ab eo prætermissis fiat satis, atque hic liber tertius, omnibus suis numeris sit absolutus, quatuor capitula subiiciemus : vnde sit.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

In quo dissoluuntur alia quędam argumenta, ex Angelico Doctore, ac sanctissimo eius Pręceptore Augustino deprompta.

I. OBjiciet fortasse aliquis id quod habet Sanctus Doctor in 4. dist. 49. q. 1. a. 3. quęstiunc. 2. ad 1. vbi ait, *Dicendum quod potentia rationalis se habet ad opposita in his quæ ei subsunt (id est eius electioni, vnde & eorum dicitur habere dominium) & hæc sunt illa, quæ per ipsam determinantur : non autem potest in opposita illorum, quæ sunt ab alio determinata : & ideò voluntas non potest in oppositum eius ad quod ex Diuina impressione determinatur.* Sed quod fit per Prędeterminationem fit ex Diuina impressione : ergo.

Huic obiectioni respondendum est, Sanctum Doctorem ibidem agere de determinatione voluntatis quoad specificationem : non verò quoad exercitium & in indiuiduo : & est sensus : quod non potest voluntas in oppositum eius ad quod ex impressione Diuina determinatur quantùm est ex parte obiecti, ita vt non velit bonum sub ratione boni, sed malum : quod intendens nemo operatur.

Hoc enim velle non potest : nam ita appetit beatitudinem in communi, vt non possit velle miseriam. Et sic verba in obiectione allata, omittunt quæ sequuntur, quibus euidenter mens Diui Thomæ explicatur, nam cum dixisset, quod non possit voluntas, *In oppositum eius ad quod ex impressione Diuina determinatur*, Addit, *Scilicet in oppositum finis vltimi*, Et hoc verissimum est quia respectu finis vltimi necessitatem habet voluntas quoad specificationem, nec habet contrarietatis indifferentiam, vtpotę ex natura sua, seu ex impressione Diuina, determinata ad vltimum finem & ad bonum in communi, sicut & quęuis alia potētia est determinata ad suum obiectum totale & adæquatum, & de hac determinatione, ex Diuina impressione proueniente, id est, ex naturali inclinatione à Deo impressa, loquitur Doctor Angelicus. Cæterum ad id ad quod determinatur voluntas in indiuiduo & in exercitio, seruata possibilitate in oppositū, & cum indifferentia iudicij per quam regulatur actus eliciendus, semper potest in oppositum potentia antecedenti & in sensu diuiso Thomisticè intellecto, quia sic mouetur & determinatur à Deo.

II. Secundò. Affirmat D. Tho. quodlib. 1. a. 7. ad 2. *Hominem cuicumque auxilio præuenienti ipsumque præparanti posse resistere*, Sed inter præuenientia auxilia numeratur illud efficax à Thomistis expressum in Philosophia nomine Prędeterminationis physicę : & in Theologia, vocabulo gratiæ præuenientis per se efficacis : ergo his omnibus potest homo resistere, & sic nulla est determinatio respectu voluntatis orta ab ipso Deo, sed tantùm supposita ex nostro consensu non resistente.

Respondeo rectissimè & catholicè asseri ab Angelico Doctore quodlibet. citato quod, *Sic Deus mouet mentem humanam ad bonum, quod tamen possit huic motioni resistere.* Motioni quidem purè excitanti aut tantùm præbenti auxilium sufficiens potest resistere, etiam in sensu composito & potentia consequenti : motioni autem etiam adiuuanti & præbenti auxilium efficax, potest resistere in sensu diuiso & potentia antecedenti. Legendus Doct. Angel. 1. 2. q. 10. a. 4. ad 3. & q. 112. a. 3. in o. Et quotiescunque docet posse hominem resistere motioni Diuinæ, idem est quod posse dissentire, Deique motionem abiicere, quod apertè definit Concilium Tridentinum, sicut & Senonense in decretis fidei decreto 15. absque vllo præiudicio efficaciæ Dei mouentis liberum arbi-

ti um, illudque determinantis ac dantis illud posse in oppositum.

Tertiò. Docet Doctor Ange. necessitatem prouenientem ex causis prioribus esse necessitatem absolutam, vt patet ex 2. phys. lect. 15. & 3. p. q. 46 a. 1. ait quod, *Necessariam ex causa exteriori si sit efficiens seu mouens, causat necessitatem coactionis.* Sed efficacia Diuina est causa prior: efficiens seu mouens voluntatem, exterior & antecedens, ergo causat necessitatem absolutam seu necessitatem coactionis.

Respondeo non omnem determinationem ex causa priori inferre necessitatem: determinatio enim quæ fit in causa libera ad aliquid agendum, non imponit ei necessitatem agendi, nisi sit determinatio tollens indifferentiam iudicij: non verò si sit determinatio tollens eius suspensionem quam habebat toto tempore quo non agebat, sed inducens inclinationem vt sequatur indifferentiam iudicij, qualis est hæc quæ fit à Deo vt causa libera agat, non quomodocunque, sed iuxta modum liberum: de hac autem non loquebatur Aristoteles, vnde D. Tho. 1. p. q. 19. a. 8. obiiciens sibi illud argumentum ait, *Necessitas ex priori est necessitas absoluta, sicut animal mori est necessarium, quia est ex contrariis compositum, sed res creatæ comparantur ad Diuinam voluntatem sicut ad aliquid prius à quo habent necessitatem, quia hæc conditionalis est vera, Si Deus aliquid vult, illud erit: ergo omne quod Deus vult, est necessarium absolutè.*

Proprio argumento sic satisfacit D. Angelicus dicendo illud axioma sc. *Quod necessitas ab aliquo priori, sit necessitas absoluta*, Afferens, *Posteriora habere necessitatem à prioribus secundum modum priorum: vnde quæ fiunt, inquit, à voluntate Diuina, talem necessitatem habent, qualem Deus vult ea habere, scilicet vel absolutam, vel conditionalem tantùm.*

III. Et licet aliquandò doceat D. Thomas qualitates iudicio rationis & libero arbitrio subiacentes non auferre libertatem; inde tamen non licet inferre, quòd qualitates omnes, quæ antecedunt voluntatem, tollant libertatem, si proueniant à causa & radice prima talis libertatis, & ad hoc dentur illi vt proprium eius agendi modum in ea seruent: nempe quia non dantur tollendo indifferentiam iudicij, aut coarctando voluntatem, eiusue potestatem ligando: sed aperiendo cor, eius indeterminationem soluendo vt iuxta indifferentiam iudicij ad operationem vnam se se determinet voluntas sub primo determinante scilicet Deo. Itaque qualitates aliquæ subiacent iudicio rationis & voluntatis: aliæ verò iuuant, faciuntque eam operari, non vtcunque, sed iuxta suum modum: & licet posteriores non subiaceant voluntati quasi ab ea dimanantes; tamen emanant à radicali & prima causa talis libertatis, eique subiacent faciuntque vt voluntati creatæ subiaceant qualitates suæ; quod est conseruare in ea libertatem; & hoc sufficit vt libertatem non tollant: quia sufficit subiacere ipsi radici voluntatis scilicet Deo, in quantùm radix eius est, & in quantùm causat in ea rationem liberi. Ita D. Thomas 3. contra Gent. c. 88. [Impossibile est (inquit) quod voluntas moueatur à principio extrinseco sicut ab agente; sed oportet quod omnis motus voluntatis ab interiori procedat: nulla autem substantia creata coniungitur animæ intellectuali quantùm ad sua interiora, nisi solus Deus. Computatur ergo ab Angelico Doctore Deus ipse inter causas internas voluntatis, non formaliter vt anima, sed radicaliter & eminenter vt prima causa libertatis. Vbi aduertendum est ipsum non loqui de Deo vt mouente per modum obiecti, sed per modum agentis: quia per modum obiecti æquè internè mouent alia obiecta, ac Deus, vtpotè quæ eodem modo proponantur. Vnde omnis motio procedens actiuè ab ista radice & prima causa vt libertatis causa est, non nocet nostræ libertati sed fauet, licet non emanet ab ipsa voluntate creata prout concipitur à Deo separata, vt iam diximus.

Et quamuis virtus huiusmodi Motoris in infinitum excedat capacitatem mobilis, id est voluntatis creatæ, non tamen omni isto modo se se applicat illi, sed seruatâ iudicij indifferentiâ, remanet potentia ad oppositum & consequenter libertas: ita Sanctus Doctor in 1. ad Auibald. dist. 47. q. vnic. a 4. ad 2. *Quamuis contrarium eius quod est volitum à Deo non possit stare cum voluntate Diuina, possibilitas tamen ad contrarium potest stare cum ea, propter contingentiam causæ mediæ, & hoc sufficit ad hoc vt effectus sit contingens & non necessarius.*

Non paruam argumentorum congeriem coaceruari posse ex pluribus D. Augustini testimoniis existimant nonnulli; verùm quia superiùs ea retulimus adeòque euidenter ostendimus Sanctissimum Præsulem quasi vno ore loquutum esse cum Angelico Doctore pro physica Prædeterminatione, vt nihil hic dicendum supersit, nisi vt compendiosè indicemus, vnde rationibus dubitandi sine vllo ferè negotio possit fieri satis.

Dicimus ergo quod quotiescunque loquitur Sanctus Doctor de auxilio excitante & de vocatione ex parte illuminationis proueniente semper subintelligit aliam vocationem potentiorem & certiorem bonæ voluntatis effectricem, vt loquitur lib. 1. ad Simpl. q. 2. nam sicut gratia excitans requiritur contra Caluinum; ita & exigitur adiuuans contra Pelagium, quæ fit per subministrationẽ spiritus & virtutis quâ Deus optimus operatur & velle, ita lib. de correp. & gratia c. 12. Vbi præter auxilium sufficiens sine quo voluntas non potest operari, requiritur vt ea sibi ipsi non relinquatur, aliàs deficeret: quod fit dum Deus operatur vt velit subueniendo infirmitati voluntatis vt ipsa indeclinabiliter & insuperabiliter (vt loquitur) operetur id quod ab ea fieri ipse voluerit.

IV. Hoc autem explicari non posse per excitationem solam seu per concursum quemdam indifferentem manifestissimè constat, hæc enim excitatio & quodcumque indifferens auxilium tale est, quod cum illo sibi ipsi relinquatur homo vt velit, nec illo fiat auxilio vlterius vt velit. Ait autem Sanctus Antistes, *Si sic relinqueretur illis voluntas sua, vt in adiutorio Dei sine quo perseuerare non possent (en auxilium sufficiens) manerent si vellent, nec Deus in eis operaretur vt vellent, inter tot & tantas tentationes, voluntas ipsa, infirmitate suâ succumberet: subuentum est ergo infirmitati voluntatis humanæ vt Diuinâ gratiâ indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur, & ideò quamuis infirma non deficeret.*

Quare ad omnia Diui Augustini testimonia in quibus fit mentio solius vocationis, quâ mediante Deus dicatur agere: vnico verbo respondendum est, nimirum semper subintelligi efficientiam Dei intra voluntatem quam vocat D. Augustinus effectricem bonæ voluntatis vt patet ex dictis & lib. de gratia Christi cap. 24. vbi docet Deum operari non solùm veras reuelationes, sed etiam bonas voluntates: hoc ergo vtrumque includit vera vocatio, de qua loquitur Sanctissimus Præsul, & licet non semper vtrumque exprimat aut repetat vtpotè exosum, semper tamen supponit, vt patet ex dictis, tùm in hoc libro, tùm in præcedentibus.

Cumque in lib. 1. ad Simplic. videtur D. Augustinus congruitatem gratiæ ex contemperatione ipsius cum nostro affectu desumere, ex eo nimirùm quòd simus hoc vel illo modo affecti. Dicendum est affectum illum cui congruum datur auxilium, esse ab ipso Deo causatum per subministrationem spiritus & virtutis: non verò à solâ gratiâ excitante.

Denique, cum asserit Sanctis. Doctor, solam gratiam non esse id quo operamur: verissimum est, quia gratia liberum non excludit arbitrium, sed perficit. Est tamen à Deo quidquid liberum arbitrium operatur, cùm sit aliquid reale & creatum, & *ipsum meum, sine Dei auxilio, non sit meum, sed nullum*, Vt aliàs cum Diuo Hieronimo diximus. Semper ergo subintelligenda est intima radix ipsius libertatis creatæ, quæ est Deus, siue in recordatione propriæ iniquitatis liberum ingemiscat arbitrium, sentiens Dei manum, vt loquitur D. Augustinus lib. de Prædest. & gratia cap. 15. siue graui alicui resistat tentationi: quod non præstat homo nisi adiutus Diuino præsidio vt idem docet 12. de ciuit. cap. 6. Quod si duorum æqualiter corpore & animo affectorum, præsente eâdem pulchritudine, dicat vnum in timore casto persistere; alterum verò à castitate deficere: per hoc tantùm demonstrare intendit, consensum in tentationem oriri à propria voluntate vt deficiente, ex eo sc. quod ipsa sit ex nihilo: non verò quatenus natura est, quæ vt sic est bona (ibi siquidem agit de origine peccati) resistentia autem aduersus tentationem, licet propriâ fiat voluntate; tamen quòd ex illa oriatur, & non ex Deo, vt à prima causa mouente & determinante, cui essentialiter sit subordinata omnis alia causa secunda, non solùm non dixit Sanctissim. Præsul, sed oppositum centies asseruit, vt patet ex eius contra Pelagianos operibus.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

In quo soluuntur nonnulla alia argumenta quæ ex aliis Sanctis Patribus, ex Scripturâ Sacrâ & Synodo Tridentinâ fieri possunt.

I. QVanquam vix adduci possit vlla ex Sanctis Patribus authoritas, quę prima fronte seu intuitu non satis indicet, hos nihil aliud voluisse, quàm lectoribus suadere, hominem non ita agi à Deo, vt eius libertas lædatur, seu liberum illius arbitrium auferatur: verumtamen non abs re erit, hîc illos paulò accuratiùs recensere.

Sit ergo primus Sanctus Clemens Papa Epist. 3. vbi ait, *Si aliquid esset quod audientes fidem, vel ad credendum, vel ad non credendum determinaret extra arbitrium eorum: meritum & libertas tollitur.*

Secundus est Sanctus Irenæus lib. 4. contra hęreses. c. 76. *Neque lumen subiiciet, inquit, sibi quenquam, neque Deus cogit eum, qui continere nolit eius artem.* Et lib. 5. c. 1. docet, *Deum reducere homines ad se, non vi, sed suadelâ.*

Tertius est Sanctus Cyrillus Alexandrinus lib. 8. in Iulia. sub finem: postquam dixit hominem viuere consilio non coactè, subdit, *Itaque si ineffabili quâdam & Diuinâ virtute & efficaciâ visu mutasset singulorum mentem ad benè agendum, & indidisset postea bonum à quo ægerrimè discedere posset & non spontè, vltra non esset fructus mentis, neque res digna laude, sed necessitatis & cupiditatis non voluntaria.*

Quartus sit Chrysostomus hom. 11. in Ioa. *Anima sui iuris est, vim in se habet operandi, neque vllâ in re Deo nisi velit obtemperat.* Ps. 115. dicit, *Eum non trahi ad Christum, qui se ipsum non præbet dignum vt eius suscipiat illuminationem*, & subdit. ipse, *Neque enim virtus, nec salus nostra cogitur: nam etsi maxima pars, atque adeò totum ferè eius sit, exiguum quid tamen nobis reliquit, vt non sit à persona, remota causa corona.*

Quintus erit D. Hieronimus Epist. 106. ad Damas. Papam, *Dedit, inquit, eis liberum arbitrium, dedit mentis propria libertatem, & vt viueret vnusquisque non ex imperio Dei, sed obsequio suo, id est, non ex necessitate, sed ex voluntate, vt virtus haberet locum*, Item Epist. 149. ad Hedibiam q. 10. dicit, *Non saluare Deum absque indicij veritate, sed causis præcedentibus: &c.*

Sextus est Sanctus Prosper respons. 6. ad cap. Gallo. *Prædestinationem Dei, siue ad bonum, siue ad malum in hominibus operari ineptissimè dicitur, vt ad vtrumque homines quædam necessitas videatur impellere.*

Septimus est D. Damascenus lib. 2. fidei orthod. cap. 30. *Deus præcognoscit ea quæ in nobis sunt, sed non prædeterminat, non enim compellit ad malitiam, neque vim infert virtuti.*

Octauus est D. Anselmus lib. de concord. cap. 1. vbi docet necessitatem antecedentem tollere libertatem, non verò consequentem: & subdit: *Voluntas cum vult, non potest non velle, sed eam velle necesse est, sed has necessitates facit libertas, qua priusquam sint, eas cauere potest.* Sentit ergo necessitatem consequentem solùm formari ex suppositione ipsiusmet actus voluntatis: non ex aliquo alio antecedente.

II. Vltimo loco hîc audiendus esset D. Bonauentura in lib. 1. sent. dist. 47. a. 1. q. 1. vbi Sanctus Doctor in solutione ad vltimum docet, *Quod in operibus meritoriis requiritur excitatio, quæ est effectus gratiæ præuenientis: in aliis autem non est nisi cooperatio Diuinæ virtutis, quæ existens in creatura potentialiter, essentialiter & præsentialiter sicut conseruat eam in essendo, sic adiuuat in operando: propterea quod, conceditur ibi esse operatio, non præuentio.*

Quibus vltimus verbis arbitrantur nonnulli Sanctum Bonauenturam aduersari Thomisticæ Prędeterminationi, quia negat, inquiunt, præuentionem, & tantùm concedit cooperationem quę ad solum concursum concomitantem pertinet.

Verùm quamuis nullus dubitare possit de mente huius Sancti Doctoris, vt patet ex dictis lib. 2. præc. cap. 12. Dico breuiter ipsum se se sufficienter explicasse, satis insinuans se loqui de præuentione tantùm excitante, quæ moralis est, & non inuenitur in actionibus malis, quas non solùm non præcipit Deus, sed strictissimè, prohibet vt satis claret ex dictis ibidem & alibi passim. Non autem loquitur de operatione prius influente & mouente voluntatem, quam etiam ibi attingit dum ait, quòd cooperatio Diuinæ virtutis sicut conseruat eam in essendo, sic adiuuat in operando: ergo sentit esse aliquod Dei auxilium in operando per modum causalitatis se habens quod consequenter præcedit, nec vnquam aliud voluerunt Thomistæ.

Vt ergo fiat satis omnibus prædictis objectionibus & similibus quæ ex aliis fortasse possent adduci,

Respondeo breuiter ex illis nihil aliud probari posse, quàm nos liberi arbitrij esse, quod cogi aut veram pati necessitatem minimè possit, quod libentissimè fatemur: etenim sentimus Diuinam efficaciam non solùm causare in nobis ipsum velle & operari, sed & ipsum libertatis modum. Quare omnes prædictæ authoritates mirum in modum feriren Caluinum, qui liberum hominis arbitrium ita agi existimauit, vt ei inferretur necessitas agendi, Thomistæ verò docent liberum arbitrium sic præueniri à Deo & excitari, vt semper remaneat facultas non agendi & consequenter vera libertas: quia hæc determinatio quam illi agnoscunt, non restringit potentiam liberam, vtcumque eam mouendo, sed illam soluit iuxta eius exigentiam, cor aperiendo & suspensiuam auferendo indeterminationem. Itaque Sanctus Clemens rectè dicit non esse aliquid quod extra determinet liberum arbitrium: sed non negat determinationem intra ipsum factam ab ipso Deo Supremo eius Authore, primâ & intimâ radice, à qua primò prouenit propria operatio, non vtcumque, sed iuxta suum modum.

III. Sanctus Irenęus ait Deum non cogere, neque homines vi ad se reducere: & hoc est, non lædere libertatem: quod & libentissimè fatentur Thomistæ.

Sanctus Cyrillus expresse loquitur de efficacia sic mutante mentem, vt non sponte ipsa possit à bono discedere, quod est tollere spontaneum atque adeò voluntarium & liberum, vnde & subdit, *Tunc erit fructus necessitatis & cupiditatis non voluntaria.*

Sanctus Chrysostomus solùm ponit differentiam inter animam nostram & alia corporalia: quòd illa sit sui iuris, quæ non obtemperet Deo nisi velit, id est, nisi voluntariè & liberè, quod res aliæ non habent. At quis hoc neget? Ps. autem 115. nihil aliud vult D. Chrysostomus nisi quod nonnulli illuminationem non recipiunt, quia nimirùm illâ non se præbent dignos, quod verissimum est, nam ex eorum culpa nascitur quòd careant Dei illuminatione & beneficio gratiæ, siue sit culpa concomitans, siue antecedens. Et cum dicit, quòd totum ferè eius est, exiguum tamen nobis reliquit, illud exiguum non est nisi cum dependentia à Deo, à quo in operando sic sumus dependentes, vt ab ipso causetur, non verò à nobis solis expectetur: iuxta illud Hieronimi, *Et hoc quod est meum, sine Dei auxilio, non est meum.*

IV. Sanctus Hiero. in epist. ad Damas. explicat seipsum: dicens enim nos viuere non ex imperio Dei, sed ex obsequio nostro, idem est ac si dixisset, nos viuere ex voluntate, & non ex necessitate, siue quòd liberè operemur, non verò necessariò. Dum autem dicit Deum non saluare nisi rationabiliter, & ex causis præcedentibus: per hoc intendit Deum non dare gloriam in executione, nisi intuitu meritorum. Et denique dum asserit aliquos sua sponte Filium Dei recipere: quis per hoc excludi auxilium Dei autumet, quo fit in nobis tàm liberum, quàm illud spontaneum, cum ipse sit, qui teste Apostolo, *Dat vitam, inspirationem & omnia.* Si autem omnia, igitur nihil excluditur.

S. quoque Prosper optimè dicit homines necessitate non impelli ex Prædestinatione Dei & hoc catholicè: quia ex Prædestinatione nullum libertati creatę infertur pręiudicium, vt arbitratur Caluinus, à quo Thomistæ toto differunt Cœlo. Sanctus etiam Damascenus loquitur de Prædeterminatione necessitatem imponente, vt iam diximus, ipso teste Angelico Doctore 1. p. q. 23. a. 1. ad 1. pro quo itidem legendus est Ioa. à S. Tho. to. 1. disp. 20. a. 5. & to. 2. disp. 7. Vbi & Nissenum explicat, tacitè insinuantè, Prædeterminationè non imponentem necessitatem minimè esse denegandum: & in hoc sequitur D. Damascenus visitatam phrasim Græcorum Patrum, qui quandoque videntur negare Dei prouidentiam circa nostros actus: prouidentiam scilicet necessitantem seu fatum inducentem, prout à pluribus Gentilibus ponebatur, contra quos potissimùm illi agebant. Et sic intelligendus est D. Iustinus Martyr q. 8. ad Orthodoxos. Arnob. in Ps. 50. Theodoretus lib. 5. Diuinorum decretorum cap. de prouid. & alij Græci. Immò & ex Latinis Tertulianus lib. de Exhor. ad Cast. cap. 2. cum ait, *Excusabitur omne delictum si dixerimus nihil fieri à nobis sine Dei voluntate.*

Dicere autem quòd idem sit non inferre vim virtuti, & non imponere necessitatem prędefiniendo, ac consequenter quòd idem per idem probauerit D. Damasc. si prædicta explicatio esset admittenda. Respondeo falsum esse quod idem per idem probetur, aut vlla nugatio committatur, quia hæc solutio procedit ex effectu nobis notiori, scilicet quia Deus vim non affert virtuti. Quasi dicat, videmus quod virtus non sit in nobis coacta: ergo Deus non affert vim virtuti, ergo neque prędeterminat inducendo scilicet fatum aut necessitatem: siquidem nobis notior est libertas in virtute & negatione violentię, quàm in prędefinitione aut Prędeterminatione Dei, quę est valdè occulta: & sic ex negatione violentię in virtute quasi ex effectu nobis notiori, infert negationem necessitatis impositę ex Prędeterminatione nobis occultiori.

Quare imponunt Chrysostomo, qui cum Massiliensibus eum sensisse circa iustificationis initia dicunt, vt patet ex homilia 12. in 1. ad Corinth vbi explicat illa verba: Quid habes quod non accepisti? & homilia de Adam & Eua, tom. 1. Et homilia 1. super Epist. ad Ephesios non longe à principio. Et homilia 38. ad populum Anthiochenum: quibus in locis è diametro est oppositus sanctus Doctor Massiliensium erroribus. Sed aduertendum est Os illud aureum locis ab aduersariis citatis sæpissimè loqui de gratia habituali & sanctificante, ad quam requiritur liberi arbitrij motus, & nisi prius nos disposuerimus, Deus eam nobis non præbet: Et hoc solùm voluit Chrysostomus: si enim gratiam contra nostram voluntatem introduceret Deus, nostrum lædere arbitrium videretur. Verùm quod iste nostri liberi arbitrij motus aut dispositio, gratiam requirat actualem seu præuenientem, non solùm non negauit, sed vt veritatem catholicam semper edocuit: vt legenti ipsum patebit locis supra citatis.

V. Sanctus Anselmus docet necessitatem antecedentem tollere libertatem. Non verò quamlibet suppositionem. Illa autem est necessitas antecedens quæ ii fiue determinatum agendi modum, qualis cernitur in rebus merè naturalibus quæ non possunt in oppositum. Necessitas autem suppositionis licet sit antecedens qualis est in præsenti, quia ex infinita Dei efficacia in agendo prouenit, vt attingat Deus totum quod est in effectu creato, ipse est causa ipsius modi liberi non minus quàm substantiæ actus, sicque non nocet libertati sed fauet.

Quando autem D. Ansel. subdit, quod has necessitates consequentes facit libertas, & ex suppositione ipsius actus libertatis debet fieri sensus compositus, & non ex alio principio extrinseco. Respondeo quod perinde est istas fieri consequentias ex suppositione actus, vel ex principio, quod licet in se, entitatiuè & formaliter sit extrinsecum: causaliter tamen & radicaliter est intrinsecum, quia est causa & radix totius operationis & ipsius modi operandi voluntatis creatæ, & intra voluntatem operatur, & quidquid in operatione libera est, ab eo deriuatur velut ex prima radice, non exclusa operatione creaturæ, aliàs Deus non esset causa vniuersalis & intima: Quare tale principium extrinsecum, eminenter, & causaliter est ipsemet actus liber, & sic idem est, ex sup-

positione ipsius actus procedere, atque ex suppositione prævij Dei influxus totam substantiam actus liberi profundentis & modum ipsius libertatis.

Quantùm autem ad Scripturam sacram: quamuis sufficere possent ea quæ diximus lib. 1. vbi aduersariorum subterfugia aperuimus: modò tamen euidentius respondebimus. Nam quando hortatur homines ne desint gratiæ Dei; ne eam in vacuum recipiant; ne spiritum extinguant, &c. Si de gratia sufficienti aut habituali intelligatur, nulla est difficultas, nam sæpius ipsam in vanum recipimus, ipsique gratiæ interiori resistimus, immò & abiicimus.

Si verò de gratia efficaci etiam vt efficax est: Etiam verissima est loquutio, sed dum nos hortatur ne in vacuum gratiam recipiamus, subintelligitur ipsum gratiæ auxilium quod dat ille qui adiutor est in oportunitatibus, quod nisi dederit, non possumus ex nobis solis illam non in vacuum recipere.

Et cum dicitur, *contemplantes ne quis desit gratiæ Dei.* Certum est nos non posse Dei gratiæ non deesse nisi ex gratia per quam perficit Deus quod cœpit. Itaque cum non deesse gratiæ, & eam non in vacuum recipere: sit obedire gratiæ & Deo subiici. Quid mirum si ipsum non deesse gratiæ sit ex gratiâ, sicut obedire fidei ex gratia est, licet etiam sit ex nobis quia quod aliquid sit ex gratia, hoc non impedit quominus & ipsum sit ex nobis vtpote gratia præueniens, quæ datur vt voluntas agat, non vt ipsa nihil agat, vt loquitur D. Augustinus. Certè idem est Deum nos hortari ac monere vt conuertamur in ipsum, ac monere vt gratiam ipsius non in vacuum recipiamus, sed Deus ita nos hortatur vt ad ipsum conuertamur, quod tamen non possumus, nisi ex gratia, vt optimè aduertit Tridentinum sess. 6. c. 5. *Petimus à Deo vt nos conuertat, dicendo: conuerte nos Domine ad te: in quo nos Dei gratiâ præueniri confitemur; sicut cum dicitur, conuertimini ad me, libertatis nostræ admonemur.* Ergo sicut bene stat, quòd Deus nos hortetur, vt ad ipsum efficaciter conuertamur, quod tamen non facimus nisi ipse suâ nos præueniat gratiâ: ita optimè admonemur, ne in vacuum ipsius gratiam recipiamus, cum tamen ipsam non in vacuum recipere sit effectus gratiæ, quam non negat qui stando ad ostium continuò pulsat. Et sic D. Tho. sup cap. 12. ad Hebræ lect. 3. exponens illud: *Contemplantes ne quis desit gratiæ Dei*, sic ait. *Dicendum quod hoc ipsum quod aliquis non ponit obstaculum, ex gratia procedit*, & infra, *Hoc autem, inquit, donum gratiæ non est gratum faciens: quod ergo à quibusdam remouetur istud obstaculum, hoc est ex misericordia Dei.*

Cum verò infertur: ergo possumus deesse ipsi gratiæ efficaci. Dist. possumus, potentiâ antecedenti & in sensu diuiso: transeat. Consequenti & in sensu composito: nego.

VI. Præterea dum Isa. 5. dicitur. [Quid vltra debui facere vineæ meæ & non feci, &c. Respondeo Prophetam loqui de omnibus pertinentibus ad auxilium sufficiens quo possumus: nihil enim subtrahit Deus de necessariis: non tamen semper dat omnia etiam vltra necessaria & indebita, nec omne gratuitum quod dare posset beneficium vbique confert, quia sufficit omnia dedisse necessaria ex parte auxilij sufficientis. Et cum dicitur, quod vltra potuerit Deus aliquid facere, scilicet dando actualem applicationem quâ conuerterentur Iudæi, verum quidem est, sed hic non est sermo de potentia sed de debito vnde & dicitur, quid vltra debui facere: non verò quid potui? Et ita tota solutio in illo verbo, *debui*, fundatur, quod importat aliquid de necessariis & requisitis, in quibus Israëlitis Deus nusquam defuit: & in hoc iusta est ratio Diuinæ querelę, quia nimirùm omnia necessaria & sufficientia dedit Deus, & nihil inde ab ipsis actum est: si autem Deus semper daret applicationem ipsam, nullus esset querelę locus, quoniam semper adimpleretur id quod præcipitur: & retorqueri potest argumentum aduersus oppositę sententiæ authores: nam etiamsi Deus solùm daret motionem moralem & concursum indifferentem, optimè tamen nouit quod si huic vineæ daret viuaciorem obiecti propositionem, plura alia adminicula, & vocationem fortiorem vel alio modo propositam sicut scit congruere, sine dubio bonos fructus faceret hæc vinea: ergo potuit Deus aliquid vltra facere & non fecit: & tamen quia dedit ei quod sufficiens erat, rectè conqueritur. Similiter igitur licet potuerit dare efficaciam de facto, quam non dedit, non est quod conqueratur homo, quia omnia necessaria & sufficientia dedit Deus vt posset homo: dare autem de facto ad operandum, semper actualem applicationem non tenetur Deus, præsertim ei qui resistit & eius gratiæ impedimentum ponit, quod licet sua infinitâ potentiâ tollere possit, tamen minimè tenetur, nec ordinarius rerum cursus postulat vt id fiat, quia in rebus contingentibus & defectibilibus ad vniuersalem pertinet Prouisorem permittere aliquos defectus, nec eodem semper tenore procedere aut ad idem determinatè & indeclinabiliter mouere tenetur.

Quantùm verò ad illa Scripturæ testimonia quæ probant hominem relictum esse in manu consilij sui. Dicendum est inde ritè probari hominem esse liberi arbitrij, sed hoc, Diuinum auxilium minimè excludit, à quo pendet liberum arbitrium in sui præuentione & cooperatione: sicut enim dicitur homo relictus in manu consilij sui, ita & dicitur in manu Dei prou. 21. *Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Dei. Et Ps. 72. tenuisti manum dexteram meam & in voluntate tua deduxisti me.* Iere. 18. *Sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea*, Non autem sumus in manu Dei sicut manus alicuius in alia fortiori violenter trahente, sed sicut in manu dantis illi manui virtutem & operationem & omnia, atque adeò & ipsam libertatem & modum operandi liberum.

VII. Denique quantùm ad Tyrios & Sydonios. Cum dicitur quod iustè non potuerit Deus reprehendere Iudæos non credentes ex eo quod ipsis minimè daret illud auxilium præueniens & ex se efficax, sine quo nec Tyrij nec Sydones ipsi credidissent aut pœnitentiam egissent: quod si habuissent Iudæi sicut & istis dare decreuerat Deus si apud illos prædicasset, sine dubio pœnitentiam egissent.

Respondeo iustè reprehendi Iudęos prę Tyriis, minimeque reprehensionem fundari in ęqualitate donorum Dei ex parte auxilij efficacis, sed solùm in ęqualitate ex parte sufficientis, quod dat virtutem & facultatem, non autem applicationem. In ratione autem sufficientis auxilij, aut æqualiter aut plus receperunt Iudęi quàm Tyrij. Ratio autem huius est, quia obligatio ad operandum inducitur ex sufficienti auxilio: ex efficaci verò, non inducitur obligatio sed impletio, quod per se loquendo non dat virtutem sed actualem applicationem: sufficiens autem dat posse, ex quo sequitur obligatio: reprehensio ergo fũdatur super obligatione & posse quia inde sequitur culpa, si quis non faciat: propter culpam autem fit obiurgatio; at defectus efficacis auxilij, non est defectus alicuius pertinentis ad virtutem & potentiam, nec excusans culpam.

Vnde & dicimus non posse esse euidentem excusationem in Iudęis, ex eo quod dicere possent se non credere, quia non acceperunt illud auxilium efficax quod daretur Tyriis; tùm quia non accusantur de sola negatione credendi, sed de priuatione & culpabili contemptu fidei

fidei sufficienter propositæ: vt autem quis peccatum incurrat, satis est quod ei detur auxilium sufficiens quo possit, etiamsi non habeat efficax quo actu applicetur vt faciat: atqui propter hanc culpam respuendi fidem iustè reprehenduntur Iudęi: tùm etiam reprehenduntur, quia obstinatione suâ & excæcatione impedimentum posuerunt illi dono efficacis auxilij.

Vnde & non stat exemplum serui qui non nisi iustè obiurgaretur, si non faceret centum aureis, quod alius faceret mille: si enim accipiendo centum aureos non solùm non faceret, quod alius cum mille; sed etiam ipsos centum respueret & à se reiiceret, sicque indignum se præberet recipiendi mille; nonne iustissimè obiurgaretur? Sic autem fuerunt Iudæi qui prædicationem & miracula ad fidem sufficientia quasi centum aureos respuerunt, & excæcatione sua indignos se se præbuerunt ad mille, quos recepissent Tyrij si apud ipsos prædicatum fuisset Euangelium, factaque fuissent miracula, & ideò iustè præ istis reprehenduntur Iudęi.

Deinde dicimus quod in ratione sufficientis auxilij Iudæi tantùm receperunt, quantùm Tyrij & fortè plus: & ideò non est æqua comparatio serui accipientis centum, & alterius accipientis mille; cùm in præsenti vtrique paria acceperint in ratione auxilij sufficientis. Quod verò non acceperint Iudæi donum efficax quod acciperent Tyrij, hoc non pertinet ad id quod est virtutis & facultatis, sed ad id quod est applicationis. Reprehensio autem non fundatur nisi in receptione æqualium donorum ex parte virtutis & facultatis, non ex parte applicationis quæ solùm pertinet ad impletionem actualem, & non ad obligationem implendi.

VIII. Dices: absque illo gratiæ ex se efficacis dono non poterant Iudęi benè operari, ergo non videtur iusta Diuinæ quęrelę ratio in illis qui illud donum antecedenter non receperant, præ illis qui de facto recepissent si prædicatum fuisset ipsis Euangelium. Respondeo primò negando anteced. quia de facto potest homo cum auxilio sufficienti benè operari, quod Iudæis minimè fuit denegatum. Respondeo secundò cum aliis: non poterant Iudæi, dist. potentiâ consequenti; transeat: potentiâ antecedenti, nego antecedens. Est autem potentia antecedens, potentia secundum se, seu sufficienter instructa ad operandum: potentia verò consequens, est potentia coniuncta & applicata operationi. Ad iustam autem querelam sufficit dedisse potentiam antecedentem seu instructam omnibus auxiliis sufficientibus, haud verò requiritur dedisse consequentem: si enim Deus hanc semper daret, homo de facto semper benè operaretur, & sic nusquam esset de quo Deus conqueri posset: nunquam etiam homo sibimet relinqueretur, aut quidquam Deus ipse sustineret in multa patientia: sicque euanesceret magna pars prouidentiæ Dei, quæ in eius patientia & defectuum permissione, plurimùm manifestatur. Lege R. P. Baronium 3. p. disp. 2. sect. 2. parag 3 pag. 253 vbi aduersariorum argumentis hâc in parte sicut & in cæteris tantâ subtilitate & efficaciâ satisfacit & viget, vt illos ferè semper propriis conficiat armis.

Legendus est & Doct. Angel. 3. contra Gent. c. 159. Vbi ait, quod licet non sit in potestate hominis promereri vel aduocare primum illud auxilium gratiæ; est tamen in potestate eius se se impedire ne illam recipiat, (impeditur verò, aut non considerando, aut ad aliud diuertendo, aut etiam peccando) & cùm hoc sit in potestate eius, meritò ei imputatur qui impedimentum ponit, sicut sole mundum illuminante in culpam ei imputatur non videre qui oculos claudit; licet videre non possit nisi preueniente lumine solis.

Denique quantùm ad Sacrum Concilium Trid. sess. 6. c. 5. Vbi docet, *Exordium iustificationis sumi à gratia præueniente, id est, à vocatione, quâ Deus nos vocat vt cooperemur assentiendo liberè, & disponamur ad ipsam iustificationem*, Et Can. 4. vbi ait quod, *Liberum arbitrium motum & excitatum potest dissentire si velit*, Quibus in locis (inquiunt) Concilium loquitur de gratia efficaci, aliàs nil actum esset contra Hæreticos qui ex ea liberum contendebant auferri arbitrium.

Respondeo quod quotiescùque ex hoc Concilio vel ex Senonensi aut quouis alio dicitur quod possit homo Diuinam inspirationem etiam efficacem abiicere, eique dissentiri si velit, hoc est intelligendum in sensu diuiso, modo supra explicato: quia auxilium Dei efficax, quod hominem facit Diuinę inspirationi consentientem, ipsum simul efficit capacem ad dissentiendum: non verò in sensu composito, in quo incompossibilis est actuum contrariorum simultas, quo in sensu Sacra loquitur Scriptura cùm asserit neminem posse Diuinæ voluntati resistere. Nullum ergo Dei est auxilium adeò efficax cui non possit homo resistere, cùm hæc duo simul semper intendat Deus vt scilicet operetur homo & vt operetur liberè, id est, vt fiat potens ad non operandum, ad resistendum, dissentiendum, &c. Quia eius operatio non ligat aut coarctat facultatem, sed eam soluit, coraperit, & expeditam facit, vt iuxta modum suum liberum operetur, sublatâ suspensione & indeterminatione passiuâ, actiuâque remanente, necessariâ & sufficiente ad veram rationem libertatis, vt diximus.

IX. Cum verò ex eodem Concilio inferendum docent; quòd Deus non deserit hominibus nisi priùs ipsi defuerint homines. Verissima est propositio siue de gratia habituali sanctificante, siue de actuali auxiliante loquamur: de habituali quidem, quia nisi homo peccauerit, ita quòd peccatum præcedat, Deus ipsum non deserat: quia per peccatum excluditur gratia; & ante ipsum Deus ab homine eam non tollit; & in hoc sensu, cuicunque gratię habituali potest homo deesse in hac vita, quia contra quamcumque potest peccare. De gratia autem auxiliante sic intelligitur, quod Deus ex se semper sit paratus eam dare ac perficere opus suum quod incœpit, nisi per nos steterit, & nisi priùs saltem in genere causę materialis recedamus, in quo semper præcedit aliquis defectus culpæ vel saltem inconsiderationis quæ est dispositio ad peccatum, per quam desumus gratiæ Dei: quod si non desumus, ex gratia Dei est, nos conseruante & faciente vt minimè deficiamus: quod si deficimus, ex nobis est, qui priùs Deum deserimus, vel antecedenter, vel saltem concomitanter & priùs in genere causæ materialis, vt infrà, Deo dante, fusiùs explicabimus.

Ac tandem, cùm dicunt hominem posse cuilibet auxilio etiam efficaci deesse. Respondeo posse quidem potentiâ antecedenti & in sensu diuiso, secundum quem simpliciter & absolutè semper loquendum est: sicut & verè potest mandata seruare quantùm attinet ad virtutem operandi, etiam sine actuali auxilio Dei, quamuis illud ad actualem applicationem semper requiratur: ratio est, quia posse mandata seruare, confertur homini per auxilium sufficiens: actualis verò mandatorum executio seu obseruantia non nisi per efficax tribuitur.

X

Quæres: quomodo efficacia Diuini influxus sit causa libertatis creatæ aut contingentię, si sit causa determinationis ad vnum, aut etiam quod contingens sit infallibiliter?

Respondeo, efficaciam prædictam non causare libertatem quantùm ad potentiam ipsam; hanc enim habet anima ab ipsa sui creatione: sed tantùm quantùm ad vsum, vt sc. suum actum eliciat liberè; non necessariò aut coactè. Dat ergo Deus opt. determinationem ad vnum actum, conseruando facultatem & possibilitatem ad oppositum, solùmque soluendo indeterminationem seu suspensionem quam habebat toto tempore quo nihil agebat, illæsâ remanente in opposítum facultate, cùm ipsa sit capax actuum contrariorum. Cùm autem hoc totum intendat Deus (qui deficere, non potest) sc. quod aliquid fiat & quod fiat liberè, infallibilitatem habet operatio ex parte Dei: ex parte autem creaturę contingentiam & mutabilitatem, quia hoc ipsum vult Deus: sicut in se immutabilis & infinitus existens res facit mutabiles & motus ipsos, effectusque finitos: vnde & ait author de vocat. Gent. cap. 28. *Deus ad obedeundum sibi, ipsum velle, sic donat, vt etiam à perseueraturis ipsam mutabilitatem, quâ potest quis nolle, non auferat.*

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

Soluuntur quædam alia argumenta ex præcedentibus quibusdam solutionibus subsumpta.

I. QVoniam in præcedentibus iam non semel diximus prædeterminatum à Deo ad vnum actum, posse adhuc oppositum potentiâ antecedenti & in sensu diuiso, secundum quem simpliciter & absolutè loquimur vt plurimùm, inde instant nonnulli multipliciter.

Primò siquidem dicunt potentiam illam in sensu diuiso esse ad aliquid chimericum & impossibile, quam semper & necessariò sequatur inconueniens: nam stante auxilio pro vno actu, si actus oppositus in actu ponatur, maximum sequitur inconueniens, sc. quòd frustretur voluntas Dei efficax, ita vt de facto aduersus eam præualeat homo: atqui obiectum huiusmodi potentiæ in sensu diuiso, est actus oppositus illi ad quem homo efficaciter & ex intentione absoluta mouetur à Deo, ergo, &c.

Verùm, facilis est responsio, negando absolutè ex Doctrina de Prædeterminatione, vllum sequi inconueniens aut impossibile: siquidem ista potentia respicit aliquid quod secundum se & simpliciter est possibile, ad quod solùm datur potentia: si autem ex aliqua suppositione reddatur impossibile, vt est de facto in sensu composito ex repugnantia & incompossibilitate actuum, in quibus nulla est simultatis potentia: nihil inde inferendum est. Quis enim dicat, Petrum currentem non posse quiescere, ex eo quòd non possit motum & quietem simul & semel ponere: quod sensum efficit compositum, in quo etiam secundum sententiam aduersariorum nulla datur potentia: sicut ergo Petrus liberè currens, liberè etiam mouetur simpliciter & absolutè loquendo, & tantùm necessariò ex suppositione: sic qui ad vnum actum est à Deo prædeterminatus, quia hoc non fit à Deo vtcumque, sed iuxta suum modum, id est liberè, simpliciter & absolutè potest oppositum secundum se consideratum: quòd si actus inter se contrarij, non sint simul compossibiles, vt de facto non sunt etiam in sententia aduersariorum, hæc est tantùm necessitas suppositionis quæ apud omnes non officit libertati, quam suppositionem non respicit natura rei, nec eam sequitur modus loquendi.

Similiter illud censeri debet impossibile, quod secundum se consideratum seu ex vi suorum prædicatorum est repugnans: At, si hoc sit tantùm ex aliquâ suppositione, verè autem possibile potentiâ antecedenti & ex meritis obiecti, non idem est iudicium. Sed qui ad vnum actum prædeterminatur à Deo iuxta modum suum liberum, verè potest oppositum, quod coniungi potest cum potentia secundum se considerata, licet non possit ille actus simul & semel esse cum actu opposito, sicut aër tenebrosus, verè potest esse lucidus, quamuis lux & tenebræ simul esse nequeant.

Dicendum igitur obiectum huius potentiæ in sensu diuiso esse actum illum respicientem potentiam etiam auxilio applicatam simpliciter & absolutè sui capacem, & ratione huius capacitatis, verè aliquis dicitur posse, sicut materia prima actuata vnâ formâ est in potentia ad aliam formam, & illa forma est obiectum illius potentiæ, etiam dum stat sub alia forma. Et sicut non habet potentiam ad duas has formas simul coniungendas, sic nec potentia libera habere potest actus oppositos: & est sensus compositus.

Instant secundò. Quia (inquiunt) vt tollatur libertas hìc & nunc, sufficit vt ex aliquo (quodcumque illud sit) impediatur facultas ad oppositum: sed positâ Dei efficaciâ ex Prædeterminatione proueniente, facultas voluntatis impeditur ne faciat oppositum, est enim aliquid in ea quod obstat quominus ponatur vnus actus v. g dissensus ab eo qui Prædeterminatur ad consensum, impeditur enim per actum sibi oppositum, id est, per consensum: ergo, &c.

II. Respondeo Dist. Ma. Sufficit vt impediatur, &c. Si impediatur per aliquid antecedens, coarctans seu limitans potentiam Conc. secùs: Nego. Id ergo quod obstat quominus ponatur actus oppositus ei quem habet tunc potentia, non est impedimentum ipsius potentię seu facultatis: sed oppositio & incompossibilitas actuum ipsorum, nam determinatio quæ soluit potentiam vt vnum actum producat, vel actus ipse, eam non lædit, sed perficit: vnde per hoc quòd habeat potentia libera vnum actum aut determinetur ad illum, siue ex se, vt à causâ proximâ, siue à Deo vt à causa prima, quæ est radix creatæ libertatis, non impeditur voluntas in ratione potentię liberæ simpliciter & absolutè: sed solùm impeditur ne simul vtrumque actum habeat, quod impedimentum libenter admittimus, quia ad hoc, nulla datur potentia, cùm vnus actus sit destructio alterius, v. g. motus, quietis, vt omnes fatentur. Verè autem impediretur potentia, si quando determinatur ad vnum actum, tangeretur ipsa facultas aut eius minueretur vel coarctaretur capacitas & indifferentia actiua, quod nusquam fieri iam toties asseruimus: sicut nec materia prima dùm habet vnam formam vllo modo impeditur, quominùs sit in potentia ad aliam. Le-

gendus Doct. Angel. 1. ad Anibal. dist. 47. q. vnic. a. 4. ad 2. & q. 23. de verit. a. 5. ad 3.

Sicut ergo ipsamet voluntas se determinās ad operandum seu ad producendum præ alio vnum actum, non ponit sibi impedimentum, sed potius resoluit, tollitque illud suspensionis quam habebat toto tempore quo nihil omninò agebat, licet vtrumque actum contrarium non possit simul & semel ponere, & hoc facit absque vlla suę libertatis læsione; ita & Deus optimus qui est prima causa & intima radix ipsius libertatis creatæ, omnisque eius determinationis: & quod voluntas nostra facit, facit ille vt illa faciat, & tali modo faciat, id est, liberè. Aut certè dicendum est quod qui voluntati creatę dedit facultatem se se determinandi, hanc sibi minimè reseruauit, quæ magis pendet à primo libero, quam radius à primo lucido. Quare Diuinum auxilium à Deo & nobis oriri perinde est quoad effectum causandi libertatem & non auferendi indifferentiam: quia Deus nostræ voluntati intimè vnitus tanquam ipsa voluntas eminenter & radicaliter, est principium intimum illius effectiuum: & sicut substantia animæ si quem habet influxum in potentiam voluntatis, non idcircò eius destruit libertatem, sed illam constituit, quia est radix talis potentiæ, & habet pro effectu ipsummet actum etiam vt liberum: ita & Deus qui est radix animæ, & vita vitæ ipsius per modum principij agentis & primæ radicis, cuius virtus cùm summam habeat efficaciam quà esse possit causa substantiæ actus & modi ipsius, omniumque accidentium & circunstantiarum realium actuum humanorum, semper retinet voluntas facultatem repellendi huiusmodi Dei influxum, licet aliunde sit infallibilitas scilicet ex parte Dei, qui vt ait D. August. lib. de cor. & gratia cap. 12. *Sic subuenit voluntati nostræ, vt indeclinabiliter & insuperabiliter agat, & ideò quamuis infirma non deficiat, nec aduersitate vllâ vincatur.*

III. Tertiò arguitur. Si posito efficaci auxilio Dei pro vno actu, potest adhuc voluntas oppositum: ergo possibile est illud poni: at possibili posito in actu, nullum sequitur inconueniens; maximum autem sequeretur inconueniens, si illud oppositum de facto poneretur scilicet, non esse id quod Deus efficaciter & absolutè intendit esse: ergo, &c.

Respondeo Dist. Mi. subsumptam: si illud sit possibile potentiâ consequenti, transeat: si possibile sit tantùm potentiâ antecedenti & in sensu diuiso seu secundum se & ex meritis obiecti, nego: at hoc secundo modo dicitur aliquid possibile posito Dei auxilio efficaci: non verò in sensu composito & potentia consequenti, quare non requiritur vt hoc possibile in actu ponatur vtcunque.

Quartò. Si posito eodem Dei auxilio efficaci adhuc oppositum voluntas efficere potest, quod tamen nunquam efficiet, frustrà est talis potentia, quia ad actum nunquam reducetur, ergo, &c.

Respondeo quòd posito Dei influxu præuio efficaci liberum arbitrium adhuc retinet potentiam ad oppositum, sicut & materia prima dum est sub vna forma, non amittit potentiam ad aliam. Nec potest dici frustrà potentia aliqua, quamuis reduci non possit ad actum sub quacunque suppositione, quod verissimum est etiam in opposita opinione aduersariorum.

Instabis. Posse reduci ad alium actum, remoto eo quem tunc habet potentia, commune est multis aliis potentiis etiam non liberis, vt patet in materia prima, & in bruto quod potest moueri & quiescere: ergo potentia libera aliquid amplius debet habere, nempè quòd stante illo auxilio efficaci, illud abiiciat etiam potentia consequenti.

Respondeo potentiam liberam prę aliis hoc speciale habere, quòd potentia eius antecedens sit cum dominio sui actus & cum arbitrio se mouendi, dependenter tamen à Primo Dominio: reliquæ verò potentiæ, quales sunt non liberæ, remanēt sub potentia antecedenti tantùm ad aliam formam seu actum, motæ vel solo impetu naturæ vt res merè naturales, vel animali instinctu vt bruta, idque absque vllo vero dominio: vt iam suprà diximus.

Quinto. Efficacia illa Diuini influxus voluntati applicata illam determinat ad vnum tantùm: quia non datur cum indeterminatione & indifferentia; at positâ formâ, ponitur effectus eius formalis necessariò: ergo positâ illâ efficaciâ, voluntas remanet necessariò determinata.

Ad 5. Resp. quod efficacia illa Diuini influxus, &c. determinat ad vnum tantùm, sed per modum libertatis, quia sc. mouet ad vnum oppositorum eligendum, ita vt relinquat indifferentiam & indeterminationem actiuam in voluntate: quia voluntas dum vnum eligit, retinet potentiam eligendi alterum, si velit respuere illud ipsum quod elegit. Mi. etiam eiusdem argumenti supponit falsum, quod sc. operatio voluntatis creatæ sit effectus formalis solius influxus Diuini: motio enim Diuina est causa efficiens & analoga operationis quæ elicitur à voluntate creata vt à proximo & proportionato principio.

IV. Sextò. Si posito Dei auxilio seu influxu præuio efficaci pro vno actu, poneretur actus oppositus, ei de facto resisteretur, verèque frustraretur (si sic loqui fas est) ergo si potest in sensu diuiso poni actus oppositus, potest quoque voluntas creata ipsum frustrare, ipsique Deo resistere & præualere homo: at, hoc est maximum inconueniens: ergo &c.

Ad Sextum. Respondeo primo negando consequentiam quæ est in sensu diuiso: antecedens verò in sensu composito.

Resp. 2. Dist. consequentiam: si potest resistere, potentia consequenti, Conc. si potest tantùm potentia antecedenti, nego. Ad frustrandum autem Dei auxilium requiritur quod voluntas vincat efficaciam Dei, & sic sit maior illâ: at hoc implicat, siquidem id quo vinceret & abiiceret de facto efficaciam Dei, cùm esset aliquid creatum, etiam a Deo causari deberet: potentia autem antecedens ad oppositum, non est frustratoria Diuini auxilij, quia non habet paratam executionem à Deo, & multò minùs à se sine eo. Et inde colliges primò non esse eandem significationem in (Ly posse dissentire) & (posse frustrari) nam (Ly frustrari) non admittit sensum diuisum; secùs verò (Ly dissentire) quia resistentia nondum importat totalem victoriam supra Diuinum auxilium, sed solùm conatumu seu facultatem.

Resp. 3. neg. conseq. quia influxus Diuinus non potest frustrari nisi in duobus casibus, sc. si effectus non sequatur, vel si sequatur: eo modo non sequatur, quo Deus vult illum sequi effectum. Deus autem vult effectum sequi liberè, id est, cum potentia ad oppositum.

Colliges 2. Non frustrari quoque à nobis auxilium sufficiens quantùm ad effectum suum formalem: (nam impossibile est v. g. vt Deus illuminet aut moueat aliquem, & ille non sit illuminatus aut motus, quia relatiua sunt simul intellectu & natura) sed quoad suum finem propter quem nobis datur secundum voluntatem Dei antecedentem: dicitur enim illud frustrari, quod caret fine, nec totum habet effectum quem naturaliter posset & deberet habere, quod non contingit nisi ex nostra indispositione & negligentia: quamuis hæc ipsa frustratió etiam sit ex ipsamet Dei voluntate permissiuâ prout est Prouisor vniuersalis, quo in sensu D. Thomas 1. p. q. 19. a. 6. Ordinationem Dei vniuersalem docet semper impleri, aut à nobis aut de nobis, qui si à Diuina boni-

tate recedimus, alium in ordinem scilicet iustitiæ incidimus.

Longè grauior est difficultas quæ ex necessitate præuij huius concursus Dei efficacis oritur. Nam cum hęc efficacia sit antecedens & necessariò requisita vt liberum arbitrium applicetur ad actu operandum, si hanc quandoque contingat deesse, vt de facto non rarò contingit, inde colligitur aliquid prorsùs necessarium ad agendum nobis defuisse : & consequenter culpæ nostræ non esse tribuendum si aliquando hoc ad agendum necessario carentes, non agamus. Quare sit.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

In quo difficillimum soluitur argumentum quod quis facere posset, ex eo quod Prędeterminatione ad operandum necessariâ caruisset.

I. IDeò requiritur Prædeterminatio seu concursus Dei prçuius, quia sine illo voluntas creata (sicut & omnis causa secunda) non est de facto applicata vt suum eliciat actum : ergo si Deus huiusmodi concursum prçuium deneget, aliquid creaturæ deest ad operandum omninò prçrequisitum, sine quo non operabitur id quod de facto ei præcipitur. Explicatur, præcipiat Deus alicui vt amet, aut eleemosinam largiatur, detque illi omnia necessaria ad operandū præter huiusmodi concursū præuiū: obligabitur ad impossibile, sicut si habenti potentiam visiuā in tenebris existenti prçciperetur vt videret, ergo, &c. Communis solutio huius argumenti est, quòd huiusmodi Prædeterminatio requiratur ad operandum, non ex parte potentiæ seu virtutis operatiuæ, sed ex parte applicationis : sine qua tamen nunquam de facto operabitur homo, & licet à se ipso hanc non habeat, sed eam à Deo expectare debeat : quia tamen verè dicimur posse, id quod per amicos ad subueniendum paratos possumus, de facto in culpam imputatur ei, qui non operatur, quia ex eius est negligentia quod auxilium à Deo non accipiat.

Sed contra hanc solutionem instant. Primò quia illud prærequisitum ad operandum (sine quo non erit de facto & in re operatio quæ præcipitur) siue sit ex parte potentię & virtutis operatiuæ, siue ex parte applicationis, nihil interest, quia per vtrumque homo semper remanet impotens ad operandum, sicut existens in tenebris excusatur à videndo, quia ei aliquid deest, scilicet lumen.

Secundò. Quod dicitur de amico etiam nihil iuuat, quia si amicus nolit dare id quod necessarium est ad agendum, verè aliquis dicitur moraliter non posse agere. Excusabitur ergo homo ab impletione præcepti quotiescumque ipsi à Deo fuerit denegatum illud auxilium præueniens nomine Prædeterminationis expressum: quoties verò fuerit ipsi concessum, excusatione non egebit, quia de facto adimplebit præceptum.

Tertiò. Si auxilium illud præueniens dicatur iustè ob aliquam præteritam culpam à Deo denegatum. Contra. Quia non semper præcessit culpa ob quam iustè ipsum denegaretur, vt patet in primo peccato quod Angelus & homo commiserunt : ergo saltem tunc in illis transgressio fuit inculpabilis.

Pro solutione prędictarum obiectionum sciendum est ex Doctissimo Diui Thomæ Interprete Ioa. à Sancto Thoma, hoc præueniens Dei auxilium posse suspendi seu denegari à Deo dupliciter : Primò in totum, & sic, si deesset, sine dubio aliquid necessarium deesset ad operandum, sicque homini ad culpam minimè imputaretur si non operaretur.

Secundò : potest suspendi seu denegari pro vna operatione, quia scilicet datur pro alia in qua quis redditur voluntariè operans, sicque nihil deest simpliciter ad operandum, quia nimirùm redditur volens non operari istud, hoc ipso quod voluntariè diuertit ad aliud simul incompossibile cum eo: v. g. aliquis præmonetur ad liberè ambulandum, hoc ipso quod voluntariè vult ambulare, censetur nolle simul quiescere: nam cum voluntas nostra non sit potentia restricta & ad vnum determinata qualis est natura, sed contingens & potens seu indifferens ad multa, natura ipsius non postulat vt sibi semper detur concursus ad vnam speciem actus seu ad vnam partem determinatùs, sed ad quamcumque habeat, dicitur ad eam voluntariè inclinari & etiam voluntariè oppositum relinquere : hoc siquidem operatur ille concursus vt quis voluntariè velit id ad quod datur: & si detur ad entitatem actus cum permissione ad aliquem defectum, ex illa permissione sequitur quòd quis liberè velit cum defectu, qui cum sit extra lineam physicam, vt aliàs diximus, minus potest Deus ipsum attingere quàm oculus sonum, qui est extra obiectum adæquatum ipsius.

II. Ad primum ergo respondeo nusquam dici posse quod ille sit verè impotens ad agendum, qui instructus est omnibus auxiliis sufficientibus & cui sola deest applicatio quæ per auxilium actuale confertur, quod sine dubio non negaretur nisi creatura voluntatium impedimentum prçstaret, quia Deus semper intimè præsens voluntati vt sustinens eam in esse & adiuuare paratus, id quod incœpit per auxilium sufficiens, suo efficaci ac potentiori subsidio perficeret.

Nec est ad propositum, exemplum de illo, cui in tenebris existenti vt videret, præciperetur : quia lumen quod illi deest ad videndum & sine quo videre non potest, est illi purè extrinsecum, nec illud habere potest etsi velit vt supponitur. At, illud auxilium efficax quod requiritur per modum applicationis, potest homo si velit à Deo accipere, qui est intima radix & prima causa creatæ libertatis, ex se intendens perficere id quod incœpit, vtpote cuius perfecta sunt opera. Quare cum infertur : ergo sine illa antecedenti efficacia, non habeo principia requisita ad agendum. Respondeo falsum esse absolutè loquendo : sunt enim omnia sufficientia ex parte potentiæ & virtutis quæ fructum Cœlesti Agricolæ daret, si creatura impedimentum non poneret, vt de facto posuerunt Iudęi, qui magis dilexerunt tenebras quàm lucem, quam sine dubio dilexissent si auxilium efficax habuissent, quod ipsis fuit iustè denegatum, *Quia, inquit Euangelista, erant eorum opera mala*. Id ergo quod deest homini habenti auxilium sufficiens, quod est velut cœleste semen in anima rationali, est in potestate voluntatis creatæ vt radicatę in primo rerum omnium principio, à quo magis dependet vt iam non semel diximus, quàm pendeat à Sole radius. Et sicut dicitur hoc & illud posse radius v. g. calefacere, ignem accendere, &c. eique non solùm tribuitur omnis effectus per ipsum productus & operatio, sed & ipsi soli & quidem prius ac magis, sic & ipsi Deo, omnis creaturæ actio, dicente Christo : Sine me nihil potestis facere : & Isaiâ : Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine. Et hic est non extraneus, sed inti-

mus amicus qui imploratam opem non deneget, sed ad postulandum inuitet, stans ad ostium cordis & pulsans. Et per hoc patet solutio ad secundam instantiam.

III. Quòd si Deus noluerit dare illud auxilium efficax: ergo, inquiunt, iste non remanebit potens. Dist. Si noluerit dare absolutè & ex se tollendo illud, Concedo. Si noluerit dare ob aliquod impedimentũ voluntarium, v. g ob occupationem circa aliud in compossibilem cum eo quod fieri deberet: nego. Siquidem sæpius nimia occupatio circa terrena vel semetipsum ad quam Deus suum præbet concursum, quo voluntariè & liberè homo operatur, impedit ne simul detur alius concursus ad oppositum aliquem actum simul incompossibilem, v. g. ad considerationem Cœlestium vel ad ipsum Deum diligendum.

Dices. Necessarium definitur à D. Thoma, id sine quo res fieri non potest, sed auxilium actuale quod est per modum applicationis, est non solùm secundum quid, sed absolutè necessarium ad agendum; ergo qui eo caret, dici non debet aut potest, posse operari.

Respondeo, necessarium (quantùm ad præsens spectat) aliud esse quod dicitur necessarium ad posse operari: aliud est necessarium ad ipsam operationem. Definitio (necessarij) tradita, intelligenda est de necessario priori modo sumpto. Necessarium verò posteriori modo sumpto, non definitur id sine quo res fieri non potest, sed id sine quo non fit. Et sub hac specie (necessarij) comprehenditur etiam omnis conditio sine quâ non fit res aliqua, sicut sine approximatione ligni ad ignem non fit combustio, &c. Hoc autem secundo modo dicitur necessarium, adiutorium actuale supernaturale ad singulos actus, Prędeterminationis physicæ vocabulo expressum in ordine naturæ.

Ad tertiam instantiam. Respondeo non necesse esse vt culpa semper tempore præcedat denegationem prædicti auxilij actualis, sed sufficere vt naturâ præcedat in genere causæ materialis, vt verè dicatur homo voluntarium impedimentum ponere Deo, vt contigit in primo peccato Angeli & hominis in quo præcessit saltem inconsideratio: siquidem ad quodcunque peccatum requiritur & permissio ex parte Dei: & ex parte hominis lapsus ex propria ipsius defectibilitate, quam habet non à Deo, vt iam diximus; sed à se ipso, quatenùs est ex nihilo, sicut ex absentia solis, aër ex propria natura fit tenebrosus: & sic verum est quod neminem deserat Deus, quin priùs deseratur, & sic cuicunque auxilium actuale à Deo denegatur, iustè denegatur, vel ob aliquam culpam actualem, vel saltem ob originalem, in iis duntaxat in quibus huiusmodi peccatum non fuit remissum.

Quantùm verò ad Angelum & Adamum, dicimus illorum defectum in genere causæ materialis & dispositiuæ ipsam Diuini auxilij denegationem præcessisse, eo modo quo corruptio vnius formæ præcedit introductionem alterius, quia non nisi in subiecto carente formâ, introducitur opposita: sic in eo priori causæ materialis, defectus qui comitari dicitur negationem auxilij, est causa & ratio quare Deus deserat, quia videlicet voluntarium impedimentum ponit creatura. Itaque in omni euentu semper datur aliqua culpa vel simpliciter & absolutè antecedens etiam tempore, vel saltem concomitans, quæ itidem in quodam priori naturæ præcedit, eo modo quo priuatio formę incompossibilis, introductionem alterius antecedit: & ita verum est quòd in illo instanti in quo à Deo auxilium efficax denegatur, habet voluntas creata impedimentum voluntarium talis auxilij, quia voluntariè occupatur circa alium actum qui simul & semel incompossibilis est, & ideò sibi deest auxilium propter propriam voluntatem ad oppositum applicatam, etiam in prima auxilij denegatione.

Hæc autem distinctio, seu ordo prioris & posterioris, in diuerso genere causæ, in Schola Peripatetica & Thomistica receptissimus, tanti existimauit esse momenti Cardinalis de Lugo disp. 8. de pœnit. sect. 7. vt eo constituto, dixerit Thomistas, tutos esse ab argumentis contra præmotionem & gratiam efficacem à libertate læsa repetitis. (Quis autem hunc non intueatur ordinem vel solo flatus exemplo fenestram v. g impellentis: cuius apertio est causa ingressus venti in genere causæ materialis: qui tamen ventus est causa efficiens, fenestram aperiens.) Nonne hic miraris Candide Lector, quanta sit vis veritatis, quæ etiam ab æmulis accipit testimonium?

IV. Et quod ea sit mens D. Thomæ (pro quo solo hac in parte militamus) constat ex eius commentariis in Epist. ad Hebræ cap. 12 lect. 3. vbi explicans quomodo quis desit gratiæ Dei: ait, *Gratia Dei nulli deest, sed omnibus quantum est in se, se communicat, sicut nec sol deest oculis cæcis Sed contra, inquit, quia si gratia non datur ex operibus, sed tamen ex hoc quod aliquis non ponit obstaculum: ergo habere gratiam dependet ex solo libero arbitrio, & non ex electione Dei, quod est error Pelagij. Respondeo: dicendum quòd hoc ipsum quòd aliquis non ponit obstaculum ex gratia procedit. Vnde si aliquis ponat, & tamen moueatur cor eius ad remouendum illud, hoc est ex dono gratiæ Dei vocantis per misericordiam suam Gala 1. Dum autem placuit ei qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit me per gratiam suam. Hoc autem donum gratiæ non est gratum faciens. Quod ergo à quibusdam remouetur istud obstaculum, hoc est ex misericordia Dei: quod autem non remouetur, hoc est ex iustitia eius*, Hactenus D. Thomas. Sentit ergo Doctor Angelicus remotionem impedimenti procedere ex gratia Dei, non quidem gratum faciente, sed auxiliante, non remoueri verò illud impedimentum, seu non dari istam gratiam remouentem (quod idem est) est ex iustitiâ, & consequenter supponit aliquid in nobis ratione cuius denegetur: quod in prima negatione gratiæ non potest esse ex aliqua iustitia pro culpa prius tempore, præcedenti, sed solùm prius natura.

Itidem ipsemet Sanctus Doctor 3. contra Gent. c. 159. hanc faciens obiectionem: *Cum in finem vltimum aliquis dirigi non possit sine auxilio gratiæ, sine quâ etiam non potest habere fidem, spem, dilectionem, &c. Potest alicui videri quod non sit homini imputandum, si prædictis careat, præcipuè cum Diuinæ gratiæ auxilium mereri non possit, nec ad Deum conuerti, nisi Deus eum conuertat, nulli enim imputatur, quod ab alio dependet*, Sic respondet. *Licet aliquis per motum liberi arbitrij Diuinam gratiam nec promereri, nec aduocare possit, potest tamen seipsum impedire ne eam recipiat: dicitur enim de quibusdam Iob. 21. Dixerunt Deo, recede à nobis scientiam viarum tuarum nolumus. Et Iob. 24. Ipsi fuerunt rebelles lumini. Et cum hoc sit in potestate liberi arbitrij, impedire Diuinæ gratiæ receptionem, vel non impedire: non immeritò in culpam imputatur ei, qui impedimentum præstat gratiæ receptioni: Deus enim quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare: vult enim omnes homines saluos fieri, sed illi soli gratiâ priuantur, qui in se ipsis gratiæ impedimentum præstant: sicut Sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei qui oculos claudit, licet videre non possit, nisi lumine Solis præueniatur.*

Ex quibus patet Angelicum Doctorem loqui de

SYNOPSIS TOTIVS OPERIS, SEV PRÆDICTÆ IVBAR Cassiopeïæ, cui annexa est breuis elucidatio promissa in titulo ; pro efficienda Sancti Præsulis Augustini concordia, cum Diui Thomæ Doctrina, quantùm ad concursum Primæ Causæ, etiam in statu innocentiæ.



ANDIDE Lector, fusissimè hactenùs, & ad satietatem vsque prosequuti sumus intricatum Prædeterminationis Thomisticæ negotium, modò sic enucleatum, vt iam de eo, nemo ambigere possit. Attamen, quia virtus vnita est fortior, ideò sparsa in prædictis tribus libris rationum momenta (non quidem omnia, sed selectiora tantùm) hæc in Epilogo velut in speculo, tibi ob oculos ponere, vel saltem in memoriam reuocare decreuimus.

Et ne tædio tibi sit hæc repetitio, quamuis admodùm breuis, præter rationes superiùs allatas, nouas quasdam, aliasque Sanctorum Patrum, Conciliorumque authoritates, quasi de industriâ reseruatas, inseremus quinque sequentibus paragraphis, in quorum primo, prædictæ Prædeterminationis Thomisticæ fundamentum ex essentiali dependentia creaturæ à Deo, manifestè aperitur : ipsaque Prædeterminatio sufficienter ostenditur ex quatuor vel solis Doctrinæ Diui Thomæ principiis.

In secundo. Itidem, confutatis aduersariorum subterfugiis, conuincitur hanc Prædeterminationem non impugnari, nisi vel ab iis qui voluntariè tantùm ipsi aduersantur : vel ab his, qui falsis suppositionibus innituntur.

In tertio. Tot tamque firmis rationum momentis, præfata innotescit Prædeterminatio, vt nihil desiderandum supersit.

In quarto. Palàm fit hâc Prædeterminatione, & creatam perfici libertatem, non verò lædi : & gratiæ sufficienti locum relinqui. Nec subinde ex illâ quidquam metuendum esse, ne Deus opt. peccati causa credatur.

In quinto Denique demonstratur quàm facillimè solus reliqua aduersariorum argumenta, nulloque dissidio laborare Sanctos Ecclesiæ Doctores, Augustinum & Doctorem Angelicum, quantùm ad actuale auxilium gratiæ Angelis & Adamo necessarium ante eorum lapsum : ita vt, ipsis iudicibus præcipuis ac celeberrimis Thomistarum æmulis, vix possit aliud, quàm quod hac in re tuentur Thomistæ, doceri, citrà periculum fidei.

Quare hanc synopsim seu epilogum non inutilem fore, sed necessarium duximus, nàm si vt ait Seneca, non omnibus & promiscuè secreta sua tradit natura : quantò minùs naturæ ipsius Author, qui posuit tenebras latibulum suum, mysteria sua ? In quorum execusione concursus eius operatiuus, ita est occultus, vt res omnes à se productas dimisisse, ac sibimet ipsis reliquisse, incautis videatur, & cuius operandi modus ita est subtilis, agentibusque secundis attemperatus, vt in eo percipiendo nedum lynceus caliget oculus, verùm & non rarò cæcutiat ipsa ratio, nisi aliquo fidei adiuta radio, sæpiusque hebescat animus, nisi fuerit subtilissimus. Sit ergo primus huius Stellæ radius.

PARAGRAPHVS PRIMVS.

De Prima basi, ac vera radice Prædeterminationis Thomisticæ.

I. SI hic Antiquorum Philosophorum postularetur suffragium, primò esset Empedocles audiendus, qui Deum, asserens esse circulum, cuius vbique esset centrum, satis innuit, *Esse Diuinum*, debere esse immensum, rebusque ipsis summoperè intimum. Quod non esset verum, nisi omnibus inesset ille, qui portat omnia verbo virtutis suæ : seu vt loquitur Doctor Angelicus qui res sustinet in esse : cuius virtutem, ex his quæ facta sunt, sic cognouerunt Philosophi, ac rebus adeò negotiosam putarunt, vt sine illa, nihil fieri crederent.

Et quoniam non satis Diuinitatem vnam, ad rerum singularum efficientiam sufficere rati sunt, per multos distribui hanc curam finxerunt : ideò trecentos Ioues enumerat Varro : id est, tot hominum auxiliatores, *Iupiter enim quasi iuuans pater* : Hesiodus verò, triginta deorum millia, his in curis occupat, vt eorum quilibet vnicuique rerum subueniat. Et ne illa Numina discurrere per singula necesse esset, aut à se inuicem dissidere, vnum tantùm esse Deum alij asseruerunt, qui omnia præstaret, vt ex Virgilio asserit Sanctiss. Præsul Augustinus lib. 4. de ciuit. c. 11. *Deum namque ire per omnes,*

Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum.

II. Sanè alienum à ratione videtur, aduersus Philosophos Christianos armis Ethnicorum militare : verùm, quia signatum super nos Diuini vultus lumen, non ita fuit obscuratum, quin aliquibus adhuc innotesceret, creaturam nihil posse sine Creatoris ope, & omne quod est aliquid per participationem, pendere ab eo quod est tale per essentiam, vix, subtiliores saltem, potuit hæc veritas latere Philosophos. Hâc de causa hìc sequuti sumus genium naturæ, Aristotelem intelligo, qui ex dependentia à Primo Motore, probauit efficacissimè Præmotionem quam tuentur Thomistæ, vt fusiùs demonstrauimus : & quoniam ij, qui huic Prædeterminationi aduersantur, in hoc potissimùm allucinantur, quòd creaturam à Creatore solutam & independentem existiment, saltem in ratione agentis, reducendi fuerunt ad principium : nam quandiu hanc primam dependentiæ rationem ignorabunt, vix capere poterunt hanc veritatem, quæ est præcipuum humilitatis Christianæ fundamentum : Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum : Deum ipsum, velut aliud agens creatum à suo effectu, seu ab alio agente separatum intuentur : cùm tamen illud esse immensum, non longè sit, ab vno quoque nostrum, im-

mò sit rebus omnibus magis intimum, quàm res quæuis sibimet ipsi esse possit.

III. Hoc vt explicaret Doctor Angelicus, toties docuit Deum opt. omnibus inesse rebus, non solùm per præsentiam,& potentiam,sed & per essentiam,easque ab illo dependere non solùm in fieri, verùm & in facto esse, non minùs in ratione agentis, quàm in ratione entis, vt superiùs fusè satis demonstrauimus. Et hoc explicat Sanctissimus Pręceptor multis exemplis, v.g. Lunæ & aëris illuminati à Sole, &c. At, quis aliquem effectum Lunę aut aëri illuminatis à Sole possit adscribere, quem non continuò cogat ipsa veritas, priùs ac magis ipsi soli illum tribuere? Verùm, nihil aliud tuentur Thomistæ Præmotionis nomine, quàm huiusmodi prioritatem dependendiæ, saluâ vniuscuiusque propriâ operatione.

IV. Quod si in aliquo claudicare videatur prædicta comparatio, hoc totum in fauorem Prædeterminationis Thomisticæ esse comperio: nam Sol non est sua virtus, nec est supposito præsens vbicumque operatur: & cum accidens possit Diuinitùs à suo subiecto separari, & separatum conseruari atque operari, vt de fide certum est, non est mirum quod possit Deus aliquem effectum producere per Lunam aut aërem illuminatum, conseruando lumen in ipso, absque actuali influxu & dependentia à sole. At (quoniam in Deo nullum est accidens, sed Deus est ipse quidquid est in ipso, in quo ob summam simplicitatem & actus purissimi conditionem, nulla est compositio) conferri à Deo non potest creaturæ, vt ipsa sit actu vel momento independens ab ipso Deo, sub quacumque ratione, nisi, inquit D. Thomas, conferatur creaturæ vt sit vniuersale principium essendi, quod est omninò impossibile: & consequenter vt ipsa,nisi Deo præoperante & cooperante, quidquam operetur.

Hancque ob causam in proœmio demonstratiuè probauimus. Vnam eamdemque esse rationem entis & agentis in primo Motore (in quo identificatur ratio actus & potentiæ) diuersam verò in alio quocumque agente. Nam vt optimè probat D. Thomas locis ibidem citatis, ***Si actus & perfectio substantiæ Diuinæ, esset aliud quidpiam ab ea, hęc ad ipsum se haberet, sicut potentia (sc. passiua) ad actum,*** Quod in Deo manifestam inuoluit contradictionem.

V. Et aliunde, suppositâ virtute agendi in Deo infinitâ, luce meridianâ euidentius est, perperam eos agere, qui in modo agendi creaturam æquant Creatori: cui non est similis in fortibus, quique rebus à se creatis non solùm esse communicauit sicut & virtutes operatiuas, sed & continuò tribuit, non tantùm virtute, sed & supposito intimè præsens, Isa. 42. ***Dans flatum populo, & spiritum calcantibus terram.*** Et licet superiùs sufficientissimè probauerimus Deum non esse dicendum, Agens extrinsecum, cùm ipse sit radix intima, quæ portat omnia, ipsique animę rationali coniungatur quantùm ad sua interiora, quod est soli Deo proprium: hoc tamen testimonium superaddere ex Angel. Doct. non erit superuacaneum aut inutile. [Substantia spiritualis, inquit, in 2. sent. dist. 8. q. 1 a. 5. non habet terminos quantitatis, sed tantùm essentiæ, & ideò in ipsam non intrat, nisi ille qui dat, *esse*, scilicet Deus & Creator, qui habet intrinsecam essentię operationem.... Vnde Angelus illuminans, non dicitur esse in Angelo & in anima, sed extrinsecùs quid operari.] Legendus D.Tho. 3. contra Gent. c. 88. de verit. q. 22. a. 9.

VI. Quòd si omnium Philosophorum testimonio, modus operandi sequitur modum essendi, eique conformatur, quis non tribuat Deo opt. hunc specialem modum agendi, quem per Præmotionem sibi vendicat, quem, vt diximus, lib. 1. nomine Prędeterminationis necesse fuit insignire,vt certitudo Dei in agendo innotesceret;cùm enim huiusmodi Prędeterminatio sit executrix in tempore eorum omnium quę hic certò & infallibiliter ab agente vniuersali fieri debent, quamuis liberè respectu causæ particularis liberę; immò & æternæ Prædestinationis Electorum, quâ certissimè liberantur quicunque liberantur: hanc certitudinem oportuit vtcunque exprimi, prędertim aduersus Antithomistas qui creaturam in agendo pręueniri quidem à Deo fatebantur,sed eo tantùm modo & concursu quo sagitta præmouetur in scopum à dirigente & iaciente, qui tamen scopus contra dirigentis intentionem & conatum sæpius non attingitur. At hic modus explicandi concursum Dei est ipsi Deo maximè iniuriosus, vtpotè de eo sentiens indignissimè, vt infra dicemus.

VII. Ex his manifestè, apparet quàm falsò nonnulli asserere ausi sint, Prędeterminationem Thomisticam seu physicam in essentiali subordinatione ac dependentia creaturæ à Creatore consistentem, commentum esse Thomistarum, nimiis vigiliis deprehensum, ac Angelico Doctori perperam affictum: nam hæc fuit ab initio creaturæ, vt patet ex dictis,tàm de Adamo, quàm de Angelis, eiusque progressu, successiuis ac ferè continuis temporum interuallis, millies excitata ab hæreticis controuersia, pro liberi arbitrij creati sufficientia, vt primis quinque libri primi capitibus sufficientissimè manifestatur, in quibus præter cætera ostenditur idem exhibitum esse officium in Ecclesia militante ab Angelico Doctore in supremo Dei Dominio per Prædeterminationem propugnando, quod à principe cœlestis militiæ in Ecclesia Triumphante sc. Archangelo Michaële; cuius nominis notio est: quis vt Deus?

VIII. Lucifer ergo fuit primus, qui seditionis vexillum aduersus eum,quem genuit Pater ante luciferum, in cœlo erexit, suo secum exemplo trahens tertiam partem stellarum vt Diuinam appeterent similitudinem in agendo, nam similitudo in essendo, in eorum cadere non poterat intellectum, vt benè probat D. Thomas: etenim siue peccauerint rebelles illi Spiritus, ex eo quòd elegerint permanere in solis acceptis naturæ dotibus, neglectâ beatitudine supernaturali, quod peccatum vocat D. Bernardus, pigritiam spiritualem,explicans hęc verba: Sedebo in monte, &c. Siue ex eo quòd huiusmodi beatitudinem supernaturalem habere pręsumpserint propriis naturæ viribus, spreto Dei auxilio supernaturali gratiæ actualis, dedignati æternam obtinere fœlicitatem, modo sibi cum hominibus communi, naturâ & perfectione inferioribus, quos idcircò volebat Lucifer, inquit D. Bern. habere subiectos, non verò æquales & socios: in quo præcipuè consistit superbiæ ac singularitatis peccatum, quod ex dæmonis inconsideratione processit: hæc duo in idem quodammodo coïncidunt, vt ait D. Tho. 1. p. q. 63. a. 3.

Item docet Sanctus Doctor q. 16. de malo a. 3. asserens primum peccatum Angeli in eo fuisse, quòd beatitudinem supernaturalem consequi voluit, ***Per virtutem suę naturę, non tamen sine Deo in naturam operante, sed sine Deo gratiam conferente***, Quod ait esse proprium Deo. Estque in eadem sententia Diuinæ voluntatis interpres lib. 2. ad Annibal. dist. 5. a. 2.

Idem ferè fuit hoc scelus dæmonis, ac peccatum Pelagianæ hæresis, quam credit Aluarez iterùm suscitandam vltimis temporibus, vt viam suo sternat primogenito Antichristo, qui aduersus Deum se erigens,Dei honorem vsurpabit. Dixi ferè: quia dæmonem non latuit, creaturam indigere Dei operatione,vt est author naturæ.

At

At, Pelagius turpiùs errans, innumerosque mittens in errorem ac proficiens in peius, nec istud auxilium Dei in naturam operantis voluit agnoscere, vtpote qui creaturam in agendo vellet esse independentem à Deo, quem ad summum volebat esse comitem & socium per concursum simultaneum vt probauimus. Quòd vero ita sit, manifestum est ex D. Hieronimo in Epist.ad Cthesiph.c 3. vbi ait, *Audite quaeso sacrilegum (scilicet Pelagium) Si (inquit Pelagius) voluero curuare digitum, mouere manum, sedere, stare, ambulare, discurrere, &c. semper Dei auxilium mihi necessarium erit*, Lege totum caput 4. primi libri, huius responsionis, vbi idipsum probatur fusius ex Sancto Augustino ibidem citato. At, his & aliis Pelagij verbis Dei concursus etiam naturalis excluditur, cuius necessitas dæmonem non latuit.

IX. At, D. Thomæ Doctrina de Prædeterminatione physica, est acutissimus gladius, quo huiusmodi hæresis monstrum confodiatur, illiusque hydræ capita denuò nascentia abscindantur; ac Christiana humilitas, quæ in continuâ creaturæ dependentia à Creatore posita est, maximè foueatur: operari enim quidquam sine Deo præueniente repugnat creaturæ. Et aduersus hanc impietatem à primo Angelo inconsideratè & infœliciter patratam, quâ Dei similitudinem appetiit, se se erexit Michaël in Empyreo; & Doctor Angelicus hoc in mundo suæ Doctrinæ clypeo, asserens nullum agens creatum prorumpere in actum, nisi à Deo præmotum: quod expressit Sanctus Doctor in ordine naturæ, nomine Præmotionis physicæ in cõment. in D.Diony. de Diuinis nominibus,c.4,in ordine verò superiori,nomine Auxilij efficacis, aliquando etiam vocabulo Gratiæ operantis.

X Nec S Doct. aut Thomistarum hac in re æmulos prouocare pertimesco, asserens, nihil esse in omnibus D.Tho.operibus quod efficacius sit probatum, aut pluties ab eo expressum, sub diuersis tamen terminis, vt patebit vnicuique legenti quæ diximus: & hoc fundamento diruto, id est, sublatâ Prædeterminatione physicâ, tota ruit Philosophia Sancti Doctoris, in subordinatione ac dependentia essentiali creaturę à Creatore radicata, sicut & sana eius Doctrina de gratia, toti Christiano orbi conspicua.

Quòd si Angelicus Doctor aliis aliquando hac in re vtatur rationum momentis, ab iis, quibus vsus est Sanctissimus eius præceptor Augustinus; non ob id sibi aduersarii existimentur: nam Sanctus Antistes cum ex professo ageret aduersus Hæresiarchas subtilissimos ac vaferrimos, noluit rationibus Phylosophiæ naturalis multùm insistere: sed quia Dei testimonium maius est, præsuppositâ labe peccati originalis, quam non docet ratio sed fides, ad quam illos reducere conabatur, semper ferè vsus est Sanctus Præsul Scripturæ Sacræ testimoniis quibus non ita frequenter vsus est Doctor Angelicus, quin sæpius Philosophiæ naturalis argumenta adhibuerit, quibus & dum vtitur Sanctus Augustinus, idem omninò sapit; vt dum asserit Angelos bonos amplius præ cæteris fuisse adjutos. Quo quæso, nisi auxilio efficaci, quod suâ culpâ non acceperunt illi, quos deiecit Deus in tartarum cruciandos?

XI. Et inde sufficienter innotescit, quàm alienum sit à mente Sancti Pręsulis, Dei auxilium, *quo*, in statu innocentiæ, libero arbitrio primi hominis fuisse subiectum; ita vt concursus Dei indifferens per sanam hominis voluntatem fieret efficax, quod est omninò oppositum Doctrinæ D. Thomæ, qui omnium optimè Sancti Præsulis mentem penetrauit: nam liberum arbitrium creatum etiam sanum, licet plus & meliori modo posset, quàm possit modò, vulnere peccati inflicto: attamen quantùm ad dependentiam & subordinationem essentialem; semper fuit eadem ratio, id est, semper fuit à Deo dependens tanquam à primo libero (nam hoc est ei naturale, naturalia autem non fuerunt per peccatum destructa) à quo esset reducendum de potentia in actum.

Si verò dicat aliquando Sanctus Antistes, quòd Adamus v. g perseuerasset si voluisset: non propterea negauit Scripturæ principium millies ab ipso repetitum,quo asseruit Deum in nobis operari & velle, pro bona voluntate. Potuit ergo vterque Doctor eandem tueri veritatem diuersis principiis,sicque nullum est dissidium inter præceptorem & discipulum.

His præmissis: consideretur (vt verè est) quodlibet agens creatum,quantumuis perfectum, siue naturale, siue liberum, magis à Deo, actu dependens quàm aër vt illuminatus dependeat à sole, qui non calefacit v. g. aut exsiccat, nisi ipso sole prius ac magis calefaciente & exsiccante, & iam pro Prædeterminatione Thomistica, nullus relinquetur controuersiæ locus. Atqui vt probauimus & quidem vsque ad satietatem, nec aër aut Luna formaliter vt à Sole illuminata, vel quodlibet agens naturale tantam habet ab alio consimili, quantam habet creatura à Creatore dependentiam. Ergo &c.

XII. Hoc voluêre Sancti Patres suprà laudati, nominatim verò D. Bernardus lib. de gratia,dum ait, *Ipsi nos eum præuenire nequaquam possumus: qui enim bonum neminem inuenit, neminem saluat, quem non præuenit*, Hoc statuêre Concilia ex quibus hęc & similia habentur, *Multa bona facit Deus, quæ non facit homo: nulla verò bona homo operatur, quæ non faciat Deus, vt faciat homo.*

Porrò, quid sit hæc Prædeterminatio, etiam diximus: est enim motio quædam Diuina realis & physica, per modum transeuntis, potentiæ creatæ impressa, eique inhærens, quâ Deus causas secundas, tàm necessarias quàm liberas, iuxta earum modum applicat ad suos actus: quæ se tenet magis ex parte actus secundi, cum detur ad actualem operationem: quamuis aliquando eminenter actum primum præhabeat, cum ipsam agendi potentiam aliquo modo perficiat: vnde in ordine supernaturali, cùm subitò opus salutis perficit Deus in aliquo, vt contigit in Paulo, non pręrequiritur necessariò gratia sufficiens, cuius tunc vices gerit gratia efficax; quâ Deus opt. attingit à fine vsque ad finem fortiter (est enim vapor omnipotentis Dei & executrix voluntatis ipsius) ac disponit omnia suauiter, cum ipsa quoque sit, *Benedictio dulcedinis.*

XIII. Et quia motio mouentis præcedit motum mobilis ratione & causa, vt toties ex Aristotele insinuauit D. Thomas, quid dicendum supersit non video, nisi fortè aliqua explicatione indigeant nonnulla ipsius Angelici Doctoris verba: v. g. cum D. Thomas 1.2. q. 111 a. 2. agens de diuisione gratiæ in operantem & cooperantem ait, *Quòd in actu voluntatis, quo homo per gratiam operantem vult bonum & deserit malum, voluntas se habet tantùm vt mota, non verò vt mouens*, Non est sensus, quòd voluntas à Deo mota in bonum per gratiam operantem, se habeat vt inanime quoddam, quod sic moueatur, vt nullo modo se moueat: hæc enim opinio nedum est hæretica, sed & stulta: nam cum v. g. dolere, sperare, &c. sint actus vitales, necesse est vt sint à principio vitali scilicet à voluntate illos eliciente; quare & in huiusmodi actibus voluntas aliquid agit & seipsam mouet: siquidem dicere nequeo, v. g. volo amare

Deum: volo deserere peccatum, &c. quin ipsa volitio sit efficienter à voluntate, quis enim velit, nolens?

XIV. Vt ergo difficultas dissoluatur, sciendum est, actus voluntatis, alios esse indeliberatos, deliberatos alios. Actus deliberati sunt, qui à voluntate procedunt ex praeuia deliberatione. Indeliberati verò, qui rationis iudicium & omnem deliberationem praeueniunt, quales sunt motus primò primi. Voluntas ergo dupliciter se mouet, primò moraliter & humano modo, vt cum ex praeuia volitione finis, applicat se ad electionem mediorum: secundò physicè tantùm, quando scilicet elicitiuè producit actum vitalem, etiamsi de illo nullam praeuiam habuerit deliberationem. Ergo in omni operatione etiam indeliberata, voluntas se mouet physicè, sed non moraliter seu ex praeuia deliberatione, vt patet in volitione finis circa quam non est deliberatio, sed tantùm circa media.

XV. Si ergo sit sermo de actibus indeliberatis, quę magis ad conditionem naturae, quàm rationis videntur propendere; meritò dixit D. Thomas quòd, *Cum voluntas per gratiam operantem vult bonum, se habet tantùm vt mota*, Quia cùm in huiusmodi motibus non tàm agat voluntas, quàm agatur, potiori iure tribuendi sunt Deo quàm voluntati creatae tales motus, qui licet sint ab ipsa effectiuè, non tamen ipsi propriè adscribuntur, quia non fiunt ex consilio & deliberatione.

De actibus etiam deliberatis, non minus vera est sententia Angelici Doctoris: nam quando ait loco suprà citato 1. 2. *Operationem alicuius effectus non attribui mobili sed mouenti*, Hoc dixit D. Thomas vt potiorem causam, magisque principalem in illis quoque actibus exprimeret, ac potissimùm in ipsa conuersione hominis, *Qui incipit bonum velle, qui prius malum volebat*, vt ipse ait: reuocare enim voluntatem, per peccatum à Deo auersam, est opus maximè Deo proprium. Quare nihil mirum si motus huiusmodi prius quoque ac magis ipsi Deo, quàm deuiae voluntati creatae tribuantur, quae vt suprà diximus, *Nunquam redire vellet, nisi esset boni Pastoris inquisitione praeuenta.* Sic intellige illud Math. 10. 20. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Per hoc siquidem non negatur, quin Apostoli loquerentur. Confirmatur praedicta expositio ex authore libri 1. de vocatione gentium c. 26. vbi ait. *Gratia Dei in omnibus iustificationibus principaliter praeminet.* Sed hoc non impedit, quominus voluntas hominis, *Deo subiungatur atque coniungatur, vt Diuino in se cooperetur operi & incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium.* Verum, hoc ita fusè superius lib. 3. cap. 8 prosequuti sumus, vt hìc superfluum sit quidquam superaddere. Legatur ibidem Doctor Angelicus.

XVI. De praedicta hac gratia operante loquitur D. Bernardus serm. 39. in Cant. quâ Deus, *Non modò immeritos, inquit, sed & male meritos praeuenit: vt dum adhuc Filij ira sumus, & operamur opera mortis, ipse cogitat super nos cogitationes pacis: & nec petentibus sed impetentibus, non inuocantibus sed prouocantibus, non interpellantibus, sed repellentibus, spiritum bonum, spiritum vitae & adoptionis largitur.* Nec praedicta haec gratia libero arbitrio creato aduersatur, sed patrocinatur; non destruit, sed astruit: *Hoc siquidem auxilio, inquit D. Bern. lib. de gratia & lib. arb. intendit Deus cùm terret aut percutit, vt faciat voluntarios, non vt saluet inuitos: quatenùs dum de mala mutat voluntatem, & in bonam transfert, non auferat voluntatem, sed perficiat.*

XVII. Et hanc dependentiae prioritatem in agendo noluerunt agnoscere Pelagiani, de sui sufficientia arbitrij superbè praesumentes, qui idcircò Aratoribus Ægypti non immeritò comparantur, quorum tanta esset in solo, fiducia Nilo, vt illorum nemo in cœlum respiceret: nam sicut, teste Plinio, Ægyptus proprio semper amne perfusa, nec alio aquarum genere solita pinguescere, alendis, augendisque seminibus terreno suo irriguo ita gloriata est, vt nihil imbribus, Cœloque deferret: ita & Pelagius liberum arbitrium sic extollebat, vt existimaret, teste D. August. lib. de sp. & litt. c. 30. in fine, non posse subsistere, nec liberum esse, si vel ipsum Deum, haberet Dominum: cùm tamen, neque qui plantat, neque qui rigat, aliquid sit, nisi & continuò adsit qui incrementum dat Deus, à quo petendum est, vt ipse confirmet, quod operatus est in nobis, gressusque nostros perficiat in semitis suis.

XVIII. Quod necesse est, non tantùm ob dictam dependentiae à Deo rationem (quae sanè maior est, quàm sit dependentia radij solaris ab ipso sole) verùm etiam ob infœlicem sortis humanae conditionē, quae adeò misera est, eòque per peccatum redacta, vt, aut caecitate non videat. aut infirmitate, non valeat: ideò praeueniens Dei auxilium semper est nobis necessarium: primò vt bonum virtutis clarè videamus; secundò vt illud ardenter desideremus; ac tertiò, vt opere illud perfectè compleamus. Nam lethalior voluntatis quàm intellectus plaga, de quâ & quidem verè mellifluus Bern. 1. de consid. c. 1. ait, *Quoties vis, & in cassum? moues, & non promoues? conaris, & non datur vltrà? eniteris, & non obtines? parturis, & non paris? &c.* Vtrumque enim Dei donum est, & scire quid facere debeamus, & diligere vt faciamus.

XIX. Sed mirum est, quòd author praedictae Defensionis Diui Thomae (qui vt ipse ait, toties opera Sancti Doctoris, non indiligenter euoluit) semel saltem non inciderit in aliquod ex principiis ipsius, initio huius secundi libri relatis, ex quibus ipsa Praedeterminatio, quam è medio tollere nitebatur R. Pater Fuliensis, non minus euidenter eniteat, quàm lumen ab ipso Sole elucescat in meridie.

Nam si Primum Agens sit immediatum (vt est verè) rerum omnium principium: sitque cuilibet effectui creato, Dei virtus immediatior, quàm virtus inferioris agentis, vt patet ex locis D. Thomę citatis lib. 2. c. 1. sitque vera causa efficiens omnis entis creati, & omnis eius differentiae ac modi realis (non obstante, vt dictum est, vniuscuiusque propriâ operatione) & tandem sit Dei opt. voluntas causa rerum vniuersalissima & efficacissima, non solùm facultatum operandi, sed & ipsarum operationum, non solùm ipsius voluntatis creatae, sed & volitionis ipsius, quae in ipsum Deum reducitur tanquam in causam proximam & immediatam, quae sic est in volentis aut nolentis potestate, vt Diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. Quid vltra desiderari possit pro Thomistica Praedeterminatione stabilienda, non video: nam ex his sufficienter iudicatur necessaria, cùm in agentibus necessariis, tùm in liberis: in ambobus enim attingit Deus à fine vsque ad finem fortiter, magis habens in sua potestate hominum voluntates, quàm ipsi suas, vt loquitur Diuinus Hypponensis, his suauiter vtens non tantùm officiali administratione (vt loquitur D. Bernardus) sed substantiali quadam & vbique praesenti fortitudine, quâ vtique vniuersa potentissimè ordinat, mouet & administrat, habens sine dubio (teste eodem D. Augustino)

humanorum cordium, quo placet inclinandorum, omnipotentissimam potestatem. Nam vt ait D. Thomas q. 22. de verit. a. 8. cum, *Voluntas creata suum possit immutare actum ab vno in aliud, multo amplius Deus,* At, an non effectiuè & efficaciter voluntas nostra quoties vult & quomodocunque in quodcunque, suum immutat actum, idque sine vlla suæ libertatis læsione? Ergo à fortiori & Deus idipsum vt prima causa præstare poterit in homine. Et aliunde supposito vel solius Aristotelis adagio, Angelico Doctori acceptissimo sc. quod motio mouentis prior sit motu mobilis naturâ & causalitate: quis in dubium reuocare possit rem de quâ hîc agitur, nisi voluntariâ laboret cæcitate?

XX. Denique si Deus opt. non influat in solem v. g. ad illuminandum; posset fortasse ab aliquo concedi Deum nihilominus esse causam illuminationis Solis; nemo tamen nisi falsò diceret ipsum Deum esse causam illuminationis prout est à sole, qui modus nusquam saluatur aut Deo tribuitur, nisi ipse influat, non tantùm cum sole, sed in ipsum solem ad illuminandum, vt superius ex D. August. non semel diximus. Ratio est, quia Sol non debet considerari vt agens omninò perfectum, independens aut à Deo solutum (& idem dicendum est de omnibus aliis agentibus creatis) sed vt magis dependens ab eo, quàm radius dependeat ab ipso sole.

Itidem. Si Deus opt. non influat physicè in liberum arbitrium creatum ad efficiendum in ipso & per ipsum, liberum eius consensum: ergo non est Deus vera causa huius consensus: nec consequenter causa omnium vniuersalissima & immediata, cuius causalitatem nihil subterfugere possit.

XXI. Ac tandem, si nequit Deus immutare hominis affectum aut influere in liberum eius arbitrium, sine aliquo libertatis creatæ præiudicio (vt volunt aduersarij) ergo ruunt omnia allata Sancti Præsulis & D. Thomæ testimonia de præpotenti in voluntates hominum Dei auxilio, quo Deus cordis aufferat duritiam, & quidem tam facilè, quàm valeat (teste Diuo Thoma) grauitatem aufferre à ferro vel lapide, cui 'ubinde non esset ampliùs, violentus motus sursùm, sed omninò conn[illegible] talis: vt suprà diximus. Aut quomodo liberum arbitrium hominis quod dicitur ab Angelico Doctore potentissimum sub Deo, non dicatur, & verè; potentissimum, suprà Deum ipsum, si non possit Deus (qui dicitur solus Dominus, eò quod eius dominium cum nullo sit æqu[illegible]randum) suâ infinita potentia, hoc ipsum, quod potest quiuis homuncio, suum actum ab vno in aliud quam facillimè immutando.

XXII. Quod si magnum fuit aliàs id fidei [illegible] seu muscipula pedibus insipientium, vt loquitur Scriptura, Manichæis concedere muscam vilem, homi[illegible] molestam, &c. non esse à Deo optimo factam: quantò magis falso prætextu tuendæ libertatis (quam non destruit, sed astruit & perficit Thomistica Prædeterminatio) fateri, quòd motus liberi arbitrij, prout est à libero arbitrio, non fit à Deo? (vt celebriores concedere non metuunt Thomistarum Æmuli) quo possit homo, cum Diuinæ gratiæ adiutorio, æternam, etiam de condigno, promereri Beatitudinem.

At, prædicta hæc & alia innumera sequuntur inconuenientia, quæ sanè non sunt toleranda, reclamantibus præsertim, his duobus prędictis, Ecclesiæ Doctoribus & Columnis, Angelico videlicet Doctore ac Sanctissimo eius Præceptore Augustino, quorum tota meritò hac in parte Doctrina, vt patet ex dictis, ex eliminatione Prędeterminationis Thomisticæ à Philosophia. Nec aliunde vllum fit ex illa periculum metuendum, vt etiam patet ex dictis in libro primo, detractis omnibus spariis aduersariorum, quod rursum euidentiùs elucebit sequentibus radiis. Sit ergo.

PARAGRAPHVS SECVNDVS.

In quo tantùm affulget luminis, quantùm sufficere possit, vt alij modi explicandi concursum Dei, cum causis secundis (preter Thomisticum) arguantur falsitatis.

I. QVoniam certum est, Primam Causam concurrere cum secundis ad illarum actus, vt patet ex 1. ad Corinth. c. 12. *Qui operatur omnia in omnibus,* et ex aliis scripturæ locis lib. 1. cap. 11. relatis. Nihil superest, nisi vt hîc ostendatur, quàm insufficientes sint omnes alij modi explicandi hunc concursum Dei, præter præuium, nomine Prædeterminationis expressum à Thomistis, quo Deum opt. semper priorem esse in agendo intelligamus, non solùm vt perficiamus, sed etiam vt incipiamus: non tantùm vt agamus, verùm etiam vt oremus, quia & ipsa oratio, teste D. Bernardo lib. de diligendo Deo. *Tepida est, nisi eam praeueniat, Diuina gratię inspiratio,* Et quæ vt ait D. August. inter gratiæ munera reperitur, nam quid oremus sicut oportet nescimus, nisi aspirante illo, à quo est, & ipsa boni operis inceptio, tanquam dextræ Excelsi mutatio, quia vt optimè aduertit D. Fulgentius: nunquam redire velle potest ouis errans, nisi fuerit boni Pastoris inquisitione præuenta: quòd si Magdalenam, v. g. suscepisse foris, per mansuetudinem videatur Christus, nusquam tamen venisset illa, nisi eam prius per misericordiam traxisset intùs, vt ait D. Tho. nam teste Sancto Leone Papa serm. de Epiph. *Dubium non est, hominem bona agentem, à Deo habere & effectum operis, & initium voluntatis, vnde ait Apostolus, Deus est qui operatur in vobis & velle.*

II. Primò ergo demonstrata natura ac necessitate Prędeterminationis Thomisticæ, cognitaque causa impositionis huiusmodi nominis, tam expressis D Thomæ testimoniis, totque rerum exemplis, quibus aperuimus, non litigandum esse de nomine, quando constat de ipsa re, quæ quamuis antiqua, persæpè tamen est nouis nominibus exprimenda, vt ostendimus lib. 1. c. 8.

Secundò, extincto etiam pœnitùs superbiæ fomite, in sufficientia liberi arbitrij latente, ex quo autumabant aliqui naturam sibimetipsi relictam, maximè in statu innocentiæ, immò & modò, saltem ad faciliora quædam opera, sufficientem esse, sine vllo alio actuali auxilio Dei, oppositum cuius apertè in ipso statu gloriæ, ex Angelico Doctore demonstrauimus lib. 1. cap. 9. per totum & alibi passim.

Tertiò reuocatis im memoriam iis, quę lib. 1. cap 10. diximus de diuersis Diuinæ gratię effectibus, circa quos non pauci allucinantur. Sanè etiam intellectis Scripturæ Sacræ quibusdam testimoniis, quibus Antithomistę abutuntur, minusque perspicaces ludificantur. Siquidem audientes v. g. hoc Scripturę testimonium, *Conuertimi-*

ni ad me, & ego conuertar ad vos, rem esse confectam aduersus physicam Prædeterminationem autumant, nullumque existimant esse inconueniens; quòd creatura Creatorem in agendo preueniat.

III. Verùm, his & similibus leuioribus argutiis lib. 1. cap. 11. fecimus satis, idque non proprio marte, sed iuxta sinceram Sanctorum Patrum expositionem. Sed quis in exponendis Scripturis, debeat aut possit, nisi ausu prorsùs temerario has pro libito traducere, spreta aut posthabita Sanctorum v. g. Augustini, Fulgentij, D. Thomæ, &c. intelligentia? Atqui omnes vno ore Deum in agendo semper priorem absolutè agnoscunt, in illis etiam exponendis Scripturę testimoniis ex quibus oppositum quid, physicę Prædeterminationi videbatur inferendum, vt patebit legenti totum cap. 11. lib. 1. Vbi ostendimus hæc testimonia, non solùm non nocere hac in parte Doctrinæ Thomisticæ, sed tanta concinnitate & efficacia ei fauere; quanta iuuarent, si de industria essent in eius fauorem excogitata, non quidem secundum verborum corticem, fateor, nam iuxta hanc aliquando littera occidit, sed secundum explicationem à Sanctis Patribus traditam, vt legenti patebit. Quare semper præ oculis habeat velim prudens lector hanc D. Augustini sententiam lib. 2. ad Bonif. *Auertat Deus à nobis hanc amentiam, vt in donis, nos priores faciamus, posteriorem ipsum, sc. Deum*, Quis enim prior dedit illi & retribuetur ei?

IV. Post Sanctorum Patrum expositionem, non infirmioris erunt roboris argumenta ex Conciliis deprompta, illorum siquidem est præ cæteris Sacras interpretari Scripturas, verumque illarum sensum fidelibus exhibere. Sed Tridentinum sess. 6. de iustif. c. 5. docet, quòd cum in sacris litteris dicitur, *Conuertimini ad me, &c. libertatis nostrę admonemur. Et cum respondemus: Conuerte nos Domine ad te & conuertemur: Dei nos gratiâ præueniri confitemur*, Iidem Concilium Arausic. canonibus 3. 6. 7. 9. 23. stat prorsùs à Thomistarum partibus. Ac denique Milleuitanum can. 4. *Non solùm, inquit, per gratiam nobis reuelatur, &c. sed per eam nobis præstatur, vt quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus & valeamus.* At, diligimus ex eo quòd charitas diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datur nobis: & valemus teste D. Augustino, quatenùs Deus præbet vires: quod non fit concursu simultaneo vt dictum est, sed preuio.

V. His prælibatis, ne continuò remittere ad præterita videamur: legatur D. Augustinus lib. de gratia & lib. arb. c. 9. & alibi passim, & in expositione horum verborum presertim, vbi dicitur, *Exurge & illuminabit te Christus. Ergo ne, inquit Sanctus Presul, ex teipso, propriisque viribus qui in peccatum lapsus est, à peccato resurgere poteris, antequam à Christo, stimulante eius gratiâ excitante & preueniente illuminetur? Num tenebræ à se ipsis illuminantur?* Infirmiores profectò sunt animæ quàm apodes, quæ nisi Diuinæ gratiæ præpotenti afflatu sursùm eleuentur, perpetuò humi iacebunt: prætereà Hic vnum sufficeret sancti huius Doctoris testimonium lib. 2. contra 2. Epist. Pelag. c. 9. *Hominis est præparare cor, & à Domino responsio linguæ: Prou. 16. Non benè, inquit, intelligendo falluntur, vt existiment cor præparare, hoc est bonum inchoare sine adiutorio gratiæ Dei, ad hominem pertinere, &c, absit, vt sic intelligant, nisi superbi sui arbitrij Defensores & fidei Catholicæ Desertores, &c.*

Item: *Ecce Dominus iubet, inquit, vt præparemus voluntatem in eo quod legimus: hominis est præparare cor, & tamen vt hoc faciat homo, adiuuat Deus, quia præparatur voluntas à Domino.* Et ibidem cap. 10. *Hominis bonum propositum adiuuat subsequens gratia, sed nec ipsum esset, nisi præcederet gratia.*

VI. Qui verò fiat istud, eleganter expressit D. Bernardus tract. de gratia & lib. arb. his verbis *Quod à gratia solà cæptum est, pariter ab vtroque perficitur: vt mixtim, non sigillatim: simul, non vicissim: per aliquot profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium: sed totum singula, opere indiuiduo peragunt.*

In concursu autem simultaneo velut in castro firmissimo diutiùs restiterunt nonnulli Thomistarum Æmuli, sed illius insufficientiam tàm apertis & efficacibus argumentis, totque rationum momentis ac Sanctorum Patrũ testimoniis lib. 1. cap. 12. demonstrauimus, vt superfluum sit, hic quidquam superaddere.

Nam quando duę causæ simul tantùm concurrunt, neutra est prima: sed vtraque est simultanea, & simultaneæ causalitates vtriusque. Neutra in aliam agit, sed vtraque in effectum simul influit. Neutra agit in virtute alterius, sed vtraque per se & propria virtute. Vna non dat esse effectui, vt instrumentum alterius, sed vtraque vt causa principalis operatur, pari gaudens independentia saltem in ratione agentis. Vna non est alteri causa agendi, nec applicat illam ad agendum, sed vtraque, virtute permanenti, immutata prorumpit in actum. Vna non dependet ab altera directè, sed solùm indirectè, & ratione effectus qui ab vtraque procedit. Vna non est causa effectus prout effectus est ab altera, sed tantùm prout est à se ipsa. Nec complementum vnius est ex virtute alterius.

VII. At, Deus opt. est causa prima, & in qualibet alia operatur, estque causa omnibus operantibus vt operentur. Omnis applicatio virtutis ad operationem est principaliter à Deo, qui mouet & applicat virtutem cuiuslibet rei naturalis ad agendum, sicut artifex applicat securim ad scindendum (saluo proprio agendi modo in causis liberis.) Complementum agentis secundi est ex virtute Agentis Primi, & realiter distinctum à virtute permanenti, seu collata rei in prima sui productione. Omne quod producit aliquid in esse, hoc facit in quantùm agit in virtute Dei. Causa secunda dependet directè à Prima, non solùm in ratione entis, sed etiam in ratione agentis actualis. Deus adiuuat creaturam in agendo non solùm vt homo hominem simul vnà nauim trahentem, sed confortando, nouum robur ipsi communicando, seu vt loquitur D. Augustinus lib. de gratia & lib. arb. cc. 16. & 17. *Præbendo vires efficacissimas voluntati.* At, quis in omnibus prędictis vel in vnoquoque eorum, præuij concursus necessitatem apertissimè non intueatur?

VIII. Deinde recurrunt argumenta infiniti roboris: nam si Deus concurrit tantùm cum voluntate creata vt volunt aduersarij, & non in ipsam voluntatem: qui quęso auferet cor lapideum, vt det cor carneum, &c.? Nonne semper remanebit cor durum, si ab eo non auferatur cordis duritia? Legatur Doctor Angelicus locis suprà citatis, nominatim verò q. 3. de potentia a. 7.

Denique Diuum Thomam opusc. 1. contra Gręcos c. 21. legisse debuisset Defensor ille Diui Tho. vbi sufficientiam concursus simultanei ab eo damnatam reperisset: *Quia, inquit Sanctus Doctor, cuiuslibet virtus, Dei scilicet & creaturæ, esset imperfecta.* At, quis dicat virtutem Dei agentis esse imperfectam?

Non sufficit quidem concursus simultaneus, inquiunt nonnulli Thomistarum Æmuli, sed insuper requiritur motio moralis, qua Deus voluntatem preueniat, hanc mouendo visorum suasionibus, vt loquitur D. Augustinus, minis terrendo, promissionibus alliciendo, &c.

Atqui, huius quoque motionis moralis insufficientiam omnibus apertè radicitùsque exposuimus lib. 1. cap. 13.

Nam vt aliàs diximus; sicut omnes alij sensus corporis supponunt tactum; sic omnes motiones, rationesque morales, naturam: & natura, ipsum Deum, sine quo, vt ait D. Augustinus lib de gratia Christi & liber. arb. ad Valent. c 17. *Vel operante vt velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus: vt autem velimus, Deus operatur incipiens.*

IX. Vtramque autem hanc motionem, moralem scilicet & naturalem velut prorsùs necessariam expressit Sacrum Concilium Trident. sess. 6. c. 4. cùm dixit [Liberum arbitrium moueri & excitari. Excitari quidem ex parte intellectus; & adiuuari ex parte voluntatis, vt satis can. 3. indicauit, [Si quis dixerit sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione atque adiutorio hominem credere posse, &c. sicut oportet vt ei iustificationis gratia conferatur: Anathema sit.

Et hoc exigit ipse ordo naturę, vt tanquam prima & radicalis causa seu basis, præsupponatur ille, qui vt ait Regum sapientissimus, *Et aurem audientem & oculum videntem fecit: prou. 20.12* Hominumque corda sigillatim finxit, non sicut Architectus qui perfecto opere absedit, vt ait D. Augustinus, de Genes. ad litt. sed velut ille qui continuò rem sustinet in esse, teste Angelico Doctore, cum sit causa non tantùm in fieri, sed & in facto esse.

Quod vt exprimeret Vates Regius, Spiritu Sancto afflatus dixit: [Posuisti super me manum tuam. Et alibi, non discedimus à te, viuificabis nos. Idque optimè insinuauit Conc. Arausic 2. c. 24 definiens, *Sic vitem esse in palmitibus vt vitale ministret eis, non sumat ab eis.*

X. Verùm; ne quis in dubium reuocare possit, quominus præter motionem moralem, physica sic adhuc necessaria, recolat id quod dicit D. Augustinus lib. de gratia Christi c. 19 *Præter Doctrinam altiùs & interiùs suauitate ineffabili, aliquid à Deo infundi, non per eos qui plantant & rigant extrinsecùs, (en motio moralis) sed per semetipsum qui incrementum suum ministrat occultus, qui non tantùm ostendit veritatem sed impartitur charitatem*, Et lib. de Spiritu & litt c. 3. vbi docet: *Humanam voluntatem sic Diuinitùs adiuuari, vt præter Doctrinam (ecce iterum verus motionis moralis modus) quâ ei præcipitur quemadmodum viuere debeat, necessarium esse vt quis accipiat Spiritum Sanctum, &c. quia cum & id quod agendum est, quò nitendum est, cæperit non latere, nisi etiam delectet & ametur: non agitur, non suscipitur, non bene viuitur. Vt autem diligatur, charitas Dei diffunditur, non per liberum arbitrium, sed per Spiritum Sanctum qui datur nobis*, Legat qui voluerit, & id quod retulimus ex lib. de gratia Christi cap. 14. Audiat & D. Prosperum suprà relatum asserentem, *Liberum arbitrium cohortationi vocantis non obedire, nisi in illo affectus credendi, obediendique gratiâ Dei generetur*, Item D Bernardum ibidem laudatum pronuntiantem non sufficere, *Moneri & doceri, verùm esse necessarium, & moueri & affici*, Quia Spiritus est, qui adiuuat infirmitatem nostram, sine quo vt ait D. Gregorius, *Mutum est os omne quod loquitur, si ille intùs in corde non clamet, qui aspirat verba quæ audiuntur.*

Confirmatur ex 16. Actu. vbi de piâ illâ muliere, Lydia nomine, dicitur, *Cuius Deus mouit cor, vt attenderet iis, quæ à Paulo dicebantur.* Ergo non erat omninò sufficiens prædicatio ipsius Apostoli, absque illâ Dei motione, quâ Deus efficeret vt illa attenderet.

Hoc ipsum insinuat Concilium Affricanum sub Zozimo c. 4. definiens præter prædictam motionem moralem, quâ reuelatur & aperitur intelligentia mandatorum, necessarium esse aliud auxilium (sc. physicum) quo facere diligamus & valeamus sine quo, vt ait D Augustinus lib de gratia Christi c. c. 7. & 8. id est, sine huiusmodi opitulatione gratiæ, nihil deseruit legis agnitio, nisi vt fiat mandati præuaricatio. Legat qui voluerit totum cap. 13 libri primi.

XI. Ad alium tandem concursum, præuium quidem, sed indifferentem & indeterminatum velut in arcem inuictissimam confugerunt cautiores Thomistarum æmuli, quo Deus opt in ipsum liberum arbitrium influere possit, sine vllo præiudicio libertatis: quia talis concursus per voluntatem determinatur & modificatur, sicut calor solis (inquiunt) qui pro diuersa dispositione materiæ, lutum indurat, & ceram liquefacit, nam teste ipsâ Philosophia, quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur Agedùm.

At, an ita deprimendus Deus opt. infinitâ & incomprehensibili potentiâ prædictus, vt intra solum ordinem causarum naturalium recludatur, sicque arceatur, vt nihil possit amplius?

XII. Verùm, & huius, in quem se se recepere, munitionis, aggerem, tàm funditùs hic destruemus, vt deinceps nullum illius extet indicium Et quàuis ad hoc præstandum sufficere posset, id quod lib 1. cap. 14. diximus de insufficientia concursus indifferentis per voluntatem creatam determinabilis, quem loco Prędeterminationis Thomisticæ, substituere conati sunt Antithomistæ, vt ex eius à Philosophia eliminatione, faciliùs persuaderent, nullum esse gratiæ auxilium quod efficaciam haberet ex se quo Deus æternum & absolutum voluntatis tuę decretum, in tempore, quando, vbi, & quomodo vellet, exequeretur. Necessarium tamen duximus, rem accuratius & compendiosius ob oculos ponere, si prius beneuolum lectorem monuerimus, nos hìc non loqui, de gratia sufficienti, cui sæpiùs miserè resistimus, sed de alia potentiori, cui semper possumus resistere, etsi fœliciter nunquam ipsi resistamus, vtpote quæ datur, vt & cordis duritia primitùs auferatur, & resistendi voluntas immutetur. Quis enim Deo, illa duo deneget?

Et hâc in re, aduersariorum nostrorum vidisse sententiam, superasse est, vt de quibusdam olim loquebatur D. Hieronimus: nam cum D Ambrosius 3. Exameron cap. 15. egregiam aquæ descriptionem effinxisset, hâc tàm aperte abusi sunt aliqui Thomistarum Antagonistę in explicanda natura gratię operantis, de quâ hîc loquimur, vt eorum applicationem exposuisse, sufficiat pro ipsius confutatione.

XIII. [Vna, eademque aqua (inquiebat D Ambrosius) in diuersas plerumque se se mutat species: aut inter arenas, flaua: inter nemora, viridantior: inter florenta, discolor: inter lilia, fulgentior, &c. assumpto locorum, quibus influit, colore, &c Rigorem quoque pari ratione commutat, vt inter vaporantia, ferueat, inter vmbrosa, frigescat, &c. Quemadmodum sapor eius conuertitur, vt nunc asperior, nunc dulcior, &c. pro specierum qualitate, quibus infusa fuerit aqua, varietur. Cumque sit nutrix omnium virgultorum, diuersos singulis vsus ministrat, pro diuersa illorum natura.]

Non dispar (inquiunt Neoterici) gratiæ natura, aquæ nomine in Sacris litteris aliquando expressa: v. g. vbi dicitur: Effundam super vos aquam mundam. Nam vnâ eademque specie indifferens, pro varia recepientium indole & temperie: pro loci ac temporis congruentia: pro diuersa corporis vel animi dispositione, in diuersas plerumque se se mutat species, vt nunc efficax, si quis illi suum præstat assensum: modò inefficax, si deneget: vtpote quæ non à Deo

vel ex se ipsa, sed ex recipientis consensu, effectu vel euentu efficaciam habeat.

XIV. Quis autem, qui vel semel in D. Ambrosium inciderit, eius de gratia Doctrinam à prædicta applicatione toto cœlo differentem non iudicet? Hanc enim exponit, Epist. 84. ad virg. Demetriadem lib. 10. non aquæ exemplo, sed palmitis, qui nisi manserit in vite, nullum potest ferre fructum iustitiæ: & *Hac operante, inquit, iuuatur arbitrium, non aufertur.* Et post pauca addit, *Quia Apostolica Doctrina nec superbos nos esse vult, nec desides: cooperatores nos esse oportet gratiæ Dei, vt illam excitantem, iuuantem, locupletantem & quotidie prouehentem vigilantes & sobriè subsequamur.*

Legat qui voluerit authorem lib. 2. de vocat. Gent. cap. 9. vbi docetur; quomodo Dei gratia omnibus iustificationibus præemineat, ac Deus tanquam famulam & donorum suorum receptricem præparet voluntatem. Sed, ne in vno videamur sistere Ambrosio, audiamus & D. Bernardum serm. 70. in cant. *Quæris, inquit, vnde gratiam per se efficacem nouerim? Ex illius effectibus nedum agnosco, sed quotidie experior. Viua est & efficax, moxque vt intùs venit, expergefacit dormitantem animam meam, mouet & emollit, vulneratque cor meum, quoniam durum, lapideumque erat & male sanum. Incipit quoque euellere & destruere, ædificare & plantare: rigare arida: tenebrosa illuminare: clausa reserare: frigida inflammare, nec non & mittere praua in directa, & aspera in vias planas; ita vt benediceret anima mea Domino. Ex illius ergo effectibus, adeò admirandis, stupendam illius potentiam aduerti.*

XV. Denique reuocemus breuiter in memoriam quę fusius suprà diximus. Si præter concursum indifferentem, nullum sit aliud gratiæ auxilium efficacius: vbi vis illa cœlestis seu emanatio Dei omnipotentis, quæ cùm vna sit, omnia potest? Vbi illa virtus, quæ omnipotentissimâ facilitate omnia innouat, spirantesque minarum & cædis mutat in vasa electionis? Quæ veris, sed miris modis operatur in cordibus nostris? Quę sic suadet vt persuadeat: sic agit vt peragat; in quam non præualet vlla cordis duritіes: quæ à nullo duro corde respuitur, ideò data vt cordis duritia primitùs aufferatur: quæ auffert cor lapideum, & dat cor carneum, dolando, domando, emoliendo: quæ operatur, velle: quæ facit vt faciamus, ac in iustificationibus Dei ambulemus. Vbi istud Dei auxilium quo attingit Deus à fine vsque ad finem fortiter? quo & cor Assueri Regis transtulit ab asperitate in lenitatem etiam eo ipso tempore quo erat ipse (Scripturâ teste) velut taurus tumens in impetu indignationis suæ? Profectò sine illo efficaci auxilio discernet seipsum homo, & gloriari poterit omnis caro coram Deo, si id quod præstantissimum est in salutis suæ negotio, magis pendeat à creatura, quàm ab ipso Deo. At, hæc & innumera alia inconuenientia nec in Philosophiâ, nec in fide, toleranda, euidentissimè sequuntur ex opinione quam impugnamus, iuxta quam plus deberet gratia homini, quàm homo gratiæ ipsi; vt optimè animaduersum est in Censura Louaniensi cap 14. citata: & quæ vt ipsamet asserit, non magnam relinquit precandi necessitatem, *Quam tamen maximam esse definiuit Conc. Arausic. 2. can. 10. etiam renatis ac Sanctis*, Qui licet habeant suorum actuum dominium, non tamen facultatum, vt diximus ex Angelico Doctore, quas hìc non possunt in bono firmare: & indè necessitas petendi à Deo donum perseuerantię, vt ad debitum finem valeant peruenire.

XVI. Vrgeo magis. Si nullum sit Dei auxilium præter illud, quod ita sit libero arbitrio subiectum, vt voluntatis creatæ consensum Deus expectare teneatur: hunc verò nusquam possit Deus efficere, nisi fortè certis dispositionibus præuisis (vt volunt aduersarij) tàm personæ quàm loci ac temporis, quas Deus opt. debet obseruare, iuxta illorum sententiam, ne se temeret libertatem creatam.

Contrà. Arguitur primò quia inde sequitur Deum expectare aliquid à creatura, quod non sit suæ omnipotentię subiectum, cuiusque non sit causa effectiua, saltem tam perfecta & absoluta seu independens quam creatura: nec consequenter causa totius entis vniuersalissima & immediata, qualem suprà demonstrauimus debere esse Causam Primam: hoc enim, est consensus liber voluntatis creatæ, quem vt volunt aduersarij Deus expectare tenetur. At, aduersus hanc sententiam recurrit argumentum in toto suo robore cap. 14. fusius expositum.

Præterea. Reclamat Doctor Angelicus 3. contra Gent. c. 149. *Impossibile est, inquit, esse aliquem rectum motum in anima, quem non præueniat actio Diuina.* At, an non est motus maximè rectus, consensus in bonum? Rursum in 2. ad Corint. c. 2 lect. 3. *Ipsa præparatio mentis humanæ, est ex virtute Diuina; nam licet facilitas quâ mentes præparantur, sit causa conuersionis, tamen ipsius facilitatis ac præparationis causa est Deus.* Et 1. 2 q. 112 a. 2. o. *Quæcunque præparatio in homine esse potest, est ex auxilio Dei mouentis.* At ex eodem 3. contra Gent. c. 149. *Motio mouentis præcedit motum mobilis ratione & causâ.*

XVII. Secundò, ex aduersariorum Doctrina sequitur illos sentire de Deo indignissimè, ac magis demisse, quàm de seipso sentiat quiuis homo, qui suum potest efficere consensum liberum, suam immutare voluntatem ab vno in aliud, &c. Quid enim sibi volunt aduersarij dum liberam concedunt homini facultatem semetipsum determinandi ad quodcunque & quomodocunque voluerit, ita independenter à Deo, vt nullum ei possit (vt volunt) concursum tribuere sine libertatis læsione, præter indifferentem & indeterminatum, determinabilem, per ipsam creaturam, eo modo, quo peritissimus Organista, flatum sibi indifferenter à famulo ad quodcunque subministratum: in modulos certos, concentusque varios ipse determinaret? Quis ferat, tàm indignè nos de Deo loqui aut sentire? Quid hoc commune habet cum Apostolo exoptante, vt magnificè de Deo vbique sentiamus, *Vt sublimitas, inquit, sit virtutis Dei: & non ex nobis?* 2. *Cor.* 4. At, in opinione aduersariorum, non id quod magnificum, sed quod deterius, magisque imperfectum est, Deo opt. max. tribuitur. Quod absit.

Meam magis aperio mentem. Aliàs irridebat Ethnicos Sanctus Hyponensis hùnc in modum lib. 4. de ciuit. Dei c. 8. *Quisque, inquiebat, vnum domui suæ ponit ostiarium, & quia homo est, omninò sufficit: tres deos isti posuerunt, Forculum foribus. Cardeam, cardini. Limentinum, limini. Ita non poterat Forculus simul fores & cardinem limenque seruare.*

Eâdem profectò repræhensione digni sunt, qui quotidie sibi atrogant id, quod Deo omnipotenti denegant, ipsumque pluribus indigere affirmant, vt quempiam efficiat Deus ex nolente volentem, aut ex repugnante consentientem, quàm quiuis ex semetipso experiatur quotidie homulus. Explicatur. Libertatem à Deo accepimus, nostrorum actuum habemus dominium cum tanta perfectione, vt immunes simus ab omni coactione & necessitate, possimus-

que velle & nolle independenter ab omni extrinseco, nostrosque ab vno in aliud immutare actus. At, an non & hoc ipsum Omnipotenti Deo denegant, dum asserunt debere Deum, non solùm loci & temporis circunstantias, sed & bonam obseruare dispositionem illius, cui suum confert auxilium, vt fiat efficax, suumque sortiatur effectum.

XVIII. Verùm quis hoc credat? Nonne in Saulo & Assuero oppositum suprà euidentissimè demonstrauimus, quorum nulla erat dispositio nisi pessima? Legatur Doctor Angelicus 1. p. q. 19. a. 8. & alibi millies: cuius testimonia si hic essent inferenda, totus ferè textus illius esset quoque exscribendus: idemque dicere possumus de Sanctiss. Præsule Augustino, cuius vnum aut alterum hic subijciam testimonium.

In Enchirid. c. 55. [Efficacissima Dei voluntas, inquit, multa potest quæ non vult: nihil autem vult, quod non possit: iuxta illud, omnia quæcunque voluit, fecit, &c. quod vtique non esset verum, si aliqua voluit, & non fecit, & quod indignius est, ideò non fecit, quoniam ne fieret quod volebat Omnipotens, hominis voluntas impediuit.]

Idem docet lib. de corr. & gratia c. 14. [Deus, inquit, facit quod vult etiam de ipsis hominum voluntatibus, habens sine dubio humanorum cordium quocunque placuerit inclinandorum omnipotentissimam potestatem, cùm magis habeat in sua potestate hominum voluntates, quam ipsi suas.] Legatur & ibidem cap. 18.

XIX. Quod etiam nec ab vllis circunstantiis loci ac temporis dependeat ille: non minus manifestum est ex D. Augustino tract. 104. in Ioa. nam, [Omne tempus, & quid & quando faceret, vel fieri sineret, ab illo est dispositum, qui tempori subditus non est: quoniam quæ futura erant, per singula momenta, in Dei sapientia, causas efficientes habent, in quo nulla sunt tempora.]

Rursusque potest ex eodem, hom. 23. c. 6. hoc ipsum confirmari efficacius, [Hoc, inquit, dicit tibi Deus tuus, Regebam te mihi: Seruabam te mihi vt adulterium non committeres. Suasor defuit, & vt deesset ego feci: locus & tempus defuit, & vt hæc deessent, ego feci: adfuit Suasor, non defuit locus, non defuit tempus, vt non consentires, ego terrui. Agnosce ergo gratiam eius, cui debes & quod non admisisti.]

Proh Deum immortalem! quanto prædicta hæc distant interuallo, ab illorum placitis, qui Deum volunt (si sic loqui fas est) more venatorum debere esse exploratorem nostrarum inclinationum & dispositionum? Quasi verò non possit ille, quando, vbi & quomodo voluerit eas efficere sua omnipotentissima virtute, vt loquitur D. Augustinus, idque pari facilitate. Sit ergo hæc dependentia homini propria, qui nulla virtute efficaci tangere valet arcana cordis humani, nisi precariò, vt sic loquar, & motione morali: Sed ne adhuc hic anceps hæreas, audi rursùm semel saltem Candide Lector Ecclesiæ Oraculum Augustinum in Enchir. *Quis, inquit, tàm impiè desipiat, vt dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, vbi voluerit, in bonum non posse conuertere?* Et D. Prosperum carm. de ingrat. *Deo*, inquit, *Tempus agendi semper adest, nec moribus hominum, vlla fit illi mora: nec causis anceps suspenditur vllis, &c.*

Profectò, prædictis attentiùs consideratis, indignissimè de Deo sentiret, qui adhuc autumaret ipsum in agendo ab vllis personæ dispositionibus aut loci vel temporis dependere circunstantiis, cæcutiretque in meridie, cuius hac in re animus circa mentem Sancti Præsulis anceps hæreret.

XX. Hic fortasse desideraret aliquis, vt in memoriam reuocaremus, quanto distet interuallo Doctrina Thomistarum à commentis hæreticorum nostri temporis libertatem indifferentiæ destruentium: Sed quia hoc ipsum superiùs tàm fusè prosequuti sumus lib. 1. cap. 15. superfluum foret hic quidquam superaddere. Sufficit vt teneamus gratiæ necessitatem tantam esse, vt sine eâ nihil boni possimus, cuius gratiæ adiutorio etiam potentissimo & efficacissimo liberum hominis arbitrium, nec læditur nec adimitur, sed sanatur & liberatur: quod nulquam impedit, vt optimè aduertit Doctor Angelicus citatus cap. 15. ex q. q. disp. [Quominus causa secunda sit principalis, quatenùs effectus magis ei assimilatur, quamuis aliunde aliqua singularis prærogatiua ipsi Deo tribuatur in quantùm prius ac magis in ipsum liberum arbitrium creatum & cum ipso in illius effectum operatur.

Nec debet quisquam, vt ait D. Augustinus] hâc profunditate turbari, aut subinde sibi tribuere quod bonus sit & non Deo: quia omne bonum desursùm est ab eo & per eum à quo sunt omnia. Quare hoc vnum Sancti Antistitis testimonium semper pre oculis habeat pius lector lib. 2. contra 2. Epist. Pelag. cap. 1 *Sicut, inquit, Medicus corporis non continuò pronũtiasset à mortis periculo liberum, quem negasset hydropicum, si alio lethali morbo perspexisset ægrotum, ita istis non ideò veritas gratulatur, quia Manichæi (o si vis Caluinistæ aut Lutherani) non sunt, si alio peruersitatis genere insaniunt*, v. g. Pelagianorum aut Manichæorum erroribus, quibus vt diximus patet aditus ex sola eliminatione Prædeterminationis Thomisticæ.

XXI. Ex dictis, colligere licet quæ sequuntur. Primò naturę impotentiam, quæ independenter à Deo nullum in actum prorumpit. Secundò ex diuersis gratiæ effectibus confusè acceptis constat nonnullos Antithomistas hac in parte allucinatos, dum priores semetipsos in Dei donis faciunt, Deum verò posteriorem. Tertiò Sacrâ itidem Scripturâ illos abuti ostendimus, qui Deum autumant debere expectare conuersionem creaturæ vt ad illam ipse conuertatur. Quartò concursus, tùm simultanei, tùm motionis moralis patet insufficientia. Quintò non magis arridet, nec minus inutilis est concursus alius, præuius quidem, sed indifferens & indeterminatus, loco Prædeterminationis physicę ab aduersariis excogitatus. Sextò denique, sufficienter quoque demonstrauimus Deum opt. non dependere in agendo à dispositione creaturæ, aut à quibusdam aliis circunstantiis loci vel temporis quas expectare teneatur, vt aliquid certò per nos operetur. Quibus præmissis sufficientissimè innotescit necessitas physicæ Prædeterminationis, Legendus omninò liber primus.

PARAGRAPHUS TERTIUS.

In quo ex præcipuorum argumentorum congerie, Doctrina superiùs stabilita de Prędeterminatione physica manifestiùs illucescit.

I. SI hanc Cœli regionem apertius nitentem, quam vocant viam lacteam, confici ex infinito propè stellarum numero, quę tùm ob nimiam illarum distantiam, tùm ob imbecilliorem oculorum nostrorum aciem, distinctè nequeunt apparere, non immeritò arbitrati sunt Philosophi. Quis indignè ferat, à me semitam sterni consimilem ex innumeris rationum momentis, tùm suprà relatis, tùm ex aliis infrà insinuandis atque indigitandis, ex quibus velut ex totidem syderibus adunatis fiat nouus splendor vel speculum, in quo res in controuersiam superiùs adducta, luce meridianâ euidentior innotescat.

Hic ergo ex 16. capitibus quibus constat liber secundus tres tantùm demonstro argumentorum cuneos, Thomisticam sustinentes Prędeterminationem quorum vel minimo seu infirmiori cedat necesse est omnis qui pertinax vel Momus non fuerit.

Primus ex Scriptura oritur lib. 2. c. 11. fusissimè expositâ à præcipuis Ecclesiæ Doctoribus, Augustino, Angelico Doctore & aliis: ex qua docemur decretum voluntatis Diuinæ, quæ est causa rerum, esse infallibile; quia sic agit Deus etiam in agentibus liberis, vt eius nunquam frustretur intentio cùm aliquid fieri absolutè voluerit. Ex eadem Scriptura habemus Diuinam voluntatem esse efficacissimam, quæ cor emollire possit quantumuis induratum, omnemque voluntatis creatæ motum producere, ac multò melius quàm ipsa voluntas creata.

II. At, hæc & similia explicari, syncereque intelligi non posse sine physica Prædeterminatione, seu auxilio illi correspondente, dicto cap. 11. apertissimè demonstrauimus, saluâ semper libertatis creatæ indifferentia. Nam vt ait D. Augustinus lib. de corr. & gratia c. 12. *Tantùm accenditur voluntas eorum quibus gratia imperat, vt ideò possint, quia sic volunt: ideò sic velint, quia Deus operatur vt velint.*

In eadem est sententia Sanctus Prosper lib. contra Coll. c. 6. vbi loquens de vocatione illa efficaci, qua venerunt ad nuptias, qui fuerant inuitati, ait, *Deus cùm impium vocat, non trahit resistentem, sed ex inuito facit volentem, vt cor audientis delectatione infusâ, ibi surgat, vbi premebatur: ibi discat, vbi ignorabat: inde fidat, vnde diffidebat: inde velit, vnde nolebat: non est ergo periculum, inquit, quòd ex gratiâ Dei voluntas auferatur, cùm in ipsa bonum velle generatur.*

Rationem huius assignat author lib. 1. de vocatione gentium. [Quia, inquit, liberum arbitrium, quod non fuit interfectum per vulnerantem, non tollitur per sanantem: vulnus sanatur, non natura remouetur.

III. Itidem mellifluus Bernardus explicans qui ipsa gratia cooperans sit adhuc pręueniens, ait lib. de gratia & lib. arb. [Cauendum est, ne cum hęc inuisibiliter intra nos ac nobiscum actitari sentimus, aut nostræ voluntati, quę infirma est, aut Dei necessitati quæ nulla est, sed gratiæ quà plenus est, attribuamus. Ipsa liberum excitat arbitrium, cùm pium seminat cogitatum; sanat, cùm immutat affectum; roborat, vt perducat ad actum: seruat, ne sentiat defectum. Sic autem ista cum libero arbitrio operatur, vt tantùm illud in primo præueniat, in cæteris comitetur] Hâc aguntur homines vt agant, inquit, D. August. non vt ipsi nihil agant: vnde ait Apostolus, *Non ego, id est solus, sed gratiâ Dei mecum*, Quia ipsius gratiæ nedum minister, sed quodammodo socius per consensum, quæ me excitauit, adiuuit, roborauit, cui proinde primam ac potissimam laboris mei partem, immò totum tribuo, *Quid enim habes quod non accepisti, & si accepisti, quid gloriaris?*

IV. Ad istud prius argumentorum genus, propiùs accedit aliud ex Tridentina Synodo erutum: nam iudice Constantino Imperatore, *Quidquid in istis Episcoporum Conciliis decernitur, id vniuersum Diuinæ voluntati debet attribui.* At suprà ostendimus ex huius Concilij decretis, exordium iustificationis nostræ quo quisque ad conuertendum se disponitur, sumi à gratia, non tantùm excitante sed & ab adiuuante, quæ tanquam vera causa liberum arbitrium pręueniat, ac voluntatis humanę consensum coefficiat, nusquam impediat aut lædat.

At, in hoc Concilio inspirati Sancti Dei homines, medium quod tenuere beati, statuerunt inter Caluinistas ac Pelagianos, idque in principiis Doctrinæ Angelici Doctoris, qui pro astruenda aliqua gratia per se efficaci, Prædeterminationem physicam stabiliuit ex fundamento ac basi Philosophiæ naturalis. Quam D. Thomæ Doctrinam toti Ecclesię sequendam proposuerunt Summi Pontifices, Pius Quintus & alij in Catechismo dictæ Synodi contentam, in quo, 1. p. Art. 1. Symb. num. 24. habetur, [Non solùm autem Deus vniuersa quę sunt, prouidentiâ suâ gubernat atque administrat, verùm etiam quæ mouentur & agunt aliquid, intimâ virtute ad motum atque actionem ita impellit, vt quamuis causarum secundarum efficientiâ non impediat, præueniat tamen, cùm eius occultissima vis ad singula pertineat: & quemadmodum Sapiens testatur: Attingit à fine vsque ad finem fortiter & disponit omnia suauiter, &c.]

Quid quęso clarius aut efficacius in re pro qua militamus? Maximè si ponderentur, vt par est, alia eiusdem Catechismi verba, quibus vera causa necessitatis huiusmodi Prædeterminationis exprimitur, quæ est, vt diximus paragrapho primo, dependentia creaturæ à Deo, *Nos verò, inquiunt illi Patres loco supra citato, ita Deum Creatorem atque effectorem omnium credere oportet, vt existimemus perfecto absolutoque opere, ea, quæ ab ipso facta sunt, deinceps sine eius infinita virtute constare potuisse, &c.* Verùm, quia istud suprà fusiùs multis rationibus & exemplis, tàm Lunæ, quàm aëris illuminati à Sole prosequuti sumus, modò ab his referendis abstinemus Legatur cap. 10. libri 2.

V. In tertia argumentorum classe, collocandæ sunt orationes Ecclesię, nam si vt ait Cęlestinus Papa in Epist. ad Gallos, *Legem credendi statuat lex supplicandi*, Pro quibus tantam haberet venerationem Innocentius Primus, vt publicè protestaretur, eò potissimùm Pelagij & Cælestij Doctrinam se se detestari, *Quòd pestiferis suis dogmatibus orationes Ecclesiæ euerterent*, Sanè nullus est Christianus apud quem magno in prætio esse non debeant.

At, quid postulamus? Idipsum quod daturus est Deus opt. Quodque ab eo non datur, nisi quatenùs ab ipso causatur. Verùm, petimusne aliquod auxilium quod sit ex se indifferens & indeterminatum, seu quod det (posse) tantùm, nomine gratię sufficientis nuncupatum? minimè. Sed

Sed præter prędictum ; sæpius à Deo postulamus adiutorium fortius, quod actum inferat liberum, tàm in nobis quàm in aliis, eoque assequamur de facto, quod nobis promittitur à Deo.

At tale auxilium (quod est efficax ex se) in ordine superiori, idem est omninò ac ipsa Prædeterminatio Thomistica in ordine inferiori, vt diximus. Legatur igitur totum caput 9. lib. 2. vbi plures indicantur Ecclesiæ preces, quibus petimus v. g. vt ea quæ pro peccatis nostris patimur, Deo adiuuante vincamus. Vt quę Deo sunt placita, & dictis exequamur & factis. Vt inueniamur & in fide stabiles & in opere efficaces. Vt rebelles ad se propitius compellat Deus voluntates, &c.

Consulat qui voluerit & ipsum Sanctiss Hyponensem ibidem citatum ex lib. de gratia Christi cap. 25. *Quomodo, inquit, quod possumus benè agere Dei est; quod autem agimus, nostrum est ? Cum dicat Apostolus, orare se ad Deum, pro his ad quos scribebat, ne quid mali faciant, & quod bonum est faciant; non enim, ait, oramus vt possitis nihil mali facere, sed ne quid faciatis mali, nec vt possitis bonum facere, sed vt bonum faciatis.* At (ipsum agere) præstat solum auxilium efficax, quo Deus operatur (& velle) nam vt ipsemet ait serm. 3. de verbis Apostoli, *Volo vt velis, sed non sufficit vt velis, adiuuandus es vt plenè velis*, Adiuuat autem Deus vt ibidem docet in Epist. ad Rom. *Quatenus vires currentibus prabet, sine quibus nec voluntas, nec cursus noster sufficit*: Quapropter, inquit, Epist. 108. *Si voluntas sufficeret (vt scilicet non intremus in tentationem) non oraremus, qua tamen si deesset, nec orare possemus : adsit ergo vt velimus, oremus autem vt valeamus.*

VI. Vrgeo magis : Oratio, teste D Augustino, est clarissima gratiæ testificatio. Quid ergo petit Ecclesia, cum pro obduratis peccatoribus orat vt ex nolentibus fiant volentes, ex repugnantibus consentientes, ex odientibus amantes ? Quî ista adeò difficilia, fieri possunt ? Nonne illâ potenti virtute Dei opus est, ac voce quâ confringit Cedros Libani ?

Præterea. Concedat Deus precibus alicuius sancti exoratus, obedientiam rebellis & obdurati peccatoris; aut conuersionem & consensum in fidem alicuius infidelis : sicut aliàs promiserat Abrahæ fidem Gentium. Quęro an huiusmodi conuersionem ac consensum in fidem, liberamque voluntatis creatæ determinationem possit Deus causare ? An id expectare teneatur à creatâ voluntate ? Si primum : ergo habent intentum assertores Prædeterminationis, qui nunquam aliud postularunt : sed ad hoc requiritur auxilium fortius gratiâ sufficienti, quâ non rarò peccator abutitur. Si alterum dicatur: reclamat Sanctus August. lib. de Prædest. Sanct. cap. 10. *Quando, inquit, promisit Deus fidem Gentium (qua esse non poterat sine motu libero, consensu & determinatione voluntatis create) dicens, Patrem multarum Gentium posui te, &c. Promisit, Deus, quod facturus ipse fuerat, non quod homines : quia etsi faciunt homines, bona, qua pertinent ad colendum Deum, ipse facit vt illi faciant, qua pracepit, non ipsi faciunt, vt ille faciat.*

VII. Quartum hic locum obtinebunt argumenta ex ipso rationis lumine deprompta : nam si per eam teste Senecâ, *Homo catera antecedit animalia ac Deum sequitur*, Æquissimũ sanè est quò [illegible]eam hoc in negotio consulamus; eò potissimùm quòd ipsa sit (si Tullio fides sit habenda) quæ ab hominum contubernio & societate dissidia exulare faciat.

Probatur ergo primò necessitas prædictæ Prædeterminationis, tàm in agentibus necessariis, quàm in liberis. Omne agens secundum essentialiter subordinatur Primo, & dependet ab eo, non solùm in esse entis, & in ratione principij habitualis suæ operationis : sed etiam in ratione agentis & principij actualis eiusdem operationis : aliàs, cùm esse principium actuale sit quid reale extra Deum, idque quod est magis actuale ac perfectum; si in eo non dependeret creatura à Deo, esset ipsa primum principium & prima causa suæ operationis, cùm in sola hac independentia consistat ratio Primi Motoris.

Sed omne Agens, quod sic essentialiter subordinatur Primo, debet ab eo præmoueri & prædeterminari, aliquid recipiendo ab ipso, quo eleuetur & fiat actu agens seu principium actuale operationis suæ: (nam si nihil recipiat, & immutatum maneat, semper remanebit impotens, id est, principium habituale tantùm, quia idem manens idem, semper facit idem : seu vt verius loquar, semper nihil faciens) tale autem non fit nisi per aliquid præuium ad ipsam operationem : nam id à quo effectiuè procedit ipsa operatio, debet illam antecedere naturâ & causalitate, vtpote influens in ipsam. Ergo prædicta Prædeterminatio est omninò necessaria, per quam agens habituale, à quo non pendet proximè ipsa operatio, cùm ab inuicem separentur, reducatur ad actum.

VIII. Probatur secundò. Causa Prima vtpote vniuersalissima est causa actionis creaturæ, non solùm secundum substantiam actus, verùm etiam secundum hunc realem modum, secundum quem actio ipsa est à creaturâ : sed Causa Prima non potest esse certò causa talis actionis secundum illum talis actionis modum, secundum quem actus est à causa secunda præcise, nisi influe[illegible]do aliquid reale & præuium in ipsam causam secundam, quo, actu applicetur ad productionem talis actus, vt patet ex dictis, de insufficientia concursus simultanei, motionis moralis & influxus indifferentis. Ergo illud præuium est necessarium. Id autem Præmotio dicitur. Ergo, &c.

Probatur tertiò. Si Deus non præmouet causam secundam ad operandum, sequitur ipsam esse Primum se Mouens in operando & consequenter primum agendi principium simpliciter. Sed quòd creatura sit Primum se Mouens ; est maximum inconueniens viam aperiens hæresi Manichæorum : ergò, &c.

Sequela Ma. probatur : quia agens quod à nullo mouetur ad operandum est primum se mouens vt patet ex D. Thoma : sed remotâ physicâ Prædeterminatione, tale est omne agens creatum respectu suæ operationis, ergo, &c. Mi. etiam probatur : nam cum operari sequatur esse, sitque illi proportionatum : quod non potest esse primum ens simpliciter, nec esse potest Primum Agens.

Probatur quartò. A Causa contingenti & libera, inquit Doctor Angel. 1. p. q. 19. a. 3. ad 5. non sequitur determinatus effectus, nisi ipsa ab aliquo prędeterminetur. Sed voluntas creata est causa maximè contingens & libera. Ergo, &c. Vtraque præmissarum est euidens, tàmque efficaciter & apertè superius enucleata, vt eam hic indigitasse sufficiat. Vide lib. 2. cap. 8.

Quintò. Causæ singulari, perfectissimæ & maximè independenti, debetur agendi modus, singularis, perfectissimus ac summè independens : sed talis est, & solus, ille agendi modus qui per Prędeterminationem Thomisticam Deo opt. qui est causa singularis, perfectissima, maximeque independens, attribuitur. Ergo talis agendi modus est omninò admittendus. Ma. per se patet. Mi. etiam sufficientissimè probata est ex iis quæ suprà diximus, quando demonstrauimus Deum in agendo non dependere ab vllo, cui non so-

lùm locus aliæque circunstantiæ, sed & ipsum tempus agendi semper adest, & id sine præerequisitis personæ dispositionibus, quas ab ea expectare teneatur, cum in momento vel ictu oculi, omnes quas voluerit dispositiones in ea & per eam efficere possit.

IX. Sextò denique probatur: nam cum dixit Doctor Angelicus 1. p. q. 45. a. 5. o. [Effectus vniuersaliores reducendos esse in causas vniuersaliores & priores; & ipsum, *esse*, esse omnium vniuersalissimum; aliud nobis exhibuit argumentum, quo hic efficacissimè probetur intentum: nam cum ratio entis non possit ab vllo alio produci principaliter nisi à solo Deo; necesse est ab eo præueniri in agendo, quoduis agens creatum, vt in suo effectu hanc rationem entis attingere possit. Verùm quia istud fusè exposuimus, legatur totum cap. 8. lib 2. & in eo perpendantur omnia D. Thomæ testimonia ibidem relata, detectis etiam subterfugiis aduersus Prædeterminationem excogitatis, quæ tàm procul sunt ablegata & explosa, vt nihil dicendum supersit.

Nisi à Diuinæ voluntatis Interprete Sanctum Præsulem Augustinum diuellere moliri essent nonnulli; nullam hic de illo specialem mentionem faceremus: nam hoc negotium dirimere potiùs rationum pondere decreuimus, quàm authoritatum multitudine. Ille verò existimat non sufficere vt sentiamus de Domino in bonitate, nisi simul & magnificè sapiamus de eius Dominio, Maiestate & Potentia in agendo, sine qua, vt ait S. Præsul nutat ipsum fidei nostræ fundamentum quæ Deum omnipotentem confitetur, *Credimus enim, inquit Apostolus ad Ephes. 1. v. 19. secundum operationem virtutis eius*, Vnde & D. Augustinus in Enchi. cc. 95. & 96. affirmat magnum esse inconueniens si Omnipotentis & cuncta scientis intentio ab vllo homine impediatur. Vide lib. 1. operis vlt. in Iulia. cap. 93.

X. At quamuis sufficienter innotescat ex dictis, à nullis melius quàm à Thomistis, hunc singularem ac magnificum agendi modum saluari, quem per Diuinam Prædeterminationem tuentur Thomistæ; hic fortasse non iniucundum erit Sanctissimum Antistitem loquentem inducere, in cuius verbis non minus euidenter elucescit prædicta Prædeterminatio, quàm si proprio esset expressa vocabulo. Nam quo nomine vocabitur illud auxilium, quo Deus opt. quando, vbi, & quomodo vult, in hominibus certò operatur vt velint, & ita subuenit imbecillitati voluntatis humanæ, vt quamuis infirma non deficiat, aut aduersitate aliquâ vincatur. Sed sic loquitur de auxilio Dei D. Augustinus lib. de cor & gratia cc. 12. & 20.

Quo itidem vocabulo & illud Dei auxilium nuncupabitur, quo ita præparata est voluntas Gentium, vt certissimè vellent id, quod nolle potuissent, Deo ipso hoc præstante, ne scilicet euacuaretur promissio facta Abrahæ de eorum conuersione. Vide lib. 2. contra Iulianum & lib. de Prædest. Sanct. & tom. 7. lib. de corr. & gratia cap. 14. [Deo saluum facere volenti (inquit Diuinus Antistes) nullum hominis resistit arbitrium (licet semper resistere possit) sic enim velle & nolle, est in volentis aut nolentis potestate, vt Diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem, Deo faciente quod vult de ipsis hominum voluntatibus, habente sine dubio humanorum cordium quò placeat inclinandorum potestatem omnipotentissimam.]

XI. Rursùm. Deo volenti Regnum dare Saüli, valebant quidem Israëlitæ Deo resistere; non tamen restiterunt. Quare? Quia (inquit Sanctus Augustinus) Deus egit intùs, corda tenuit, eosque voluntatibus eorum, quas in illis operatus est, traxit: magis habens in potestate sua voluntates hominum quàm ipsi suas. Lege eundem lib de gratia Christi cap. 26.

Similiter si quæras vnde, v. g. non defecerit fides Petri? Respondet idem Antistes [Quia sic præparata est eius volũtas à Domino, vt pro illo non esset inanis Christi oratio, nam quando rogauit Christus, inquit August. ne fides Petri deficeret, quid aliud rogauit, nisi vt haberet in fide, liberrimam, fortissimam, inuictissimam & perseuerantissimam voluntatem? Ecce, inquit ipse, quemadmodum secundum gratiam Dei, non contra eam libertas defenditur voluntatis: voluntas quippe humana non libertate consequitur gratiam, sed gratiâ potiùs libertatem, & vt perseueret, delectabilem perpetuitatem & insuperabilem fortitudinem.]

His ergo & similibus in memoriam breuiter reuocatis; iam discurrere libet per singulos modos explicandi concursum Dei, nùm sit vel vnus cui tantillùm quadrare possit loquendi modus Sanctissimi Præsulis, exceptâ vnicâ Prædeterminatione Thomisticâ in ordine naturæ, ac præfato gratiæ per se efficacis auxilio, Thomistis speciali iure concredito, atque ab illis, fauente Numine, semper quàm strenuè propugnãdo, vtpotè Diuino Hyponensi, Sanctissimi Præceptoris Angelici Doctoris exemplo, tanquam hædera parieti, adhærere paratissimis.

XII. Denique, quî fieri posset, vt D. Angelicus in propria causa non audiretur? Verùm, si hic esset referendus, tres libri præcedentes essent ferè exscribendi, cum in illis vix vna sit pagina, in quâ plures Sancti Doctoris non sint respersæ authoritates. Sufficiat ergo caput 5. libri secundi indigitari, dùm hic ipsam Prædeterminationẽ Thomisticam, non tantùm quoad rem, vt infinitis propè locis hactenùs, sed etiam quantùm ad ipsum vocabulum exhibemus.

Primo ad Anibaldum dist. 47. quæst. vnica. a. 4. loquens de Diuina voluntate, quæ est causa rerum, ait D. Thomas, *Non solum res in esse producuntur à Deo, (loquens tàm de agentibus necessariis quàm de liberis,) sed etiam rebus producendis modum quo producantur, prædeterminanit.*

Item in commentariis super D. Dionysium de Diuinis nominibus cap. 5. lect. 3. exponit Doctor Angelicus verba D. Dionysij dicentis, *Exemplaria in Deo esse prædefinitiones & voluntates Diuinas existentium prædeterminatiuas & effectiuas. Quia has rationes, inquit D. Thomas, supersubstantialis essentia Dei, prædeterminauit.*

Et rursùm q. 3. de verit. a. 1. in o. sub finem, *Ideas Diuinas, quas superiùs etiam ad genus causæ efficientis pertinere ostendimus, vocat D. Thomas exemplaria, &c. & bonas voluntates existentium prædeterminatiuas & effectiuas secundum quas supersubstantialis essentia, omnia prædefiniuit & produxit.*

Item quodlib. 12. q. 4. a. 1. ait Doctor Angel. *A Causa supercœlesti omnia esse prædeterminata & ordinata.*

XIII. Quid ad hæc, Candide Lector? Tibi ne superest aliqua de mente D. Thomæ dubitatio? Quid causæ, cur Thomistis facta non fuerit licentia vsurpandi nomen Prædeterminationis, facta tamen Theologis, nomen Prædestinationis, nullibi in Sacrâ Scripturâ expressum, nisi quia ter ad summum, vsus est Apostolus verbo, prædestinare: at dubio procul pluries & vsus est Doctor Angelicus, verbo, prædeterminare, vt patet, tùm ob essentialem subordinationem, quam habet in agendo quælibet creatura ad Deum, tùm ob certitudinem Dei agentis vtcumque

exprimendam aliasque rationes superiùs assignatas. Non diffiteor, nonnulla ex allatis D. Thomæ testimoniis, intelligenda esse de decretis Diuinæ voluntatis. Sed cùm ipsa sit causa rerum & quidem efficacissima, si sermo sit de voluntate Dei absoluta, cuius est executrix Prædeterminatio Thomistica, hoc subterfugium nullo modo fauet Thomistarum aduersariis, quorum plures non minus refugiant ab absolutis Dei decretis, quàm à physica Prędeterminatione, illa enim non negarunt, nisi vt viam sibi sternerent ad istam è medio auferendam.

XIV. Secundò. Certum est aliquas, ex prædictis, authoritates manifestissimè ipsam exprimere Prædeterminationem Thomisticam, vt constat ex illa, in qua bis ait D. Thomas post Sanctum Dionysium, exemplaria in Deo, esse voluntates Diuinas, *Existentium Prædeterminatiuas & effectiuas*; Vbi, vt constat, non loquitur tantùm de decretis Diuinæ voluntatis, sed de eorum executione, quam diximus fieri physicâ Prædeterminatione, vnde ait, *Prædefiniuit & produxit.*

Verùm, cùm in fauorem, maioris sit ponderis argumentum, spontaneum partis aduersæ testimonium, hic non inseram ea quę in Congregatione 4. de auxiliis sub Paulo Quinto concessa sunt Thomistis à R. P. Christophoro de Las Escobos, Arrubali, & paulò pòst à R. P. Greg. de Valentia, quæ videri poterunt in lib. cui titulus est, *Theses apologeticæ aduersus solutionem quæstionis Theologicæ, &c. Gratianopoli an. 1644. editæ.* Sed id tantùm quod quotidie nobis concedunt aduersarij, mihique ipsi in publicis disputationibus pluries vltrò datum, nimirùm, aptissimum esse, *Prædeterminationis physicæ*, vocabulum, si aliundè constaret apertè ex D. Tho. dari influxum Dei in causam secundam, quo Deus illam, verè, propriè, actiuè, nedum moraliter moueat. Atqui centies hactenùs id ita fieri, ex Sacra Scriptura, Conciliis, D. August. & D. Thoma, aliisque Sanctis Patribus apertissimè demonstrauimus: ergo, &c.

Confirmatur efficacissimè ex D. Dionysio c. 4. de Diuinis nominibus, vbi à Sancto Antistite Deus dicitur, *Causa amoris nostri, sicut emissor & progenitor*, Quæ verba exponens Doctor Angelicus, ait, *Deus est causa efficiens mouens voluntatem effectione physicâ*, Quid ad hęc Candide Lector? Superest ne Æmulis nostris quidquam expostulandum? En idipsum quod tàm importunè efflagitarunt, quodque tantâ synceritate & constantia Thomistæ hactenùs propugnarunt, sub nomine Præmotionis & Prædeterminationis physicæ, quæ vt toties ostendimus, non nocet sed fauet libertati: quid enim tàm liberum quàm amor noster, cuius tamen causa Deus est, *Sicut emissor, inquit, & progenitor*, Legendus Doctor Angelicus 1. p. q. 105. a. 5. q. 3. de potentia a. 7. 1. 2. q. 6. a. 1. ad 3. & q. 10. a. 1. de verit. q. 22. a. 9. de malo. q. 3. art. 3. Quid plura? Si tot habeat D. Thomas (de cuius mente iam nemo possit hàc in controuersia dubitare) fidei iussores ac testes, quot & suæ Doctrinæ sectatores, non amplius necesse est reuocare illam authorum multitudinem de qua in indice fit mentio, ex quibus deprompta est Doctrina prædicta, cum totus ferè orbis Christianus Sancto Doctori suffragetur.

1. De vniuersa FF. Prædicatorum familia, nemo dubitat, quin sit Angelico Doctori addictissima. Porrò qui in hoc FF. Prædicatorum Ordine præcipui fuêre Thomisticâ imbuti Doctrinâ: præter nouem Diuos Sanctorum catalogo cum Doctore Angelico inscriptos. Tres fuerunt Summi Pontifices, Innocentius Quintus. Benedictus XI. & Pius Quintus. Quinquaginta Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales. Quindecim Patriarchę. Sexcenti & triginta Archiepiscopi. Episcoporum verò tanta fuit multitudo (inquit Ioa. Blanconius Minorita) vt nemo sit, qui hactenùs eos numerare potuerit. Sexaginta sex Magistri Sacri Palatij (quorum primus fuit Beatiss. Patriarcha Dominicus) de quorum merito, si ex illorum in Ecclesia (vt par est) dignitate liceat diiudicare: septem ex illis creati sunt Cardinales. Vnus ad Patriarchatum fuit assumptus. Tres ad Archiepiscopatum: & duodecim ad Episcopatus erecti sunt. Reliqui prædicto Officio immortui vitæ sanctitate & Doctrina Ecclesiam illustrarunt, vt Candidus: Syluester: Richardus, &c. Omitto ex eadem FF. Prædicatorum familia Sancti Officij Commissarios Generales, innumerosque fidei Inquisitores. Sique mihi liceret, illis accenserem complures alios sapientissimos ex prædicta Familia assumptos in Principum Magistros, aut Regum Confessores: inter quos Regum Galliæ sexdecim recensentur. Regum Poloniæ, viginti. Regum Lusitaniç, quatuordecim. Regum Hyspaniæ iam à pluribus annis quadraginta septem numerabantur, quo in Regno hactenùs Reges, nullos alios præter Dominicanos sibi elegerunt in Confessores. Et vt paucis dicam: ex vnico eiusdem Ordinis Camberacensi conuentu in Sabaudia, olim successiuè selecti sunt octo-decim Dominicani in Confessores Ducum Sabaudię: & tres in Principum Burgundiæ & Belgij. Quibus Magnatum gratiis ac fauoribus expleti, immò fatigati modò Dominicani, ab omni inuidia prorsùs alieni, iam læto, æquiorique animo consimilibus alios quoque suo tempore honoribus potiri intuentur: etenim summæ est ęquitatis & iustitiæ, vt alij per rerum vices & temporum interualla (quæ omnia mutant) fruantur muneribus, quibus Ordo FF. Prædicatorum quadringentis annis ferè continuis decoratus est. Quid ad hæc Amice Lector, plures ne aut illustriores expostulas Doctrinæ Diui Thomæ aut Religionis alicuius discipulos aut Professores? Reuoca quæ diximus lib. 2. c. 10. Et lege Sabellicum Æneade 9. lib. 6. vbi refert ille sua iam ętate, id est, anno circiter 1490. è sola FF. Prædicatorum Familia, iam mille quingentos Theologiæ Thomisticæ Professores eximios floruisse.

2. Eundem Ang. Doctorem sequitur Ordo sacer Heremitarum Sancti Augustini ex Const. suis p. 5. c. 2. de officio Regentis.

3. Congregatio Sancti Saluatoris Lateranensis Canonicorum Regularium ordinis eiusdem Sancti Augustini, ex suis itidem constitutionibus p. 2. c. 11. de litterarum studiis, quę ait, *Si ambo Theologi ex nostris haberi non poterunt, saltem alter sit ex nostris, alter verò ex ordine Sancti Dominici.*

4. Gallicana Congregatio Canonicorum Regularium Ordinis eiusdem Sancti Augustini.

5. Sacer Carmelitarum reformatorum ordo in constitutionibus Prouinciæ Turonensis reformationis Gallicanæ.

6. Theresiana Excalceatorum Familia, pietate & Doctrinâ verè Seraphyca, tota Thomistica, nec hoc in zelo ipsis cessura Dominicanis.

7. Regalis Ordo Beatę Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum.

8. Congregatio Barnabitarum.

9. Congregatio Patrum Doctrinę Christianę.

10. Piissimorum nec non Doctissimorum Presbyterorum Oratorij Congregatio.

11. Florentissima Societatis IESV Religio, ex constitutione sub ipsomet Sancto Patriarcha Ignatio habita, vbi Doctrina D. Thomę à suis legenda pręcipitur. p. 4. cap. 14. sect. 1. & in Congregatione quinta Generali can. 9. ordinatur, vt Lectores Societatis qui Doctrinę D. Thomę non fuerint benè affecti, a docendi munere

repellantur. Et ibidem can. 56. hęc habentur, *Nullius hoc tempore Doctrina potest occurrere, quę sit eâ (scilicet Thomistica) solidior aut securior, vt non immeritò, Sanctus Thomas Theologorum Princeps habeatur.*

12. Deuoti Patres, nomine Minimi, charitate & merito Maximi, qui in penultimo suo capitulo Generali, Barcinone, celebrato, anno 1661. die 30. Maij, Diuum Thomam in sui Ordinis Doctorem sequenti ordinatione elegerunt. [Capitulum Generale Ordinis Minimorum, &c. Præsidente in eo Illustrissimo & Reuerendissimo Domino Francisco de Creppi Valdaura & Boria, Episcopo Vicensi in Principatu Cathalaunię, &c. In locum Capituli se se receperunt Patres, sessione vltima, in quâ aliqua decernere statuerunt, quæ ad Religionis commodum conducere visa sunt. Et in primis statuerunt lectores nostri Ordinis quantùm fieri potest Angelicam Sancti Thomæ Doctrinam sequi debere: quos etiam cohortamur studio quo possunt maiori, vt ab scopo tanti Doctoris nunquam discedant.]

Et hi sunt veluti duodecim Cœlitum Chori, apud quos præclara Angelici Doctoris encomia in æuum sanctum resonabunt.

XV. In eandem D. Thomæ Doctrinam coëunt totius Orbis celebriores Academiæ. Primò Parisiensis, quæ ore Stephani 2. Episcopi sui, Diuum Thomam vocat, *Vniuersę Ecclesię lumen præfulgidum.*

Secundò, Tolosana, cui ab Vrbano Quinto datus est Doctor Angelicus in Magistrum, sicut & vbi in Patronum.

Tertiò, Salmanticensis, quæ Doctrinæ D. Thomæ Professores suos iuramento adstringit.]

Quartò, Duacensis 5. Patauina 6. Louaniensis, ad quam post damnatas quinque propositiones, Innocentio Decimo oblatas, eius Successor Alexander Septimus anno 1660. die 7. Augusti diploma direxit, quo intactam & inconcussam D. Thomæ Doctrinam declarauit. Quod præstitit Summus Pontifex contra quosdam Doctrinæ D. Thomæ inconsideratos blaterones qui prætextu gratiæ sufficientis (quam tuentur Thomistæ) læsam D. Thomæ Doctrinam, falsò iactitabant.

In hoc Prędecessores suos Christi Vicarios sequutus est Alexander VII. Clementem VIII. qui Diuum Thomam appellauit Interpretem Diuinæ voluntatis. Paulum Quintum, qui Doctrinam D. Thomæ vocat regulam Doctrinæ Christianæ. Innocentium VI. asserentem à veritatis tramite nunquam deuiasse eum, qui Diuo Thomæ adhæserit, ac de veritate semper suspectum forè, qui ipsum sequutus non fuerit. Ioannem 22. protestatem tot ab Angel. Doctore patrata fuisse miracula, quot scripsit articulos. Pium Quintum dicentem scripta D. Thomæ, & multitudine, varietate, & facilitate explicandi res difficiles, adeò excelluisse, vt eam ob causam, nomen Doctoris Angelici iure sit adeptus.

Summorum Pontificum sensa authenticè confirmant Concilia Oecumenica, de quorum vno ait Baronius (in notis ad Martyro. Romanum die 7. Martij) *Vix quisquam enarrare sufficeret quot vir Sanctissimus atque Doctissimus Thomas Theologorum præconiis celebretur quantumque illius illibatę Doctrinę à Sanctis Patribus in Sacro Concilio Oecumenico Tridentino fuerit acclamatum*, Quod conjicere licet ex B. Camblat Congregationis Doctrinæ Christianæ Professore opusc. 2. de authoritate D. Thomæ, in suis institutionibus Theologię Angelicę, vbi ait, [Quo cultu Sancti Thomę Aquinatis Doctrinam venerati sint Concilij Tridentini Patres, vel hoc vnum plus satis explicat: quòd cum Sacrum Euangeliorum librum, cęterasque Sacrę Scripturę paginas super altare pro more iussissent reponi, vt certissimam suarum definitionum regulam, vnam voluerunt iis adiungi Sancti Thomę Summam, ad quam vt ad lydium lapidem, si quid ambiguitatis, si quid controuersię exortum fuisset, communibus votis referendum existimabant.]

XVI. Sed iterùm audiamus & quo in pretio eundem Angelicum Doctorem habuerit quoque Concilium Florentinum sub Eugenio Quarto celebratum: vbi Papa, Imperator Constantinopolitanus, Patriarcha nouę Romę, & vtraque Ecclesia, Orientalis sc. & Occidentalis pro vnione Gręcorum cum Latinis paciscenda conuenerant. Sitque testis Thomas Clericus Regularis Congregationis Patrum Theatinorum, qui in libro, cui titulus est [Vinea Christi] pag. 78. edit. Lugdunensis 1647. ait, [Obstupuêre ad Angelicam Doctrinam in Concilio Florentio Gręci Pręsules, admirati Latinos tanta eruditione excultos: tantâ Sacrarum Litterarum pręstantiâ & argumentorum subtilitate prępollêre: sciscitati à quonam fonte tàm purę Doctrinæ latices hausissent? Et vbi compertum habuêre ab Aquino sacras defluxisse sapientię vndas, ad se deriuare tentant sapientię Fontem. Itaque Patres Græci, vt Latinam disciplinam in Græciam traducerent, D. Thomę Summam Latino idiomate compositam, in Græcum traduxêre.] Hæc ille.

Fuitque fructus huius Doctrinæ vnio Græcorum cum Latinis: nam ex quatuor qui à Pontifice & Patribus electi sunt ad disputandum aduersus Græcos, duo fuerunt Dominicani, scilicet Episcopus Corensis, & Ioannes de Monte Nigro Prouincialis Lombardiæ, teste Spondano ad annum 1439. num. 4. vbi ait, [Imperator Constantinopolitanus suis Græcis vnionem cum Ecclesia Latina suasit, postquam idem Ioannes Prouincialis Dominicanorum, id præclarè egit, nemine Grecorum contradicente,] id est, tot argumentis, rationumque momentis illos deuixit, vt obmutescerent omnes ac consentirent.

PARAGRAPHVS QVARTVS.

In quo gratię sufficienti locum relinqui, positâ Prędeterminatione Thomisticâ, sicut & amplissimum indifferentię campum libertati creatæ, apertissimè demonstratur, nec subindè quidquam metuendum esse ex eâdem Prædeterminatione, ne Deus optimus causa peccati credatur.

I. NVsquam nocet Prædeterminatio Thomistica gratiæ sufficienti, sed potius illi omninò fauet, nam cùm huiusmodi Prædeterminatio necessaria indicetur pro operatione seu pro ipso actuali exercitio potentię: gratiam sufficientem, potentiam, eleuantem & perficientem non excludit, sed supponit.

Sed quia gratia habitualis in iustis, dicitur à nonnullis, gratia sufficiens (& ab ipso Angelico Doctore, etiam ad perseuerandum, quamuis præter eam, necessarium sit perseuerantiæ donum, quod non cadit sub meritum) sem-

per in illa, sicut & in alia forma, distinguendus est duplex effectus sc. formalis, seu ipsum esse; & operatio: ita D. Thomas 1. 2 q. 111. a. 2. in o. *Si accipiatur, inquit, gratia pro habituali dono, sic est duplex gratiæ effectus, sicut & cuiuslibet alterius formæ, quorum primus est, esse*, secundus est, *operatio*: igitur habitualis gratia in quantùm animam sanat, vel iustificat, siue gratam Deo illam efficit, dicitur gratia operans: in quantùm verò est principium operis meritorij, quod ex libero arbitrio procedit, dicitur cooperans.

Et hoc velim diligenter annotatum aduersus quosdam Neotericos qui effectum formalem gratiæ sufficientis ab illa inseparabilem confundi vellent cum illius operatione; vt inde probarent nullam esse gratiam sufficientem, quę non esset simul & efficax: quę tamen non verè censetur talis, nisi illum habeat effectum, quem ex natura sua posset ac deberet habere.

Porrò huiusmodi gratia habitualis sic considerata in iustis, fortasse non incongruè diceretur, gratia sufficiens, tùm quia per eam creatura remanet sufficienter eleuata ad operandum id quod est suæ salutis: tùm quia Spiritus Sanctus, per hanc gratiam cor inhabitans, sæpiùs in bonum excitat, quibusdam saltem motibus imperfectis.

II. Verùm, de gratiâ sufficienti in communi consideratâ (qualem omnibus præbet Deus opt. Bellarmino teste, saltem pro loco & tempore necessario) paulò aliter dicendum, nam per eam peccatores ipsi aliquando interiùs ad aliquod bonum mouentur; putà ad subueniendum egeno extremè indigenti, aut ad contritionem de peccato. Qui si sistant illi in motu cuiusdam compassionis naturalis & imperfectæ, aut tepidam habeant tantùm de peccato displicentiam, verè Deo resistunt, & inde indigni fiunt, qui vlterius à Deo fortiori subsidio adiuuentur: & hæc omnia ex Angelico Doctore euidenter inferuntur: nam 1. 2 q. 112. a. 2. ad 2. *Deus, inquit, aliquando hominem mouet ad aliquod bonum, non tamen perfectum*. Et 2 2 q 24. a. 3. ad 1. *Spiritus Sanctus mouet mentem hominis, vel plus vel minus*, & *Deus vult per misericordiam*, inquit *D. Anselmus in cap. 6 Math. de aliquo prauo quòd sit iustus, & confert ei gratiam suam, & tamen ille per liberum arbitrium contradicit, nec gratiæ consentit.*

De hoc verò duplici auxilio Dei, sufficienti sc. & efficaci Torrens Doctorum cum Sanctissimo Hypponensi & Angelico Doctore, ille quidem lib. de corr. & gratia cap 12. & de Prædest. Sanctor. c. 6. lib. 83. quæst. q. 68.

Hic verò, locis citatis lib 1. cap. 16. nominatim ex cap. 3. ad Ephes. lect. 2. vbi ait, *Deum dare facultatem infundendo virtutem & gratiam per quas efficitur homo potens & aptus ad operandum: & ipsam operationem in quantùm operatur*: & hoc vocat, *Auxilium præstitum ad ministeriorum executionem*, Quod distinguit ab ipsa facultate: vt legenti patebit.

Legatur D. Angelicus in 1. ad Corinth. cap. 15. lect. 1. Itidem in cap. 9. ad Rom. lect. 3. & 1. 2. q. 109. a. 9. in o. & in 2. sent. dist. 28 q. 1. a. 2. ad 3. Legendum quoque cap. 5. lib 3. huius Cassyopeïæ.

At, per prædictam hanc facultatem seu sufficientiam, quam efficit, teste Apostolo, non litterâ, sed Spiritu; agere posse dicimur, & verè: tùm quia ex Philosopho, quis dicitur posse, quod potest per amicos. Quid si amicus ille sit semper & vbique præsens, paratissimus, nec minùs potens, vt necessarium præbeat auxilium, qualis est Deus opt? Tum quia, vt ait D. Thomas q. 24. de verit. a. 11. ad 5. *Quando natura inferior potest aliquid disponere vel qualitercumque operari, non dicitur impossibile simpliciter: sicut non dicimus impossibile simpliciter prolem in materno vtero animari animâ rationali.* Quę tamen nequit nisi à Deo solo creari. Nemo igitur dicat animam rationalem solâ gratiâ sufficienti instructam, non posse operari, quamuis præter eam, & aliud adiutorium (sc. actuale,) ad ipsam operationem, sit omninò necessarium, quod nomine gratiæ efficacis significatur, quodque à Deo solo dari potest, sicut & anima rationalis ab eo solo creari.

III Per gratiam ergo sufficientem (quam dicunt Theologi, semen gloriæ; quamque D. Thomas 1. 2. q. 114 a. 3. ad 3 comparat semini arborum) incipit ille, cuius perfecta sunt opera: & obicem non ponente creaturâ, opus suum perficit Deus, efficitque vt semita iustorum crescat vsque in diem perfectum: resistente verò creaturâ, bonum quod cœptum erat non perficitur culpâ ipsius: vnde ait D. Tho. lect. 2. in med. ad Thess. 5. *Cum aliquis bonus motus surgit & homo impedit, extinguit Spiritum Sanctum.* Legendus D. Angelicus 1. 2 q. 111. & q. 106. a. 2. ad 2. & q. 109. a. 10. ad 3. vbi ait, hominem in hoc statu à Deo accipere gratiam per quam perseuerare & præcepta Dei seruare possit. At ista non potest, sine gratia sufficienti, ergo, &c.

Ex his apparet necessitas petendi continuò à Deo, vt perficiat gressus nostros in semitis suis, tantùmque det roboris & firmitatis, vt non moueantur vestigia nostra: nam teste D Augustino quandiu in terris degimus, via est in lubrico, vita in periculo, & salus in dubio. Qui Epist. 66. ad Celest. ait, *Totum ergo Deo debetur, qui voluntatem bonam & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam, nolentem præuenit vt velit, volentem subsequitur ne frustrà velit*, Et ideò, vt alibi ex eodem diximus aliàs, sic extollenda est gratia vt liberi arbitrij vires penitùs non destruamus: sic laudandum arbitrium, vt nec bonum aliquod opus inchoare sine Diuinæ gratiæ præuenientis afflatu: nec sine cooperante & concomitante prosequi: nec sine subsequente & perseuerante, nos perficere confiteamur, Apostolo de semetipso testante, *velle adiacet, perficere non inuenio.*

IV Ex quibus manifestè infertur præter gratiam sufficientem, requiri adhuc aliam, scilicet efficacem, & vtramque à Deo esse, *Omnis namque sufficientia nostra ex Deo est*, Concilio Arausicano definiente, *Ipsum gratiæ desiderium, quandam esse gratiam.* Oppositum enius, inquit, Doctor Angelicus in cap. 7. ad Rom. *Pelagianis & Semipelagianis patrocinatur, qui dicebant initium boni operis esse ex nobis, in quantùm bonum volumus, quem sensum excludit Apostolus ad Philip. 2. Deus est qui operatur in nobis & velle & perficere,*

Est ergo gratia sufficiens pretiosum illud semen nobis à Deo opt. reseruatum: sine quo sicut Sodoma & Gomorrha essemus, & de quo ait D. Angelicus 1. p. q. 62. a 3. *Gratia gratum faciens hoc modo comparatur ad beatitudinem, sicut ratio seminalis in naturâ ad effectum naturalem: vnde 1. Ioa. 3. Gratia, inquit, semen Dei nominatur.*

Quantùm autem ad secundum in titulo propositum pertinet, sc. ad libertatem cum physica Prædeterminatione conciliandam, hanc toties libertati creatæ non officere demonstrauimus, sed proficere, vt penitùs sit superfluum hìc quidquam adiicere. Nam vt ait D. Tho quodlib. 1. a 7. *Motio Diuina participatur à natura rationali cum libertate, ideoque sic à Deo mouetur, quòd potest huic motioni resistere* (Innumera omitto similia) quod intelligendum est de potentia ab actu separata, vt cum Peretrio diximus. Etenim,

vt subtilissimè docet Aluarez disp. 115. *Potentia ad vnum actum non repugnat potentia ad actum contrarium, nec etiam repugnat actui contrario: actus autem contrarij repugnant in eodem subiecto.* Quare, dicunt Philosophi liberum hominis arbitrium à Deo Prædeterminatum, retinere semper simultatem potentiæ, non verò potentiam simultatis, quæ etiam iuxta aduersariorum sententiam est impossibilis, quis enim simul v.g. moueatur & quiescat? loquatur, & taceat? &c

V. Nec licitum existimo ab hac communi Doctrina recedere, nam testibus vel ipsis Thomistarum Æmulis est antiquior ac tutior Doctiorum semita, de qua Henriquez, lib. de fin. hominis cap. 4. ait, *Concors Theologorum sententia docet Deum habere Prædeterminationem efficacem bonorum ab æterno, in quâ & per quam tanquam per rationem, certò omnia sciat*, Et paulò post, *Nec est ita difficile, inquit, conciliare libertatem hominis cum tali Prædeterminatione, vt quidam putant.*

Immò facile, vt arbitror; quis enim negare possit, libertatem creatam, etiam in suo actuali exercitio, siue ipsum actum liberum esse à Deo tanquam à causa efficiente & immediata? Et hoc posito tanquam de fide certo. Quis quæso vel imaginari queat causam ex se profundentem seu efficientem, libertatem creatam, illam lædere aut destruere? An destruitur effectus per suam causam, aut potentia aliqua per exercitium sui actus? Nonne perfectior est potentia visiua, v. g. quando est cum actuali visione coniuncta in aliquo, quàm si is tantùm videre possit? At quid aliud efficit Prædeterminatio Thomistica, quàm potentiam reducere ad actum, non vtcumque, sed iuxta suum modum?

Centies diximus voluntatē creatam posse seipsam determinare, suumque actum ab vno in aliud pro libito immutare, & hoc absque vllo suæ libertatis præiudicio. Et Deus Omnipotens à quo est quidquid est, omnisque motus creaturæ, idipsum tanquam causa prima efficere non poterit? Certè aut dedit homini virtutem quam ipse non haberet (quod est impossibile) aut hanc sibi minimè retinuit: quod est absurdum.

Deinde, toties insinuauimus ex Angelico Doctore, Deum posse auferre grauitatem à lapide, cui si tantùm daret leuitatis quantùm haberet anteà grauitatis, tam naturalis illi esset motus sursùm, quàm priùs esset motus deorsùm. Et non poterit Deus auferre cor lapideum, & dare cor carneum, vel tollere duritiam cordis, sine læsione creatæ libertatis? Profectò insolitus omninò aduersariorum, immò & incredibilis philosophandi modus, è diametro oppositus Angelico Doctori in 2. dist. 25. q. 1. a. 2. ad 1. & 1. 2. q. 10. a. 4. ad 1. & 1. p. q 19. a. 8. & q. 83. a. 1. ad 3. *Si Deus, inquit, immutet liberum arbitrium creatum ab vno in aliud, hoc tamen sua omnipotentia facit, vt & illud aliud voluntariè velit.*

Præterea fatentur omnes cum eodem Angelico Præceptore quòd cum aliqua causa est efficax, effectus ei assimilatur non tantùm quoad substantiam actus, sed etiam secundum omnia accidentia in quibus quiuis filius patri assimilatur tanto perfectiori modo, quanto in patre fortior fuerit virtus, vt ait D. Thomas 1. p. q. 19. a. 8. in o. & cum aliunde nemo possit negare, quin Diuina virtus sit efficacissima, & consequenter causa non solùm substantiæ actus liberi, sed etiam modi ipsius libertatis, vt quid hactenus aliquam aduersùs Thomistas non excogitauère solutionem, illorum Æmuli?

Aut quid dissimulant vel negant ore, quod tenent corde? Etenim ex hoc vnico D. Thomæ principio solo lumine naturali notissimo, sequitur, libertatem indifferentiæ non solùm in tuto positam esse, sed eandem ex illo, non minus euidenter emanare, quàm lumen ipsum oriatur à sole: nam si nunquam præmoueat Deus causam liberam, quin sua virtute attingat Deus, & substantiam actus & modum illius; impossibile est, vt ipsa creatura, non sit libera, cum per Dei influxum producatur libertas ipsa, atque perfectior fiat potentia in oppositum, vt supra dictum est. Audi D. Anselmum non aliter ratiocinantem lib. de conc. c. 1. *Quoniam, inquit, quod Deus vult, non potest non esse (sanè intellige) cum vult hominis voluntatem, nullâ cogi aut prohiberi necessitate ad volendum vel ad non volendum, & vult effectum sequi voluntatem, tunc necesse est, voluntatem esse liberam, & esse quod vult*, Legendus D. Thomas opusc. 3. c. 140. de verit. q. 23. a. 5. 1. p. q. 22. a. 4. & præsertim in resp. ad 2. & 3. & q 23. a. 6. & q. 83. a. 1 ad 3. & 1. 2. q 10. a. 4. ad 1. & 3. contra Gent. c. 94. q. 6 & de verit. a. 3. ad 3. & 1. ad Anibald. dist. 47. q. 1. a. 4. ad 4. & 1. Perihermn. lect. 14 & 6. Metap. lect. 3.

Sed vnde hęc libertatis creatæ prærogatiua? Quia (inquit D. Prosper lib. contra Collat. c. 38.) opitulationes Diuinæ gratiæ, stabilimenta sunt voluntatis humanæ. Volentes oramus, & tamen Deus misit Spiritum in corda nostra clamantem Abba, Pater: Rom. 8. Volentes loquimur, & tamen si pium est quod loquimur non sumus nos loquentes, sed Spiritus Patris nostri loquitur in nobis Math. 10. Volentes operamur salutem nostram, & tamen ipsum velle atque operari, Deus operatur in nobis, Philip. 8. Denique non semel asseruimus liberum arbitrium creatum, etiam efficacissimè à Deo Prædeterminatum, semper remanere in potentia ad agendum vel non agendum: & nusquam in suis actibus pati necessitatem, aliàs non peccaret aut mereretur: nam D. Prospero teste de ingrat. c. 26. *Certissimum est, nec vitiis pœnam deberi, aut premia laudi, si vel naturam obstrictam, mala velle necesse est.* Quid amplius exquiris pro tuenda libertate creata? Vis illud quoque esse in potentia ad oppositum contrariè? Consule Angelicum Doct. in expositione horum verborum, *Beatus qui potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit*, Vbi docet miseram peccandi potestatem esse, non essentiam, sed signum tantùm libertatis creatæ; ad quam non pertinet, inquit D. Thomas, quod quis possit malè facere, sicut nec pertinet ad naturam seu essentiam potentiæ visiuæ, vt sit aliquis lippis oculis, possitque malè videre.

VI. Ratio fundamentalis est: quia libertas non est quæcunque vaga & inordinata ad vtrumlibet indifferentia, aliàs pueri & amentes essent sapientissimis liberiores, quod nemo dixerit: sed contineri debet intra regulas rectæ rationis, quæ non sinit fieri id quod lege prohibitum est: atqui, peccare, tam Diuinâ, quàm humanâ lege vetitum est: nemo ergo dixerit potentiam peccandi esse perfectionem, seu ad essentiam pertinere libertatis. Vnde 1. p. q. 62. a. 8. ad 3. sapientissimè ait D. Angelicus, *Quòd liberum arbitrium diuersa eligere potest, seruato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis eius: sed quòd eligat aliquid diuertendo ab ordine finis, quod est peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis: vnde maior est libertas arbitrij in Angelis, qui peccare non possunt, quàm in nobis qui peccare possumus*, Lege eundem q. q. disputatis q. 24. a. 3.

Idem sentit Diuinus Hyponensis 2. Confess. cap. 2. & lib. de Spiritu & litt. cap. 30. vbi ait, *Hanc vo-*

lunt esse sui iuris & liberi, vt Deum nolint habere Dominum? Nec ab his dissentit Boëtius lib. 4. de cons. Philosophiæ vbi ait, *Repetunt boni fine teneri, quia non aliter durare queant. Nisi conuerso rursùs amore refluant causæ quæ dedit esse.*

VII. Sicut ergo non est contra rationē libertatis creatæ vt sit a Deo tanquam à primo principio, ita nec ipsi repugnat quòd intra regulas vltimi finis se se contineat. Nam liber est, inquit Doct. Ang. qui est sui iuris, suorumque actuum Dominus. At, an non millies diximus hominem sub Deo & sui iuris esse, suorumque actuum habere dominium? Quamuis non tale, quale Supremum, quod soli Deo competit. Vnde & optimè D. Bernardus serm. 61. in cant. ait, *Homo priuatus est veritate, sed non libertate: vitiari enim potuit libertas, non extingui. Quia ergo naturæ ingenuitatem morum probitate, illustrare neglexit, ex iusto authoris iudicio factum est, non quidem vt libertate propriâ nudaretur, sed vt superinduceretur sicut diploide confusione suâ.*

Cum autem supra diximus ex D. Thoma hominem suorum actuum habere dominium, non continuò inferendum, ipsum quoque habere dominium suarum facultatum, & suæ voluntatis præcipuè, quæ est libera, indifferens & indeterminata, quam idcircò necesse est iuxta modum suum liberum determinari a Deo: nam vt ait D. Tho. 1. 2. q. 109. a. 10. & 3. contra Gent. c. 155. *Omne quod est de se variabile, ad hoc vt figatur in vno, indiget auxilio alicuius mouentis immobilis*, Et ibidem rat. 3. id docet expressis verbis, [Licet homo, inquit, per voluntatem & liberum arbitrium sit Dominus sui actus, non tamen est Dominus suarum naturalium potentiarum, & ideò, licet sit liber ad volendum & non volendum aliquid, non tamen volendo facere potest, quòd voluntas in eo quod vult, ad id quod vult vel eligit, immobiliter se habeat; hoc autem requiritur ad perseuerantiam, vt scilicet voluntas in bono immobiliter permaneat.] Ex prædictis constat opus bonum in nobis à Deo opt. cœptum, ab eodem per nos perfici, confirmari ac solidari, vt dicitur primæ Petri vlt. & libertatem creatam consistere in indifferentia actiua contradictoriè sumpta.

Et consequenter duplicem esse libertatis nostræ radicem, vnam remotam, quæ est efficacia Diuinæ voluntatis, substantiam actus liberi & modum illius attingentis, ita D. Tho. 1. p. q. 19. a. 8. Alteram, proximam, scilicet obiectiuam iudicij indifferentiam, quâ intellectus iudicat bonum aliquod voluntati propositum non habere intrinsecam connexionem cum bono in communi ad quod voluntas nostra est naturaliter determinata, ita Sanctus Doctor 1. 2. q. 17. a. 1. ad 2. *Ex hoc, inquit, voluntas liberè potest ad diuersa ferri, quia ratio potest habere diuersas cognitiones boni.* Item q. 24. de verit. a. 2. in o. ex cuius opposito fit vt amor beatificus non sit liber sed necessarius, vtpote regulatus per intuitiuam Dei cognitionem quæ repræsentat Deum vt habentem omnem rationem boni, ac subinde vt necessariò diligēdum. Porrò ex radicali indifferentia iudicii, sequitur indifferentia actiua in voluntate seu facultas ad agendum vel non agendum, quia cum voluntas sit potentia cæca, debet sequi cognitionem intellectus, & ferri in obiectum eo modo, quo illi repræsentatur. Ex quibus euanescit quidquid dixit Dom Petrus à Sancto Ioseph. disp. 2. sect. 10. & lib. 1. suę ideæ Theologicę c. 18.

VIII. Nec noua est prædicta Modernorum in fauorem liberi arbitrij creati querimonia, de quâ iamdudum D. Prosper carm. de ingratis cap. 28.

Hoc itaque arbitrium, cum sanat gratia, tolli
Dicitis, & perimi vitâ aspirante putatis
Quid mirum, rabido si corde phreneticus æger
Morbum amat, & pellit Medicum, &c.

Porrò quantùm ad tertium in titulo propositum, hîc tāquam de fide certum suppono Deum opt. nullo modo dici posse causam peccati, & qui oppositum assereret, iam non argumentis cum illo, agendum esse, sed flammis.

Attamen nonnullis apparet difficultas non mediocris, qui scilicet fieri possit, vt posita Prędeterminatione physica, Deus causa peccati nusquam credatur. Nam, inquiunt, cum peccatum suam ducat originem à voluntate creata, sitque in ea, velut in sede sua: videtur quòd si non in ipsum fontem, id est, in voluntatem, sed tantùm in riuulum seu in eius actum, per solum concursum simultaneum Deus influeret, longè faciliùs euaderet huiusmodi reatus à creatura commissi, suspicionem.

Verùm, timore illos trepidare, vbi non est timor, remque longè aliter se habere, arduum non erit demonstrare, si duo in memoriam breuiter reuocentur. Vnum quidem certissimum in principiis Philosophię. Alterum verò de quo in fide nefas est dubitare.

Primum est. Priuationem esse non posse, sine subiecto apto, & consequenter in bono, sicut non est cęcitas, nisi in animali. Vnde ait Aristoteles, quod si malum esset integrum, destrueret seipsum. Ex quo infert D. Thomas nullum posse esse malum infinitum.

Alterum est. Quòd cum peccatum sit priuatio debitę rectitudinis in actu libero, habet necessariò pro subiecto aliquod ens reale quod sit à Deo tanquam ab vniuersali principio omnis entis, cuius causalitatem nihil omninò subterfugere possit, aliàs à Deo non esset omne bonum, quod cum ente conuertitur, sicque pateret aditus hęresi Manichæorum. His præmissis.

Illi quibus sufficiens videtur concursus Dei simultaneus, hunc potissimùm tuentur, non solùm in fauorem libertatis creatæ, verùm etiam vt huiusmodi concursu Dei, ipse ab omni peccati suspicione facilius liberetur.

Atqui multò euidentius & efficaciori modo poterit demonstrare quiuis Thomista, stante Prædeterminatione physica, Deum opt. non esse aut posse esse causam peccati, quàm possint assertores solius simultanei concursus. Quòd sic demonstro.

Certum est peccatum non solùm esse in voluntate, sed etiam in eius actu, ac in operis executione, ita D. Tho. de malo q. 2. a. 2. in o. & 1. 2. q. 20. a. 4. tuncque maius, saltem extēsiuè, vnde & Dauid grates Deo referebat maximas, quod occursu Abigaïl, manus suas seruasset innoxias à sanguine Nabal quem interficere decreuerat. Hoc posito, vtamur familiari exemplo.

En ingens auri pondus, quod Socrates furari decreuit, quodque non potest solus auferre, nisi adsit ei adiutor & comes Tullius, qui sciens & prudens illi adiungitur. En pro furti executione solus concursus simultaneus. At, an idcircò innocens Tullius qui scienter solam præstitit opem suo concursu simultaneo pro auferenda re furto sublata? Minimè sanè. Vnde & fur habebitur Tullius, ac vno iudicij furto vnà cum Socrate & meritò damnabitur. Hîc deposco synceritatem aduersariorum.

IX. Verùm, longè facilius in principiis D. Thomæ ostendunt Thomistę Deum non esse causam peccati, quamuis per concursum præuium influat in liberum arbitrium, & actus illius sit aliquando basis malitię moralis, sicut & animal est subiectum cęcitatis: cum in homine v. g. insurgit aliquis bonus motus, si hunc impediat homo, ne totum habeat effectum, quem ex natura sua iuxta voluntatem Dei antecedentem habere posset ac deberet, homo ipse est sola huius impedimenti causa, ratione cuius dicitur ille à D. Thoma, & Spiritui Sancto resistere, Spiritum extinguere. Et defectus in illo

actu repertus, est à sola voluntate creata, quæ est prima causa deficiens, & ex se sola efficax ad malum ex eo quòd hęc sit ex nihillo. Ita D. Thomas 2. ad Anibal. q. 1. a. 2. ad 1. *Malum in quantùm huiusmodi non habet esse, nec est res aliqua, sed magis est priuatio alicuius perfectionis in re: vnde non habet causam efficientem, sed deficientem, & huiusmodi sunt causę mediæ propter hoc quod sunt ex nihillo.*

Ab Angel. Doct. non dissentit D. Chrysologus in hęc verba Lucæ 6. (homo habebat manum dextram aridam) *Dextera est, inquit, quæ facit bonum, sinistra quæ facit malum: arida est dextra, valida est sinistra: quia infirmus homo ad bonum, efficax ad malum.* Ratio illorum est, quia cum peccare non sit efficere, sed deficere, & peccatum non sit effectus sed defectus, & ad defectum nullus Dei concursus requiratur, nullo modo iuxta Thomistarum Doctrinam potest ipsi Deo peccatum attribui.

Hoc explicat Beatus Albertus Magnus in 2. sent. dist. 35. a. 7. *Exemplo monstri in quo est defectus ex parte materiæ, tamen quidquid est in eo formæ, totum effluit ex virtute formatiuâ. Item exemplo solis qui mouet vires naturales, circa quarum opera multiplices accidunt defectus: & tamen quidquid est ibi informationis, totum est à virtute solis non errante.*

Itidem Sanctus eius discipulus D. Thomas loco inferius citando, rem adhuc euidentius exponit exemplo claudicationis, in qua quidquid est motus, necessariò est ab anima, ipsa verò indecentia & deformitas motus seu claudicatio est aliunde, nimirùm vel ex curuitate tibiæ, vel ex debilitate neruorum, nec vllo modo tribui potest animæ ipsi.

X. Ex his iam manifestum est, multò faciliùs & meliùs iuxta D. Thomæ Doctrinam ostendi Deum opt. non esse causam peccati, quàm iuxta oppositam aduersariorum opinionem, nam cum dicunt Thomistæ Deum influere per concursum præuium in liberum arbitrium creatum, ex vitio cuius peccatum sequitur, multò remotior videtur Deus à peccato, quàm si diceremus, vt dicunt aduersarij, Deum influere immediatè tantùm per concursum simultaneum in ipsum peccati actum.

Dicamus ergo cum Thomistis, à Deo quidem præueniri creaturam concursu preuio, quo illam præmouet ad id tantùm, quod bonum est: quod si eius motio totum non habet effectum quem habere deberet, est ex culpa creaturæ, quę grátię sufficienti resistit, seu peccando obicem posuit, ratione cuius facta est indigna, quæ actuali vlteriùs, efficaciorique auxilio opportunè à Deo adiuuaretur. Quidquid ergo est entitatis & bonitatis in actu peccaminoso, à Deo esse, necesse est, tanquam à Primo Agente & vnico tali Principio totius entis. Verùm, id omne quod ad defectum & rationem culpę pertinet, cum id sit extra lineam entis, seu (si sic loqui fas est) extra spheram actiuitatis omnipotentię Diuinę, quæ non fertur nisi in id quod bonum est, nihil mirum si huiusmodi defectum, etsi enti coniunctum, non refundant in ipsum Deum, qui solum bonum attingere potest, sicut & potentia visiua solum percipere colorem, etiam cum sapore in eodem pomo coniunctum. Illa ergo quæ sunt in eodem coniuncta, nullam imponunt necessitatem, vt ab eadem potentia attingantur, maximè si vnum habeat rationem actus, aliud verò rationem priuationis aut defectus. At, peccatum formaliter sumptum non est actus seu quid reale & positiuum, sed priuatio debitæ rectitudinis in actu libero. Legat qui voluerit Angelicum Doctorem citatum lib. 3. cap. 6. ex 2. sent. dist. 37. q. 2. a. 2. vbi inquirens vtrum actio peccati quatenùs actio, sit à Deo? Respondet affirmatiuè, iuxta Doctrinã superiùs traditam, tamque subtiliter satisfacit omnibus argumentis, quæ contra eam fieri possent, vt hic nihil dicendum supersit.

Finem ergo ipsemet imponat huic paragrapho in hæc verba 1. Ioa. 1. lect. 2. (Sine ipso factum est nihil) [Sicut ars, inquit, non est principium seu causa alicuius defectus in artificiatis, sed est per se causa perfectionis ipsorum & formæ: ita & Verbum, quod est ars Patris plena rationum viuentium, non est causa alicuius mali vel inordinationis in rebus, & præcipuè mali culpæ, quod habet perfectam rationem mali, sed huius mali causa per se est voluntas creaturæ, siue hominis, siue Angeli liberè declinans à fine ad quem naturaliter ordinatur, &c. ideò malum est defectus voluntatis, non alicuius artis.]

XI. Eodem ore loqui videtur D. Augustinus tom. 5. lib. 12. de ciuit. Dei cap. 7. [Nemo ergo, inquit, quærat efficientem causam malæ voluntatis, non enim est efficiens sed deficiens, &c. Causas porrò defectionum istarum, cum efficientes non sint, vt dixi, sed deficientes, Velle inuenire tale est, ac si quisquam velit videre tenebras, vel audire silentium: quod tamen vtrumque nobis notum est, neque illud nisi per oculos, neque hoc nisi per aures, non sanè in specie, sed in speciei priuatione. Nemo ergo ex me scire quærat, quod me nescire scio, nisi fortè vt nescire discat, quod sciri non posse sciendum est. Ea quippe quæ non in specie, sed in eius priuatione sciuntur, si dici aut intelligi potest, quodammodo nesciendo sciuntur, vt sciendo nesciantur.]

Igitur nullus in has aut similes prorumpat blasphemiæ voces, [Deum opt. præmouere aut prædeterminare ad furandum v. g. ad blasphemandum, &c. nam cum hæc, in communi modo loquendi (porrò loquendum vt multi) peccatum formaliter includant & defectum, ad illa, creaturam à Deo præmoueri nunquam dicendum est, quare corrigenda imaginatio, quæ negationes & priuationes concipit & enuntiat ad modum entis.

Quamuis in hoc paragrapho fecerimus satis tribus præcipuis argumentis, quibus innixa videbatur Defensio Fuliensis. Attamen ne vllus hic remaneat scrupulus, quæ dicenda supersunt de quibusdam aliis dubiis quæ animum pulsare possent, sequenti paragrapho subijciemus.

PARAGRAPHVS QVINTVS.

In quo euidenter innotescit, quàm facilè euanescant reliquę argumentorum nebulę, à quibusdam Modernis alio etiam prætextu excitatæ, aduersus Physicam Prędeterminationem necessariam, non solùm in statu naturę corruptę, sed etiam in statu innocentię.

I. Quamuis iam superiùs præcipuis, ne dicam omnibus Scripturę Sacrę testimoniis, aliisque argumentis ex authoritate Sanctorum Patrum depromptis, ex quibus Thomistarum Æmuli maiores contra Prędeterminationem Physicam argumentorum machinas educebant, fecerimus satis: iterùm tamen & præsertim ratione disputationis cuiusdam nuperrimè habitę in propugnandis publicè thesibus hac de re, breuiter hic

Hic demonstrandum est, neque ex Scriptura (quâ nonnulli abuntur) neque ex quocunque alio capite, quidquam afferri posse aduersus prædictam Prædeterminationem, quod facillimè non dissoluatur. Nam quia Scriptura profunda est mysteriorum abyssus, de eâ consequenter non absolutè, aut in omnibus iudicandũ ex superficie, seu secundum litteram (quæ Apostolo teste occidit) sed sæpiùs secundum spiritualem sensum, siue internam veritatem, fide & & humanâ ratione inuestigandam. Et in hoc, nemo est, vt arbitror, qui priuati cerebelli interpretationem præferre audeat explicationi à Conciliis & Sanctis Patribus traditæ; qui ferè omnes tanquam vno ore loquuti, fauent doctrinæ Thomisticæ: Nam vt patet ex dictis, quoties aliquid ex Scriptura producitur, ex quo videtur aliquid creaturæ attribui, Deo non operante, & consequentèr sine Dei Prædeterminatione, quasi aliquid possit creatura vel incipere vel perficere sine Deo; est manifesta deceptio, turpisque Scripturæ deprauatio: v.g. cum dicitur, *Conuertimini ad me*, &c. si Deus hinc, & creatura inde consideretur quasi ipsa sit ab eo independens in agendo, debeatque illa ex se incipere, vt Deus de suo perficiat; Quid magis à veritate alienum?

Verus ergo huius testimonij & similium sensus, is non est, qui non rarò ab imperitis intelligitur, sed qui traditur à Tridentino sess. 6. c. 5. asserere per hoc, *hominem admoneri libertatis suæ*, quâ debet, & quod potest facere, & quod non potest petere ab eo sine quo nihil possumus, qui tanquam vitis in palmites in ipsos iustificatos suam iugiter virtutem influit, quæ virtus, bona eorum opera semper antecedit, vt loquitur idem Trid. sess. 6. de iustificatione. Nam quidquid est, quantumuis exiguum, est effectus ipsius tanquam primæ causæ, quæ cum sit vniuersalissima, nihil est omninò, quod eius causalitatem possit subterfugere. Et cùm sit immediata, habeatque, D. Thomâ teste in 2. sent. d. 8. q. 1. a. 5. *intrinsecam essentiæ operationem*, vt quid denegetur ei præuius influxus, non video: nam omnis causa suum præcedit effectum.

Non aliter sentit sacra Synodus Arausicana c. 5. *Si quis dixerit inuocatione humanâ gratiam Dei posse conferri, non autem ipsam gratiam facere vt inuocetur à nobis; contradicit Isaiæ Prophetæ dicenti, Inuentus sum à non quærentibus me, palàm apparui eis, qui me non interrogabant.*

His sacris oraculis prorsùs conformis est Sanctus Augustinus lib. 2. contra 2. Epist. Pela. cap. 9. *Hominis est preparare cor, & à Domino responsio linguæ, Prou. 16. Non benè (inquit Sanctus Præsul) intelligendo falluntur, vt existiment cor præparare, hoc est bonum inchoare, sine adiutorio gratiæ Dei, ad hominem pertinere, &c. absit vt sic intelligant, nisi superbi sui arbitrij defensores, & fidei catholicæ desertores, &c. homo parat cor, non tamen sine adiutorio Dei qui tangit cor.*

Et ibidem cap. 10. *Hominis autem adiuuat quidem bonum propositum subsequens gratia, sed nec ipsum esset, nisi præcederet gratia.*

At quomodo adiuuat? *Præbendo (inquit D. August.) vires efficacissimas voluntati.* Ita lib. de grat. & lib. arb. c. c. 16. & 17. Verùm, hoc non facit concursus simultaneus, ex cuius insufficientia apparet necessitas præuij influxus.

II. Ex prædictis Scripturæ sacræ testimoniis, sic à Patribus Augustino & D. Thomâ explicatæ, licet inferre, quo in sensu sint intelligenda his similia, sæpius ex Sacra Pagina à Sanctis Patribus educta, vt ijs hominem liberi esse arbitrij testarentur. Quibus testimonijs non obstantibus semper subintelligendus est præuius ille Dei influxus: vnde & nostra ad Deum conuersio: spiritus boni petitio: animi præparatio, inquisitio, pulsatio, & similes ad gratiam dispositiones, etiam remotæ, fiunt ex prioribus auxilijs gratiæ præuenientis S. Spiritus nondum inhabitantis.

Quare, nihil mirum si intuitu prædictorum dentur vlteriora auxilia, & ipsa gratia sanctificans; quia vt non semel diximus, in opere iustificationis nostræ, nihil vetat vnum gratiæ effectum esse causam alterius; sed eo semper præsupposito cui nemo dederit prius. Vnde & in Conc. 2. Arausic. can. 6. dicitur. *Si quis humilitati aut obedientiæ humanæ subiungit gratiæ adiutorium; nec vt obedientes & humiles simus, ipsius gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti, quid habes quod non accepisti? Et gratiâ Dei sum id quod sum.*

Quando autem obijciunt ex D. Thomâ dicente hominem etiam in statu naturæ corruptæ, quædam adhuc posse, per virtutem suæ naturæ, vt plantare vineas, ædificare, &c. Per hoc non excludit D. Angelicus, naturalem Dei concursum præuium homini, aliisque causis naturalibus indispensabiliter necessarium. Sed tantùm voluit indicare, hominem non semper indigere supernaturali Dei auxilio gratiæ præuenientis, nisi cum in bonum excedens & supernaturale fertur; sicut nec indiget aqua calore, nisi cùm ad calefaciendum assumitur.

Eodem ferè modo intelligendus est D. Doct. Angelicus q. 2. de potentia a. 3. ad 5. quando dixit quòd in ijs. *Ad quæ natura potest se extendere secundum propria principia essentialia, non indiget vt ab alio determinetur: sed ad ea tantum ad quæ propria principia non sufficiunt*, vel si quis mauult. Respondeo D. Thomam per hoc tantùm indicare voluisse Agens naturale esse per suam formam determinatum. *Nec vlterius indigere vt ab alio determinetur*, ex parte potentiæ seu virtutis operatiuæ; nam per suam formam est sufficienter determinatum quantùm ad specificationem v. g. ignis ad calefaciendum; homo ad ratiocinandum, quia suam habet determinationem à propria forma, quæ est in quolibet permanens huiusmodi determinationis principium. Sed hoc non impedit quominùs indigeat cõpleri & determinari agens creatum quantũ ad exercitium, quia nihil potest seipsum reducere de potentia in actum. Et hoc solùm volunt Thomistæ.

III. Verùm: quia agẽs naturale v. g. ignis, semper est in exercitio suæ operationis; nec potest, positis omnibus requisitis, non calefacere: ideò Deus opt. semper illi confert prædictum complementum necessarium ad actum secundum: quod si aliquando ei denegaret, miraculum foret, vt contigit in igne fornacis Babylonicæ. Ratio est, quia cum magis dependeat à Deo ignis, sicut & quodlibet agens naturale, quàm radius ab ipso Sole, vt millies diximus cum Angelico Doctore: semper illud à Deo præueniri in agendo, & ab eo applicari necesse est, cuius est causa Deus non solùm in fieri, sed & in facto esse vnde D. Thomas de potent. q. 3. a. 7. ad 8. *Necessitas naturæ, inquit, per quam calor agit, constituitur in ordine omnium causarum præcedentium, vnde non excluditur virtus Primæ Causæ.*

Sed ne quis anceps remaneat circa mentem Diui Thomæ, fusius ipsum referamus q. 3. de potentia a. 7. ad 7. *Virtus naturalis, inquit, quæ est rebus naturalibus in sua institutione collata, inest eis vt quædam forma habens esse ratum & firmum in natura. Sed id quod fit à Deo in re quo actualiter agat, &c. habet quoddam esse incompletum per modum quo, &c. virtus artis est in instrumento artificis.*

Item 1. 2. q. 109. a. 1. in c. *Quantumcumque, inquit, natura aliqua corporalis vel spiritualis ponatur per-*

fecta : non potest in suum actum prodire, nisi moueatur à Deo. Et lib. contra Gent. c. 66. *Complementum agentis secundi, est ex virtute Agentis Primi.*

Confirmatur, tam pro agentibus necessariis, quàm pro liberis q. 3. de potentia a. 7. ad 5. *De ratione virtutis inferioris est, quod sit aliquo modo operationis principium in suo ordine, id est, vt agat vt instrumentum Superioris virtutis : vnde exclusâ superiori virtute, inferior virtus operationem non habet.*

Et ibidem, *Tertio modo* (*inquit Doctor Angel.*) *dicitur res vna esse causa actionis alterius, in quantum mouet eam ad agendum, in quo non intelligitur, collatio aut conseruatio virtutis actiua, sed applicatio virtutis ad actionem, sicut homo est causa incisionis cultelli ad incidendum mouendo ipsum, &c.* Itidem 1. 2. q. 9. a. 4. ad 3. *Voluntas quantum ad aliquid sufficienter se mouet, & in suo ordine, scilicet sicut agens proximum : sed non potest seipsam mouere quantum ad omnia... Vnde indiget moueri à Primo Mouente.*

Et q. 22. de verit. a. 8. *Omnis actio voluntatis in quantum est actio, non solùm est à voluntate vt immediatè agente, sed à Deo vt à Primo Agente, qui vehementiùs imprimit, vnde sicut voluntas potest immutare suum actum in aliud... Ita & multò ampliùs Deus.*

IV. Non maius facessit negotium, toties iactatum ab aduersariis argumentum, ex D. Thoma depromptum, quòd scilicet hominem moueat Deus vt vniuersalis Motor; homo verò seipsum moueat ac determinet per rationem & iudicium. Nam per hoc, nihil aliud significatur, nisi quòd Deus tanquam Motor vniuersalis moueat voluntatem creatam ad beatitudinem in communi, ad quam concurrit voluntas vt natura.

Sed hoc non impedit, vt ait 1. 2. q. 109. a. 9. in o. quominus liberũ hominis arbitrium se se determinet quoad exercitium actus circa quodcumque bonum particulare, idque cum perfectissima libertate. Nec ad hoc exigitur vt sit primùm se determinans, sicut nec est primum agens, vt fusius lib. 3. cap. 4. explicuimus.

Priora ergo verba D. Thomæ 1. 2. q. 9. a. 6. ad 3. (inquit Ledesma) intelligenda sunt de volitione circa bonum in communi, quæ speciali ratione Deo tribuitur tanquam vniuersali Motori, & non voluntati se moraliter mouenti, id est, cum indifferentia & deliberatione; in quâ volitione voluntas creata à Deo prædeterminatur aliquo modo ad modum agentis naturalis, vt fatentur omnes : nemo enim vult naturaliter esse miser, sed beatus.

At, quis neget Deum opt. mouere causas secundas liberas, etiam in particulari, vt in iis quos specialiter mouet per gratiam, vt expresse docet D. Tho. loco ab aduersarijs in oppositum citato? Nam vt ipse ait 1. p. q. 22. a. 3. in o. & ad 1. *Omnis scientia operatiua tantò perfectior est, quantò magis particularia considerat in quibus est actus*, Atqui hæc Dei scientia est causa rerum adiunctam habens voluntatem, quæ cum sit infinitæ perfectionis, debet esse etiam de minimis, & in particulari de omnibus de quibus est causa.

V. In idem ferè recidit id quòd non rarò ab aduersariis obiectum est, scilicet concursum Dei à creaturâ modificari. Nam, cùm, vt lib. 1. cap. 10. diximus, vnus Dei effectus alteri præsupponatur, atque iustitiæ opus fundatum sit in opere misericordiæ vt ait D. Thomas 1. p. q. 21. a. 4. & ad 1. in omnibus quæ à creaturâ aguntur, semper præintelligenda est virtus Primi Agentis. Explicatur. Suscepit Christus Magdalenam ad se venientem, ita vt talis susceptio sit quasi causata ex aduentu prædicto : sed vt subtiliter aduertit D. Gregorius; ille qui per mansuetudinem (& si vis, per quandam iustitiæ speciem) suscepit foris; priùs per misericordiam attraxit intùs. Quis ergo non videat priorem hunc gratiæ effectum, quo priùs Magdalenam Christus attraxit intùs, ab vtroque id est, & ab illo operante, & ab eâ cooperante conuersioni propriæ, in progressu conuersionis modificatum fuisse? Et sic semper prior est Deus, non solùm in essendo, sed etiam in agendo : non solùm dignitate, vt verbis ludunt Antithomistæ, sed influxu physico & reali causalitate, quam si vocare voluerint influxum præuium, Præmotionem, aut Prædeterminationem physicam, vel simpliciter, motionem (dummodo bene intelligatur) nihil prorsùs interest, quia motio mouentis præcedit motum mobilis ratione & causâ. Nec aliud volunt Thomistæ cum Angelico Doctore lib. 3. contra Gent. c. 149.

Pro prædicta concursus Dei modificatione hoc modo explicata, stat formaliter Bannes 1. p. q. 23. a. 5. pag. 488. [Minimè negamus, inquit, quin influxus Diuinus passiuè acceptus & receptus in creatura, modificari possit altero influxu Dei; sed omninò negamus, influxum Dei vt est actio illius modificari ab aliquo, eo quod ipse Deus sua prouidentia & actiua gubernatione omnia attingit, modificat, efficit & gubernat,] Legendus Doct. Angel. de verit. q. 24. a. 8. & 1. p. q. 83. a. 1. ad 3. & alibi passim. Nominatim vbi ostendit discrimen inter primam & vniuersalem causam, & quodcumque aliud agens particulare, quod vel ob materiæ indispositionem vel ob alias causas persæpè à suo effectu impeditur : Deus verò minimè, si aliquid fieri absolutè & voluntate consequenti voluerit. Ita D. August. in Enchi. cc. 95. & 96. [Aliàs, inquit, periclitaretur initium fidei nostrę quâ confitemur Deum omnipotentem esse.]

VI. Prætereà, factum est mirâ Dei prouidentiâ, vt ipsemet Doctor Angelicus reliqua aduersariorum subterfugia præuiderit, illorumque soluerit argumenta. Nam cum dicunt nihil impedire quominus Deus opt. dicatur Primum Agens, quamuis causam secundam actu non præmoueat, quia, inquiunt, dedit illi esse, eamque conseruat : & hoc existimant sufficere ad rationem primæ causæ, hoc manifestè falsum est in Doctrina D. Thomæ, & ad id demonstrandum, nulla ratione opus est, sed solo ipsius textu, in 2. sent. d. 37. q. 2. a. 2. [Hoc est, inquit, de ratione primi principij, vt agere possit sine alio auxilio prioris agentis & influentia eius : vnde si voluntas humana actionem aliquam potest producere, cuius actor Deus non esset, voluntas humana rationem primi principij haberet; & quamuis hoc soluere nitantur, dicentes, quòd voluntas etsi per se possit actionem producere sine influentiâ prioris agentis, non tamen habet esse à se, sed ab alio : quod etiam exigeretur ad rationem primi principij. Sed hoc, inquit, videtur inconueniens, vt quod à se, esse non habet, à se agere possit, cùm etiam per se durare non possit quod à se non est. Omnis etiam virtus ab essentia procedit, & operatio à virtute, vnde cuius essentia ab alio est, oportet quòd virtus & operatio ab alio sit. Et prætereà quamuis per hanc responsionem euitaretur, quòd creatura non esset primum ens simpliciter, non tamen posset vitari, quin esset Pimum Agens, si eius actio in aliquod prius agens non reduceretur sicut in causam.] Hæc D. Thomas.

VII. Confirmatur ex eodem in 2. sent. d. 25. q. 1. a. 1. ad 3. *Determinatio finis & actionis in potestate liberi arbitrij consistit, vnde remanet sibi dominium sui actus, licet non ita sicut Primo Agenti.* Vt quid quæso ait, [Non sicut Primo Agenti? Nisi quia agens secun-

dum à primo præueniri ad agendum necesse sit? Lege D. Tho. 3. contra Gent. c. 155.

Vrgeo magis: Deum opt. non solùm esse causam immediatam actus liberi, sed & directam, multoties probauimus, quod est illi proprium, cum solus interiora animæ ingrediatur, solusque habeat operationem essentiæ vt etiam suprà diximus ex D. Thoma. Atqui hoc docet Sanctus Doctor 1. 2. q. 80. a. 1 *Nihil, inquit, potest esse directè causa alicuius actus, &c. nisi per hoc, quod proprium principium illius actus mouet ad agendum.*

Et hoc fit, non solùm in via, sed & in patria ipsa, vbi gratia erit omninò perfecta, & liberum arbitrium perfectissimè liberatum; ita D. Thomas 1. 2. q. 109. a. 9. ad 1. *Donum gratiæ habitualis, inquit, non ad hoc datur nobis vt per ipsum non indigeamus vlterius Diuino auxilio, quia etiam in statu gloriæ, quando gratia erit omninò perfecta, homo Diuino auxilio indigebit.*

VIII. Deinde, cæcutiunt in meridie, qui in Doctrina D. Thomę dubitant de duplici determinatione Dei: vna quæ est per modum libertatis, quæ competit solis agentibus liberis. Altera, quæ est per modum necessitatis, qualis est illa, quæ conuenit causis necessariis. Nam pro prima determinatione, præter ea, quæ millies retulimus ex Angelico Doctore asserente Deum opt. ex efficacia suæ virtutis infinitæ, non solùm concurrere ad substantiam actus liberi, sed etiam ad modum ipsius libertatis, cuius non potest non esse causa. Sufficiant modò hæc ipsius verba 1. 2. q. 9. a. 6. ad 3. *Interdum specialiter Deus mouet aliquos ad aliquid determinatè volendum, quod est bonum, sicut in his quos mouet per gratiam.* Vbi velim duo perpendas. Primò hanc motionem determinatam fieri sine vllo libertatis creatæ præiudicio, vt fatentur omnes. Secundò, hunc motionis modum esse physicum, aliàs, non diceret Sanctus Doctor, ipsum esse soli Deo proprium, vt in toto articulo citato docet, nam mouere voluntatem moraliter, aliis à Deo commune est, vt diximus.

Altera etiam Dei determinatio euidens est in omnibus D. Thomæ operibus, nominatim q. 3. de potentia a. 7. ad 13. *Voluntas, inquit, dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem primæ causæ, sed quia causa prima, non ita agit in voluntate vt eam de necessitate ad vnum determinet, sicut determinat naturam.* Repugnat ergo voluntati creatæ hæc posterior determinatio quæ est per modum naturę, non verò prior, quæ est per modum libertatis, per quam voluntas non mouetur tantùm modo indifferenti & vago, sed determinato, vt in iis quos Deus mouet per gratiam ad aliquid determinatè volendum, vt supra diximus.

Rursùm. Duplex est ipsius voluntatis determinatio: vna causalis; formalis altera. Causalis est à solo Deo, vt à primo electionum nostrarum principio, & respectu illius voluntas se habet passiuè, diciturque talis determinatio libera vt quo, quia efficit vt actus liber exeat à voluntate; sic semen dicitur viuens vt quo, quia est instrumentum generantis ad vitam communicandam. Altera determinatio dicitur formalis, & est à Deo & à voluntate creata simul operantibus: nam Deo applicanti voluntatem siue illam reducenti ad actum secundum, hæc liberè operatur: estque hæc determinatio, ipsa electio libera seu voluntatis actio, quatenùs exit à voluntate vt mota à Deo. Vnde voluntas dicitur determinari seu moueri causaliter & vt quo per aliquid præuium ad eius operationem, non autem formaliter. quia formalis determinatio voluntatis, cum debeat esse ab ipsa & libera, non est aliud, quàm actio ipsa illius prout est ab illa & à Deo prius natura. Legendus Doctor Angel. 3. contra Gent. c. 90. Et 1. p q. 22. a. 2. ad 4. & quodlib. 1. a 7. ad 1. in 2. sent. ad Anibal. dist. 28 a. 4. ad 3.

IX. Denique hìc frustrà quærunt aduersarij exemplum in re singulari. Etenim non est ad rem quidquid affertur ex comparatione alicuius fortioris creaturæ aliam infirmiorem in agendo rapientis: quia non impedit Deus, quominus actus ad quem præmouet voluntatem, sit intimè à voluntate & liberrimus, cum potiùs hoc efficiat, vtpotè eidem intimè coniunctus: ita D. Thomas 3. contra Gent. c. 88. vbi ait, *Nulla substantia creata coniungitur animæ intellectuali quantùm ad sua interiora, nisi solus Deus.* Legendus etiam 1. 2. q. 9. a. 4 ad 1. & 3. & 1. p. q. 105. a. 4. ad 1. Computatur ergo Deus pro interna causa actus voluntarij, non formaliter vt anima, sed radicaliter & effectiuè, vt causa prima libertatis creatæ.

Nos igitur à Deo præmoueri in bonum, tùm physicè, tùm moraliter omninò necesse est, vt euidenter colligitur ex dictis & ex Tridentino asserente liberum arbitrium in iustificatione debere esse *Motum à Deo & excitatum*. Quare D. Tho. 1. 2 q. 111. a. 2. *Deus, inquit, non sine nobis nos iustificat, quia per motum liberi arbitrij dum iustificamur, Dei gratiæ consentimus: ille tamen motus, non est causa gratiæ sed effectus, vnde tota operatio pertinet ad gratiam.* At, an non liberrimus huiusmodi consensus? Et tamen est effectus primæ causæ: ergo eius influxus præuius, non nocet libertati sed fauet. Nam vt ait D. August. lib. de gratia & lib. arb. c. 16. *Vt velimus, Deus, sine nobis operatur (benè intellige) cum autem volumus, &c. nobiscum operatur, cùm sine illo, vel operante vt velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.*

X. Ex præmissis hactenùs inferre poterit Prudens Lector plurima esse modò perspicua in Doctrina D. Thomæ, quæ antea fortasse, satis obscura apparebant, iis præcipuè quibus lectio ipsius esset minus familiaris: v. g. cum ex D. Thoma dicunt, inditum esse homini appetitum vltimi finis in communi, ita vt naturaliter appetat homo se esse beatum. Sed quia naturaliter non constat homini, in quo consistat huiusmodi beatitudo, vtrum scilicet in virtutibus, diuitiis, &c, fit, vt quando ex propria ratione, adiutus Diuinà gratià, homo apprehendit bonum speciale in quo verè consistit eius beatitudo, tunc verè meretur: & secundum hoc, iusti hìc possunt mereri appetendo Deum vel vitam æternam. Ita D Thomas q. disp. de verit. q. 22. a. 7. Et tamen cum hoc stat tritum Philosophiæ adagium sc. *Naturalibus nos non mereri, aut demereri*, Priori sc. modo intellectum, quatenùs innatus beatitudinis appetitus est tantùm in communi.

Secundò pro maiori plurium difficultatum euidentia, & solutione, semper ob oculos habenda est distinctio de voluntate vt naturà, & vt est potentia libera de qua q. q. disp. q. 22. de verit. a. 5. & q. 24. a. 1. in fine vbi ait, *Respectu finis, habere nos liberam voluntatem sed non liberum arbitrium propriè loquendo*, Ad cuius rationem requiritur electio. Itidem de malo q. 6. de elect. a. 1. *Quidam posuerunt, inquit, voluntatem hominis ex necessitate moueri ad aliquid eligendum, nec tamen posuerunt, quòd voluntas cogeretur: sed hæc opinio est hæreticà, quia tollit rationem meriti & demeriti.* At præsupposita distinctione prædicta non erit difficilis solutio huius obiectionis, nam si voluntas consideretur primò vt natura est, quandam habet inclinationem naturalem in proprium finem sicut, & quæuis alia res naturalis in bonum sibi conueniens, sicque libertas hæc soli opponitur coactioni, vt iam diximus cum Cajetano & Ferrariensi. Atqui, si consideretur vt voluntas, seu vt formaliter libera, quę dicit indifferentiam iudicij & electionem, non solùm coactionem excludit sed & necessitatem. Vnde à

prima illa libertate secundum quam aliquando dicitur homo liberè appetere fœlicitatem, imò & Deus Pater libere producere Spiritum Sanctum, fallaciter argumentum deducitur ad alteram (quæ propria est) quà dicitur homo à Doctore Angelico non ex necessitate velle media, quæ ad fœlicitatem ordinantur, sicut & Deus non necessitate velle creaturas, &c.

XI. Dices ex D. Thomas in 3. sent. dist. 18. q. 1. a. 2. ad 5. [Etiamsi liberum arbitrium Christi determinatum esset ad vnum numero, sicut ad diligendum Deum (quod non facere non potest) tamen ex hoc non amittit libertatem aut rationem laudis & meriti, quia in illud non coactè, sed sponte tendit, & ita est sui actus Dominus] Ergo stat dominium ex D. Thoma sicut & liberum arbitrium cum tali determinatione ad vnum, vt non possit fieri oppositum.

Respondeo negando consequentiam. Et dico D. Thomam noluisse quamlibet determinationem ad vnum liberi arbitrij, respectu cuiuslibet obiecti, veram secum pati libertatem vel meritum, vt volebant quidam Moderni, sed solam determinationem ad hoc vnum numero, quod est diligere Deum: quia cum illa Dei dilectione ad quam liberum arbitrium habet necessitatem, stat indifferentia respectu aliorum quorundam, quę ad ipsam Dei dilectionem sicut ad finem ordinantur: quo in sensu dicitur à Theologis, quòd si aliqua creatura immobiliter Deo adhæreret, non idcircò priuaretur libero arbitrio, quia posset cum tali adhæsione multa facere vel non facere, quæ ad illam referre valeret: vnde non sine causa sic loquitur in argumento Doctor Angelicus, *Quia in illud non coactè, sed sponte tendit*, & non dicit, *Quia illud non coactè, sed sponte facit vel operatur*, Vt significet quod etsi Deum necessariò diligere supponatur, non tamen ea necessariò operatur, quæ ad illam dilectionem tanquam ad finem referuntur.

Et quando subiungit, quod nihilominus, *Sit Dominus sui actus*, Non intelligit actum dilectionis quem supponit determinatum, sed intelligit quemcumq; alium actum, quem propter ipsam Dei dilectionem exercet cum plena libertate arbitrij & cum electione ad hunc & illum actum indeterminatè se habente. Ita R. Pater Nicolai in Raynerium de libero arbitrio pagina 761.

XII. Hactenùs cum Æmulis egimus, in quibus tùm ob truncata aut perperam exposita Diui Thomæ testimonia, tùm ob falsas suppositiones nobis affictas, sinceritatem desideratimus. Sit ergo Elenchus quarundam exerrationum & falsitatum, quas hac in parte Thomistis imponunt.

Primò, dicunt aduersarij vulnus infligi nostræ libertati ex Prædeterminatione efficaci, quæ est executrix voluntatis Dei absolutæ & efficacis.

At, tantùm abest, vt nostræ liberati noceat Diuina hæc efficacia, quin potius illam foueat: vnde D. Tho. 1. p. q. 19. a. 8. ad 2. *Dicendum, inquit, quod ex hoc ipso, quod nihil voluntati Diuinę (sc. efficaci) resistit: sequitur, quòd non solùm fiant ea quæ Deus vult fieri; sed quòd fiant contingenter vel necessariò, quæ sic fieri vult.* Si enim voluntati Dei absolutæ & efficaci nihil resistere possit (intellige, vt loquitur aliquando Scriptura, in sensu composito) & velit Deus, vt liberè operemur (vt vult de facto, in iis, in quibus non sumus naturaliter determinati, v. g. respectu boni in communi) nihil certius est aut euidentius, quàm quòd liberè operemur, quotiescumque à Deo ad agendum præmouemur.

Secundò: maximè errant aduersarij, dum Deum opt. concipiunt veluti aliam causam particularem externam respectu voluntatis creatę ad modum causæ alterius creatæ, quæ voluntatem humanam in agendo præueniret.

At, in hoc potissimùm consistit eorum deceptio, quòd supponant esse de ratione libertatis creatę, vt sit in agendo, actu independens à primo libero, sc. Deo, qui est prima & intima radix nostræ libertatis: vnde ait D. Tho. q. 22. de verit. a. 8. *Sicut voluntas potest immutare suum actum, ita & multò amplius Deus.* Si igitur Innocentio Papæ Epist. 25. ad Conc. Cartaginense licuit dicere, *Ergo eris tibi in prouidendo præstantior, quàm potest is esse, qui te vt esses effecit*, Quid ni & mihi dicere liceat Antithomistæ? *Ergo ne eris tibi ad tuos actus determinandos potentior & præstantior, quàm possit esse is, qui te vt esses, effecit?* Lege eundem Angelicum Doct. q. 22. de verit. a 9. vbi ait, [Ex parte voluntatis, mutare actum voluntatis non potest, nisi quod operatur intra voluntatem & hoc est ipsa voluntas, & id quod est causa esse voluntatis: quod secundum fidem solus Deus est: vnde solus Deus potest inclinationem voluntatis quam ei dedit transferre de vno in aliud secundum quod vult.]

Item lib. 3. contra Gent. c. 88. [Oportet, inquit, quod omnis motus voluntatis ab interiori principio procedat: nulla autem substantia creata coniungitur animæ intellectuali quantùm ad sua interiora, nisi solus Deus, qui solus est causa ipsius vt sustinens eam in esse: à solo ergo Deo potest motus voluntarius causari.] Et infrà, [illud solum agens potest causare motum voluntatis absque violentia, quod causat principium intrinsecum huius motus, quod est potentia ipsa voluntatis: hoc autem est Deus, qui solus animam creat.]

Perperam igitur ab aduersariis quæruntur exempla in re singulari, qualis est Deus, cui proprium est ac singularissimum, voluntatem immutare, tàm obiectiuè (intellige efficaciter) quàm effectiuè: vt ait D. Thomas 1. p. q. 105. a. 4.

XIII. Dices. Si Deus vellet imponere necessitatem voluntati creatę, non posset id prestare aliquo fortiori pacto seu instrumento, quàm Prædeterminatione physicà. Ergo si voluntatem prædeterminat per talem motionem, ei necessitatem imponit.

Respondeo antecedente relicto: negando consequentiâ quia quamuis Deus nihil haberet hac motione potentius, habet tamen diuersos mouendi modos per eandem, quibus vel necessitatem imponit, vt in amore beatifico & in volitione boni in communi: vel causando libertatem, quatenùs sic mouet, vt relinquat in intellectu obiectiuam indifferentiam iudicij & in voluntate potentiam ad oppositum, sicut de facto mouet Deus hominem in statu viæ ad omnes actus humanos.

Cum autem dicitur, quòd possibili posito in actu, nullum sequitur inconueniens tale, quale sequitur ex Præmotione, si in actum reducatur id quod dicitur possibile in sensu diuiso. Vide solutionem huius argumenti lib. 3. in fine, vbi quoque satisfit argumento non minus difficili ex hoc axiomate, *Quod facit actus actu, hoc facit possibiliter potentia*, Ex quo inferunt (sed male) quod si actu non amare v. g. fit, irritam esse Dei præmotionem ad amandum: ita & posse non amare, fit quoque posse irritam eam efficere.

Respondetur enim ex hoc axiomate, *quod facit*,... fieri non debere transitum à sensu diuiso v. g. posse non amare, ad compositum, quod est, actu non amare, positâ ad amorem Pręmotione: illicitamque esse illationem à potentia antecedenti ad actum consequentis: debet enim fieri comparatio potentiæ cum actu proprio. Porrò, actus ille est operatio, à qua inseparabilis est Pręmotio, quæ est velut quoddam medium inter actum primum & secundum, separabile tamen à principio habituali constituto vel per virtutes operatiuas in ordine naturę, vel per gratiam sufficientem in ordine gratiæ.

Item scias principium operans posse sumi vel effectiuè, vel formaliter: primo modo est Deus operans seu præmouens creaturam v. g. ad amandum, & est semper prius naturâ, omnis enim causa est prior effectu. At cum formaliter sumitur, est ipsum concretum, sc. *operans*, cuius forma est *operatio*, sicut & iustitia est forma *iusti*, quæ forma non constituit principium operans, sed sequitur ex illo. Quare hic nemo laboret æquivocatione.

At, quantùm ad falsitates Thomistis affictas. Primò dicunt aduersarij voluntatem sic à Deo determinari vt non se determinet: Sed id, vt falsum reijciunt Thomistæ: asserunt enim voluntatem nostram ita à Deo tanquam à primo libero determinari, vt semetipsam determinet velut secundum liberum: nam præter causalem determinationem quæ est à solo Deo, & quâ ipse applicat voluntatem ad operandum, est alia formalis, vt dictum est, quæ est à Deo & a voluntate simul operantibus, & hæc posterior est prioris effectus.

XIV. Dicunt Secundò nos nullam relinquere indifferentiam in voluntate præter passiuam. Atqui & actiuâ etiam gaudere eandem profitemur: passiuâ quidem in ordine ad Diuinam motionem quam recipit: actiuâ verò, respectu propriæ operationis quam elicit.

Dicunt Tertiò nos docere voluntatem à Deo prędeterminatam non posse non operari aut oppositum agere. At, vtrumque eam posse in sensu diuiso asserimus.

Quartò Caluinisticam sensus compositi & diuisi explicationem imponunt Thomistis aduersarij, dum posse non agere in sensu diuiso idem esse dicunt quod ablata seu diuisa præmotione à volunte creata. At, hoc est falsissimum, cùm voluntas creata sub ipsa Dei motione efficaci absolutam ad non agendum vel ad dissentiendum conseruet potentiam.

Quintò totam libertatem nos ponere in intellectu existimant, sed falsò: etenim illius radicem in eo tantùm collocamus: in voluntate verò eam residere tanquam in propria sede prædicamus.

Sextò, loco alicuius suppositionis quam agnoscimus, nobis imponere satagunt aduersarij, nos sentire necessitatem esse cum libertate compossibilem: quod nunquam somniauimus.

Septimò, potentiam resistendi confundunt Antithomistæ cum resistentia actuali: secùs verò, veri Diui Thomæ discipuli, à quibus semper defenditur integra resistendi potentia, etiam sub efficacissima Dei Præmotione, per eam sublatâ solâ actuali resistentiâ.

Sed antequam dicendi finem hic faciamus, necesse est, vt iuxta à nobis in titulo promissa, vtriusque Præceptoris concordiam in vtroque statu aperiamus: vnde fit.



Breuis ac perspicua elucidatio, valdè vtilis, immò & apprimè necessaria: tùm pro sincera plurium testimoniorum Sancti Pręsulis Augustini intelligentiâ, aliàs inter se euidenter pugnantia: tùm pro perfectâ Sancti Antistitis conuenientiâ cum Angelici Præceptoris Doctrinâ, pręcipuè quantùm ad actuale auxilium gratiæ Adamo & Angelis necessarium, etiam in statu innocentię.

I. ERudite Lector, hic rursùm quidem, sed tam compendiosè agitur de gratia sufficienti in statu naturę corruptæ, vt tædio carere debeat hęc repetitio, de quâ sanè gratiâ fusius iam iam lib. 1. dixeramus vt Thomistas à calumnia purgaremus. Cur autem sit dicta sufficiens, quoue in sensu à Thomistis sit intellecta, perspicuè illic exposuimus. Et cum de ipsa sic explanata dicat Iansenius ipse lib. 3. de gratia Christi c. 1. quòd, [Talem, sc. gratiam, sufficientē fortassè non difficulter admitteret D. Augustinus, & consequenter ipse Iansenius, vtpote qui nihil aliud intenderet, quàm vestigiis Sancti Pręsulis insistere: hic non immoramur, nisi vt prædictam tantorum Doctorum consensionem, Diuum intelligo Augustinum & Doctorem Angelicum, prosequamur; quos hic quoque reperies non minus vnà consentientes; quàm in iis, de quibus hactenùs. Fatendum tamen est, circa Adamum in statu innocentię, & Angelos ante eorum lapsum, difficultatem esse non mediocrem de mente Sancti Pręsulis Augustini: cum enim Adamum & ipsos sæpius dicat voluntate seu libero arbitrio stetisse aut perseuerare potuisse; inde existimarunt aliqui in illo fœlici statu innocentiæ, liberum arbitrium creatum vtpotè sanum, sine vllo Dei adiutorio actuali præueniente bonum operari potuisse.

II. Thomistæ verò existimant, fuisse in Angelis & Adamo Dei adiutorium ab ipsorum naturâ seu virtute naturali voluntatis siue liberi arbitrij distinctum; siue in gratia sanctificante præcipuè consisteret; siue primariò in appetitus inferioris constanti subiectione, siue in vtrumque ipsius ratio collocanda sit. Etenim vt ait D. August. de cor. & gratia loquens de Adamo, *Nec ipsum Deus voluit esse sine sua gratia, &c. sine quâ etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset.*

Deinde fuisse & in ipsis præter illud habituale aliud actuale (quod & necessarium diximus cum Angelico Doctore 1. 2. q. 109. a 9 ad 1. in ipso statu gloriæ, vbi gratia erit omninò perfecta.) Et pro hoc posteriori specialiter militant Thomistæ, vt conformis sit ipsorū Theologia principijs Philosophiæ naturalis Aristothomisticæ, in quibus radicatur essentialis creaturarum dependentia, cum vniuersalissima Dei & immediatâ causalitate, quam nihil possit subterfugere, quamque ipsi tuentur nomine Prædeterminationis physicæ.

Et hoc pro comperto & indubitato habent, si attentè perpendantur quæ sequuntur & leguntur apud Sanctum Præsulem Augustinum Conc. 2. in Ps. 32. ad illa verba *Verbo Domini cœli firmati sunt.* 1. 3. De Gen. ad lit. lib. 8. c. 10. & 12. lib 2. de peccat. merit. c. 18. Et lib. de natura & gratia c. 26. & c. 48. lib. 1. de gratia Christi cap. 26. lib. 4. contra Iul. c. 3. lib 3. Confess. c. 3. Et de natura & grat. cap. 18. *vbi stultum existimat D. Augustinus, petere vt facias, quod habes in tuâ potestate*: ex quo sic licet argumentari: Si nullum habuit Adamus auxilium præter illud sufficiens, quod libero eius arbitrio ita esset subditum, vt nullo vlteriori indigeret subsidio: profectò precibus recurrere non debuit ad Deum pro aliquo alio ampliùs obtinendo; nec defecit, petere omittendo. Atqui vtrumque est falsum & contra Doctorem An-

gelicum 1. p. q. 94. a. 4. ad 5. vbi ait. *Adamo non fuisse collatum auxilium ad resistendum tentationi quia non habuit recursum ad Deum pro illo obtinendo.* Et in huius confirmationem legatur Gelasius Papa tom. 2. Conciliorum pag. 257. vbi egregiè hanc doctrinam confirmat.

Deinde, audiamus Sanctum Præsulem tract. 2. c. 8. de cantico nouo & reditu ad Cœlestem patriam tom. 9. vbi ait, *Odit Deus præsumptores de viribus suis. Quid enim valeat liberum arbitrium non adiutum in ipso Adamo demonstratum est: ad malum sufficit sibi, ad bonum, non: nisi adiuuetur à Deo.* Quid ad hæc? profectò hoc est euidentius, quàm vllâ egeat expositione, aut vllam relinquat de mente Sancti Præsulis dubitandi rationem. Sed vrgeamus.

Tomo 5. lib. 12. de Ciuit. Dei ad Marcell. c. 9. loquens Diuinus Antistes de bonis Angelis, ait. *Sunt isti ab illorum societate discreti; quod hi in eadem voluntate manserunt; illi ab eâ deficiendo mutati sunt, malâ sc. voluntate, hoc ipso quod à bono defecerunt, à quo non defecissent si vtique voluissent: Si autem Angeli boni fuerunt prius sine bonâ voluntate, eamque in se ipsis Deo non operante fecerunt: ergo meliores à se ipsis, quàm ab illo facti sunt. Absit &c. Aut si non potuerunt, seipsos facere meliores, quàm eos ille fecerat, quo nemo melius, quidquam facit: profectò, & bonam voluntatem quâ meliores essent, nisi operante adiutorio Creatoris habere non possent, &c. Aut si vtrique boni æqualiter creati sunt: istis malâ voluntate cadentibus, illi amplius adiuti ad eam beatitudinis plenitudinem, vnde se nunquam casuros certissimi fierent, peruenerunt.* Quid sibi vult Sanctus Præsul dum ait Angelos bonos, *bonam habuisse voluntatem operante adiutorio Creatoris, hosque præ cæteris fuisse amplius adiutos, stultissimum existimans dicere Angelos bonos à seipsis meliores esse effectos quàm à Deo?* Atqui hoc euidentissimè sequitur ex opinione quam volunt Sancto Antistiti Augustino affingere.

Nec authētico huic Diui Augustini testimonio vel apparenter satisfacit Dominus Iprensis, dùm per tò *amplius adiutos*, seu per majus illud auxilium Angelis bonis concessum, ait, *intelligendam esse ipsam beatitudinem*, sicut lib. de gratia primi hominis & Angeli vocat, *visionem, adiutorium ad videndum,* Non inquam satisfacit, quia illic non est sermo de ipsa beatitudine in se, sed de auxilio quo Angeli sancti ad beatitudinem peruenerunt; Et qui aliud sentiunt inquit Estius, sensum Augustini reddunt ineptum.

III. Erudite Lector, iam tibi satis constat, vt arbitror, me nusquam implicari, tritæ huic distinctioni, auxilij, *sine quo non*, & auxilij, *quo*, per quod veluti legitimo ac sufficienti discrimine conati sunt quidam Moderni innocentiæ statum distinguere à statu naturæ corruptæ: ita vt in illo priori non esset nisi auxilium sufficiens, quod efficax fieret solo voluntatis creatæ arbitrio, In alio verò, non nisi efficax, quod suum semper sortiretur effectum. Nunquàm enim mihi in animum inducere potui ob perfectionem status innocentiæ: sic inuersum ordinem naturæ, vt naturalis dependentia creaturæ solueretur, cum ex Diuo Thoma subsistat in ipso statu gloriæ, longè perfectiori, teste Sanctissimo Præsule de cor. & grat. c. 12. & cum voluntas creata etiam sana, siue humana, siue Angelica, non sit magis soluta à Primo Libero, quam omnis alia causa à primo Agente: Numquam potuit in actum secundum prorumpere, nisi eo præparante & præoperante qui *operatur & velle*. Itidem quantùm ad alterum distinctionis membrum, non dubito quin excesserint illi qui ob collata quædam efficacissima Sanctis Martyribus diuinæ gratiæ auxilia, idque singulari Dei fauore, de quibus loquitur D. Augustinus de cor. & gra. c. 12 moliti sunt inferre omnem omninò gratiam in statu naturæ corruptæ verè esse efficacem. Etenim si ita esset, vt quid nos hortaretur Apostolus, ne in vacuum gratiam Dei reciperemus? Quid causæ aliàs Stephano increpandi Iudæos, quòd semper Spiritui Sancto restitissent? Scio subterfugium seu euasionem distinctionis de gratiâ interiori, cui nunquam resistamus, sed occupatam ab Innocentio X. ac damnatam; oppositum definiente.

At, ne anceps esse possis de mente Sancti Præsulis lege fidelissimum eius interpretem Angelicum Doctorem 1. 2. q. 109. a. 10. ad 3 [Homo in primo statu, inquit, accepit donum per quod perseuerare posset: non autem accepit, vt perseueraret: nunc autem per gratiam Christi multi accipiunt & donum gratię quo perseuerare possunt, & vlterius eis datur quod perseuerent. Et sic donum Christi est maius quàm delictum Adæ.] Vbi aduerte Sanctum Doctorem agnoscere, multos quidem, etiam in hoc statu accepisse, hoc excellens donum gratiæ quâ de facto fœliciter perseuerarunt, (& tales fuêre Sancti Martyres de quibus loquitur August. de cor.) Sed non omnes nos, vt nostrâ infœlici experientiâ constat & culpâ. Et ita perspicuum est; non omnem Christi gratiam esse efficacem, vt contendebant illi Moderni.

Verùm, quoniam Dominus Iansenius lib. de gratia Christi cap. 1. habet quæ sequuntur, [Mihi, inquit, in hoc opere propositum est, non tàm ex meo sensu patefacere, quid ex parte rei de Diuinę gratiæ, adiutorio statuendum sit, quàm quid statuerit Augustinus; atque eius veram genuinamque sententiam Eruditorum oculis exponere, &c] Nihil hìc mihi superest, nisi vt de mente Diui August. hac in re apertè constet, quem ab Angelico Doctore conati sunt quidam Moderni inuitum & reluctantem separare, quantùm ad liberum arbitrium quod volebant dominari gratiæ in statu innocentiæ, non obstante naturali dependentiâ creaturæ à Primo Agente, quam oportet in omni statu subsistere, vt diximus. Et quamuis vnusquisque possit iam iudex esse de mente Sancti Præsulis, quia tamen hìc cum nemine volo contendere, apud me statui iudices in hac controuersia eligere, inter quos non inuocabo innumeros Thomistas Dominicanos: Thomam Lemos: Vinc. Baronium: Gonetum, qui (vt legi apud prædictum Baronium vinginti argumentis concordiam Diui Thomæ & Sancti Augustini quoad subiectam thesim probauit, occupatis omnibus subterfugiis ad quæ possent moderni confugere) hactenùs meas in manus venire nequiuit, non Brauardinum, non Petrum Herrera, qui omnes D. Thomam vnâ cum Sancto August. eo, mente & voce loquentem induxerunt.

Minùs suspectus esset Leonardus Coquetius affectu & studio suisque egregiis commentarijs in libros de Ciuit. Dei ac professione Augustinianus: sed omninò audiendus Estius pari Patrum ac Scholasticæ peritiâ celeberrimus, & cuius suffragium vt arbitror ipsi Iansenio gratissimum fore non dubito, vtpotè, quem semper coluit tanquam suum Præceptorem: igitur ex Estio præsens controuersia dirimatur in 2. sent. dist. 5. parag. 2. [Alij, inquit, adiutorium Angelis ad perseuerandum necessarium, intelligunt speciale ac supernaturale Dei auxilium à prima gratia diuersum, à quo ipsum perseuerandi actum seu effectum in homine vel Angelo operatur, videlicet effi-

caciter faciens illum perseuerare, ita vt per hoc donum, non tantùm habeat Angelus vel homo posse perseuerare, verum etiam ipsum perseuerare : atque hoc auxilium negant datum fuisse omnibus Angelis, si enim omnibus datum fuisset, omnes vtique perseuerassent : sed datum dicunt solis electis. Hęc sententia nobis habetur probabilior atque omninò vera, siue Scripturam, siue Patrum Doctrinam, siue rationem consulamus : nam Scriptura, Patrum authoritas, ipsa quoque ratio testatur, omne bonum in Deum Authorem refundendum esse, & pro omni bono in solo Deo gloriandum. Quòd si ita est, vt certè dubitari non potest, igitur Angeli quicumque perseuerant, non solùm acceperunt à Deo posse perseuerare, sed ipsum perseuerare : vt non solùm in hominibus lapsis, & per gratiam reparatis veritatem obtineat illud Apostoli. Quis te discernit? Et quid habes quod non accepisti? Verùm etiam in electis Angelis.] Quid ad hæc Candide Lector?

Et ibidem paragraph. primo in fine [Cum generaliter, inquit idem Estius, docetur gratiam ad conuersionem in Deum esse necessariam, nomine gratiæ intelligendum est, donum quoddam & auxilium Dei supernaturale quo mens eleuatur ad bonum illud supereminens, siue sit habituale donum, siue quid aliud, quemadmodum, eodem articulo in corpore Sanctus Thomas satis indicat : huiusmodi autem donum fuisse Angelis ad conuersionem necessarium, adeò certa Doctrina est, vt Augustinus lib. 12. de ciuit. cap. 9. tanquam absurdissimum reiiciat, si quis dicat Angelum propriâ voluntate se fecisse meliorem, quàm à Deo factus sit. Itaque siue bonam voluntatem, quâ in Deum mouebatur, habuerit simul cum naturâ : siue illa ei posteà accesserit, planè contendit Sanctus Augustinus, eam nisi operante adiutorio Creatoris Angelum habere non potuisse. Quę Doctrina in Scripturis fundatissima est, vtpotè Deo Authori omne bonum intellectualis creaturæ passim asserentibus vt Iac. 1. Rom. 11. 1. Cor. 4. & 12. Quod quidem bonum, si sit supernaturale, ipsum quoque auxilium Dei per quod tale bonum confertur, consequenter supernaturale esse intelligitur, quia vires naturæ vltra naturam se non extendunt] Hæc ille, quem semper veneratus est Dominus Iprensis, & cuius iudicium consequenter non recusabit.

IV. Sed velim perpendas vltima eius verba [Quia vires naturę, &c. quæ est fundamentalis ratio (& quæ sola, hac in re esset sufficientissima) ob quam Bannes 1. p. q. 62. a. 2. in o & ad 3. docet [Angelum non potuisse voluntate conuerti in Deum vt beatificum bonum, nisi per auxilium gratiæ Dei, seu motû, à supernaturali agente] Etenim longè maior est repugnantia vt illud potuerit homo vel Angelus, quàm vt aqua calefaciat aut calor carnem generet, quod hæc non præstat, nisi quatenùs est instrumentum ignis, iste verò prout est instrumentum ab anima sensitiuâ eleuatum.

Sed ad Estium redeamus, quandoquidem eius testimonium hac in re, omni exceptione maius est Hic autem prudentissimè monet, *Ea quæ de adiutorio primi hominis & Angelorum obscurius, & vt videtur extra Scripturæ authoritatem ab Augustino disputata sunt, ad hoc, vt ex ea comparatione, gratia nostra per Christum reparationis magis emineret, non debere præiudicare Doctrinæ quę apud alios Patres, ipsumque Sanctum Thomam expressior habetur, maximè propter rationes in eam partem grauissimas, & vt mihi videtur, in Scriptura fundatas.*

Et rursum loco sup. cit. [Quæ in contrarium, inquit, objiciuntur, &c. sc. hominem in primo statu accepisse donum per quod perseuerare posset, si vellet : ipsum autem velle relictum in eius libero arbitrio, accipiendum sit de dono habituali gratiæ, quod in genere doni habitualis fuerit sufficiens ad perseuerandum : non ita tamen quin ad actualem perseuerantiam opus habuerit actuali auxilio Dei,] Et ibidem post pauca.

Et sanè, inquit, nisi hanc à Sancto Thomâ insinuatam intelligentiam verborum Augustini recipiamus, difficillimum erit, ac ne possibile quidem Augustinum sibi ipsi conciliare, &c. & præsertim ex lib. 12. de ciuit. cap. 9. Lege totum Estium locis citatis, nam ipse omnibus rationibus oppositis, egregiè satisfacit. Cumque lib. 2. dist. 26. quasdam obiectiones sibi proposuisset ad 2. ait, *Imperfectam esse comparationem gratiæ cum lumine, nam gratia non tantùm est instar oblati luminis, sed etiam ipsa oculos aperit, &c.*

Asserentibus autem opus consummari acceptatione & consensu gratiæ, quod ad liberum arbitrium videtur pertinere, ibidem ad 3. respondet. *Sicut Pater non est incarnatus, & tamen incarnationem Filij sui operatus est : & sicut Deus non mouetur nec ambulat, & tamen motum omnem in rebus producit. Sic & gratia non acceptat gratiam. sed tamen illam acceptationem quâ voluntas nostra gratiam acceptat, operatur.*

Quod diximus hactenùs, potest efficacissimè confirmari ex Conc. Arausic. can. 9. *Natura humana etiamsi in illa integritate in quâ est condita, permaneret : nullo modo seipsam Creatore suo non adiuuante seruaret : vnde cum sine gratia Dei salutem non possit custodire quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?* Candide Lector vt apud te, integrum pondus obtineant hæc verba, memento, depromota esse ex ipsomet Augustino Epist. 106. Idemque esse iudicium (vt fatentur omnes) de Angelo & homine in statu innocentiæ.

V. Sed, inquies, tibi, cui (tanto honori & amori est Sanctus Augustinus) modò incumbit, indicare quo pacto tàm diuersa Sancti Præsulis testimonia sint intelligenda, & insuper aperire, quî non dissideat ab Angelico Doctore, in cuius verba, ex professione tuâ, iurasti.

Libentissimè igitur & ex animo vtrumque pro modulo præstare conabor, saluo semper meliori iudicio. Et quantùm ad primum, existimo per omnia Sancti Præsulis testimonia, quibus in specie tantùm & apparenter, aliquid videtur dicere oppositum Doctrinæ quam ex illo tàm euidenter demonstrauimus, nihil aliud, ipsum intendisse, quàm Pelagianos reuincere, illosque ex Scripturis edocere prærogatiuas, & excellentiam status innocentiæ, & miseram conditionem, sub quâ vsque adhuc ingemiscit omnis creatura, in quam per peccatum primi parentis sumus prolapsi, cum necessitate remedij, quod assiduis precibus a Deo efflagitare debemus, seu vt paucioribus rem complectar, Sanctum Antistitem voluisse discrimen ostendere, quod est inter naturam sanam, eamdemque vt peccato sauciatam. Cum ergo dicit quod Adamus in accepta iustitia mansisset, si voluisset : verus sensus illius est, quod posset sine difficultate bonum operari sine vlla concupiscentiæ pressurâ, idque conformiter ad suam naturam, non resistentem, non repugnantem. Homo verò lapsus, pondere quodam in peccatum propendeat, aggrauatus tùm ex concupiscentiâ, tùm ex tentationum frequentia, importunitate & potentia, quibus impeditur ne in bonum se se facilè erigat : quod bonum post peccatum iam non operatur, nisi Deo sanante & confortante, tùm vt vincantur passionum impetus, tùm vt eludantur dæmonum insidiæ.

Dicitur ergo à Sancto Augustino, bonum in hoc felici innocentiæ statu, voluntariè fieri ab homine, id est, sine repugnantia aut difficultate : itidem, & malum committi, solo illius arbitrio, quia absque vlla infirmitate

aut agone concupiscentię, seu vt ipse loquitur de cor. & gratia c. 11. quia Adamus, *Sua secum pace fruebatur, nullâ rixâ à se ipso, aduersus se ipsum tentatus atque turbatus.. cuius voluntati nihil ex se ipsa concupiscentialiter resisteret*, Vt ibidem ait cap. 12

Et prædictam Diui Augustini expositionem, non reijceret modò vt arbitror Dominus Iansenius, cùm euidenter legatur apud Doctorem Angelicum, quem ipse vocat, *Augustinum abbreuiatum*, Ille enim 1. 2. q. 109. a. 10 ad 3. ait, *Facilius homo per gratiæ donum perseuerare posset in statu innocentiæ, in quo nulla erat rebellio carnis ad Spiritum, quàm nunc possimus, quando reparatio gratiæ Christi, etsi sit inchoata quantùm ad mentem, nondum tamen est consummata quantùm ad carnem.* Ex quo patet, propter perseuerandi facilitatem, Adamum dictum esse: potuisse per liberum arbitrium perseuerare in statu innocentiæ: prout Sanctum Antistitem rursùm est interpretatus Doctor Angelicus 2. 2. q. 137. a. 4. ad 2. his verbis. *Dicit Augustinus in lib. de cor. & gratia quod primo homini datum est, non vt perseueraret, sed vt perseuerare posset, per liberum arbitrium: quia nulla corruptio tunc erat, quæ perseuerandi difficultatem præberet.* Quid clarius?

Nec vllum vnquam protulit verbum sanè intellectum Diuinus Antistes, quo illud adiutorium ad singulos actus necessarium, in Scriptura satis expressum, in Conciliis definitum, à Sanctis Patribus propugnatum, reprobarit: quinimmò, millies probauerit, vt patebit legenti hos tres libros. Nam cum illud auxilium sit necessarium, tùm ob vniuersalissimam Dei causalitatem: tùm ob essentialem creaturæ dependentiam à Deo, quę stat in omni statu non excluditur à statu innocentiæ, cum necessarium iudicetur in statu gloriæ longè perfectiori, vt ait D. Tho. 1. 2. q. 109. a. 9. ad 1.

VI. Dices. Prorsùs voluntaria videtur hęc tua expositio Diui Augustini, ac parùm conueniens communi modo loquendi, quo quis censetur aliquid posse si velit, cui nihil quidquam desit præter voluntatem, quam ipse habeat, omninò independentem ab omni alio. Si ergo dixit Sanctus Pręsul, quòd perseuerasset Adamus si voluisset, sine dubio intellexit, ipsum non debuisse amplius quidquam à Deo expectare, quo ille fieret actu volens, præter iam acceptam gratiam sufficientem, quam ipse redderet sua volitione efficacem.

Respondeo hic non tàm consulendum esse communem loquendi modum, quàm Diuinam authoritatem, *A qua (vt ait D. August. de cor. & gratia c. 1.) non debemus recedere, si volumus peruenire quò tendimus*, Nec itidem quærendum esse exemplum in re singulari: cùm nulla creatura tantam habeat dependentiam respectu alterius, quantam habet voluntas creata respectu Dei. Dico igitur aliquid verè dici posse sufficiens, & aliquem dici posse perseuerare si velit, etiam ex mente Sancti Præsulis Augustini, quamuis pręter id, quod dicitur sufficiens, vlterius aliquid requiratur, sit quoque aliquid necessarium, quo Deus operetur & velle, in eo qui dicitur, v. g. posse perseuerare si velit.

Probatur. Præter gratiam (quâ aliquis dicitur posse) scilicet sufficientem, vlteriùs necessaria est efficax: & pręter gratiam habitualem, quæ à Diuo Thoma dicitur sufficiens, etiam ad perseuerandum, de consensu omnium Theologorum, vltrà requiritur donum perseuerantiæ, quod non cadit sub meritum. Ergo ex eo quod aliquis dicatur posse perseuerare si velit, per hoc non excluditur Dei auxilium necessarium ad perseuerandum, & ab omni alia præcedente gratia distinctum. Nam vt ait D. Augustinus, *Quid valeat liberum arbitrium creatum non adiutum, in ipso Adam demonstratum est.* Vt suprà diximus.

Confirmatur efficaciter ex D. Augustino lib. de cor. & gratia c. 7. (& hic nota erudite lector, hunc librum præ cæteris omnibus Diui Augustini operibus, nobis obijci ab aduersariis, velut sufficientem diffidij causam inter Sanctum Augustinum & Doctorem Angelicum) *Quoniàm, inquit, potest dici, homo, in eo quod audieras & tenueras, in eo perseuerares si velles: nullo autem modo dici potest, id quod non audieras, crederes si velles.* Et tamen nihil certius est, quàm quòd præter externam prædicationem, aliquid vlterius intimum requiratur, quo, à Deo præcordia tangantur, quia vt ex D. Gregorio alibi diximus, *Mutum est os omne quod loquitur, nisi aspiret Deus verba quę audiantur*, Seu vt ait Augustinus ipse de dono pers. c. 19. *Quomodolibet dicatur homini verbum Dei, procul dubio qui sic audit, vt illi obediat donum Dei est*, Ergo ex mente Sancti Præsulis, per hoc quod ipse dixerit, Adamum potuisse perseuerare si voluisset, non negauit quominus donum speciale foret illi necessarium quo, actu vellet, ita eodem lib. cap. 12. *Istam, inquit, gratiam non habuit primus homo, quâ nunquam vellet esse malus, sed sanè habuit, in qua si permanere vellet nunquam malus esset. &c. Acceperat posse si vellet, sed non habuit velle quod posset; nam si habuisset, perseuerasset.* Quòd autem non habuerit, in ipso causa fuit, non in Deo, vt alibi diximus in solutionibus argumentorum. Si ergo dicatur homo posse in fide perseuerare, *Vbi (inquit D. Augustinus lib. de dono pers. c. 2.) hoc agit qui persequitur, ne perseueretur.* Longè potiori iure dictus est ab Augustino posse perseuerare Adamus in tanta perseuerandi facilitate, quamuis id non faceret, nisi eo donante, à quo omnia habemus, & sine quo nihil boni facere valemus.

VII. Confirmatur secundo, ex Trid. sess. 6. c. 13. vbi loquens de dono perseuerantiæ, ait tale donum, *Aliunde haberi non posse, nisi ab eo, qui potens est, eum qui stat, statuere, vt perseueranter stet: & eum qui cadit restituere*, (Si enim hoc non sit donum Dei, & fictitiæ sunt, inquit Augustinus, gratiarum actiones quæ fiunt à Beatis pro illo adepto; & irrisorię preces, quas hic fundimus, pro illo obtinendo.) Atqui, prędictum sacræ Synodi decretum, non minus intelligendum esse de Adamo stante, quàm de eius posteris, perspicuum esse existimo in Doctrina Diui Thomæ & Sancti Præsulis. Etenim huius asserti ratio, educitur ex naturali dependentia creaturę, & ex imperfecto dominio quod habet homo in suas facultates, quas vt alibi cum D. Thoma diximus, nō valet hìc firmare in bono, vt quotidie experimur. Naturales autem hominis facultates non fuerunt ablatæ aut diminutæ per peccatum, iuxta D. Dionys. c. 4. de Diuin. nom. siue in homine, siue in dæmonibus, nam in illis naturalia remanserunt integra: ex quo infert Doct. Angelicus 1. p. q. 95. a. 1. perfectam subiectionem corporis ad animam, & appetitus inferioris ad superiorem, non fuisse homini naturalem: quia si naturalis extitisset, in eo per peccatum lapso, permansisset: vnde Diuus Thomas 3. contra Gent. c. 155. sic vniuersaliter philosophatur, *Omne quod est de se variabile, ad hoc vt figatur in vno, indiget auxilio alicuius mouentis immobilis: homo autem est variabilis*: ex hoc ergo D. Thomæ testimonio, & vniuersali Philosophiæ principio, *Nemo dat quod non habet*, quomodo id quod non habet firmitatem ex se, hanc sibi aut alteri dare posset? Atqui hanc non habuit liberum arbitriū creatum, etiam in statu innocentiæ, vt infœlici claruit experientia Adami. Ergo si Adamus perseuerasset, donum Dei & quidem singulare fuisset: quod suâ culpâ non accepit, vt alibi diximus. Quare Diuus Augustinus ipse Conc. 2. in Ps. 32. loquens de Angelis sub Cœlorum figuris: in hæc verba: verbo Domini

Cœli

Cœli firmati sunt: ait. *Nec ipsi (sc. bòni Angeli) firmitatem sibi propriam præstiterunt.* Et cap 11. de Ciuit. c. 19. ait *Inter Sanctos Angelos & immundos fuisse discretum: vbi dictum est: Et diuisit Deus, inter tenebras & lucem: solus quippe Deus (inquit Augustinus) illos discernere potuit.* Quis enim te discernit? Huic planè conformis est D. Gregorius Mag. lib. 25 moral. c 8. *Alijs cadentibus, inquit, alios à Deo fuisse solidatos: vtique similiter casuros, nisi fuissent solidati.* Non sunt igitur Sancti Augustini defensores; sed vt ipsemet loquitur alibi, liberi arbitrij creati inflatores; qui illud ita extollunt, vt solo illius vigore gratiam sufficientem, fieri posse efficacem in statu innocentiæ existiment.

VIII. Quî ergo conciliabis hos duos Ecclesiæ Doctores, Augustinum & Doctorem Angelicum? Hoc fieri posse non diffido, si semotis partibus perpendat Lector eruditus quæ subijciam. Primò cum voluntas creata sit agens physicum simul & morale; non tantùm physicè, sed etiam moraliter à Deo moueri debet: primum fit per internam applicationem voluntatis, & se tenet ex parte potentiæ, diciturque motio realis. Alterum se tenet ex parte obiecti, & dicitur motio metaphorica seu intentionalis, quæ est à Deo tanquam à fine vltimo, sicut & physica competit illi in ratione primi principij. Et hanc vtramque Dei motionem eleganter expressit Diuus Bern lib. de grat. & lib arb. his verbis: *Deus voluntatem, inquit, applicat operi: & opus explicat voluntati.* Porrò hæc explicatio est motio moralis, quę physicam supponit, sicut & Deum ipsa physica, quæ naturalis non dicitur, nisi prout condistinguitur contra moralem: etenim in ordine supernaturali aliter loquendum esset. Et prædictas duas motionis species cognouerunt Doct. Angelicus & D. Augustinus: ille quidem millies vt 1. p q. 105. a 4. dum ait, *Deum mouere voluntatem, non solùm per modum obiecti, sed etiam interiùs inclinando,* Vbi prior est moralis expressa: posterior, physica. Hic verò de spiritu & litt. c. 34. docet Deum agere *visorum suasionibus vt velimus.* En moralis. Sed physicam ipsemet lib. 1. ad Simpl. q. 2 insinuauit his verbis, *Quis, inquit, audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret voluntatemque coniungeret in quâ Iacob iustificatus est?*

Secundò. Certum est plura theologicè tradita esse à Sancto Præsule Augustino aduersus hæreticos ex solis Scripturę sacræ principijs, quæ vlteriùs scrutatus est D. Thomas ex argumentis Philosophiæ naturalis contra Gentiles. Sicque ex hac solâ obseruatione iam iam non diffident D. Augustinus & Doct. Angelicus nisi fortè, quod ille aliquando theologicè tantùm sit loquutus: Hic verò, etiam philosophicè. Quæ duo nusquam repugnant. Explico magis.

Edocere aliquem; illum commonere: exhortari: minis terrere: precibus allicere & pollicitationibus, &c. vt sæpè fit in Scriptura: ad genus moris pertinere non semel diximus. At, præter hæc & similia, etiam diximus cum Sancto Antistite, aliquid necessarium esse vlteriùs, quo Deus opt. vere & physicè voluntatem præueniat, in illam influat, eamque immutet atque ad actum applicet: quod perpetuò aduersus Pelagianos prosequutus est Sanctus Augustinus, vt libro de gratia Christi cap 19. & millies alibi apertè asserens, *præter doctrinam &c altiùs & interiùs suauitate ineffabili aliquid à Deo infundi; non per eos qui plantant & rigant, sed per eum qui incrementum suum ministrat occultus.* Quod pertinet ad genus physicum, iuxta quod Christus, qui vitis est, *Sic est in palmitibus vt vitale ministret eis, non sumat ab eis,* sicut ex Conc. Arausic. 2. in synopsi diximus.

IX. Vtamur ergo si placet hâc distinctione in theologia morali, receptissimâ, iuxta quam res non rarò considerantur, primò in genere moris, vel Theologicè: & secundò, in genere physico seu in esse entis: subque primo huius distinctionis membro peccatum originale includamus: In alterâ verò parte consideremus naturalem dependentiam (cui nulla est similis) & essentialem subordinationem cuiuslibet agentis creati sub primo Agente.

Et quamuis in vtrâque Philosophiâ, non tàm peruius esset præfatæ distinctionis vsus; attamen pro eâ stabiliendâ, vnus sufficeret D. Augustinus: siquidem tom. 7. lib. 4. contra Iulianum c. 3. adeò subtiliter & accutè, suppositâ hac distinctione, discurrit ille de infidelium virtutibus (quas varijs notat defectibus in genere moris: saluo semper eo quod bonum est in genere physico, quodque docet in Deum opt. esse referendum) vt prædictum hoc caput tertium, vel solum, pro efficienda sancti Præsulis & Angelici Doctoris concordia, possit ac debeat habere quiuis studiosus pro integro volumine. Illic siquidem Iuliano permittit dicere, bona quædam opera fieri per vires naturæ, dummodò ea esse sterilia ad vitam æternam promerendam fateatur. Et lib. de spirt. & litt. c. 27. & 28. *Quædam, inquit, facta infidelium, & à Christi gratiâ alienorum, sunt: quæ secundum iustitiæ regulam, non modò vituperari non possunt, sed etiam meritò rectèque laudamus.* Quod apertè aduersatur quibusdam Modernis, qui ex sancto Antistite conati sunt suadere, omnia infidelium opera vera esse peccata; quod ne quidem per somnium vnquam cogitauit. Si verò dixit aliquando Sanctus Præsul, nullam esse veram virtutem sine gratia, verę virtutis nomine intellexit ille, virtutem: quæ ad nos liberandos à peccato, ac nos supernaturali beatitudine donandos valeat: quod est verissimum. Ita ipsemet August. lib. 4. contr. Iulia. c 3. *Scito nos illud opus bonum dicere, per quod solùm homo potest ad æternum Dei donum, regnumque perduci.* Lege etiam Conc. Arausic. c. 7. Legendus etiam Doct. Angelicus in 2 dist 7. q. 1. a. 1. in o. Et ex professo dist. 41. q. 1. a. 2. Et 2. 2 q. 10. a. 4. Et q. 23 a. 7. Et q 24. de lib. arb. a. 12. ad 14.

Quantum igitur ad primum insinuatæ distinctionis membrum (quod dixeris genus moris, in quo, non solùm actibus, inquit sanctus Antistes, sed & finibus officia pensantur) [Possunt enim, inquit loco suprà citato) aliqua bona fieri, non benè facientibus à quibus fiunt; bonum est enim vt subueniatur homini periclitanti, præsertim innocenti: sed ille qui hoc facit, si amando gloriam hominum, magis quàm Dei, facit; non benè bonum facit: quia cum non ad suum referuntur Authorem dona Dei: hoc ipso, mali his vtentes, efficiuntur iniusti.] Non quæso omittatur id quod antiquis quibusdam Philosophis contigisse legimus; qui præ tanta morum corruptione in natura humana, obstupescentes, quòd cæteris animalium speciebus, sat moderatis: vt omne animal, diligeret sibi simile) homo verò, *cuius sensus & cogitatio in malum prona sunt, ab adolescentia sua*, homini lupus sit. Tantæque peruersitatis causam ignorantes, originale sc. peccatum, à primis Parentibus in posteros transmissum: Euanuerunt in cogitationibus suis: errantes, & in errorem mittentes.

Hæc autē miseriæ scaturigo sc. peccatum, nusquam potuit innotescere rationibus Philosophiæ, sed solo

fidei lumine: vnde Apostolus ipse dicebat, *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces.* Per legem enim cognitio peccati: nesciebat, inquam, nisi fortè in ratione rei inhonestæ, vt aliàs diximus in tractatu de legibus: nequaquam verò in ratione peccati.

X. At, ex crassâ prædictorum Sapientum ignorantiâ orti sunt Manichæi, qui eò dementiæ processerunt, vt non solum hominem, sed & res omnes corporeas dicerent esse malas, & à diabolo factas. Pelagianis tanta displicuit blasphemia; sed & in aliud extremum, tàm turpiter abrepti sunt, vt crederent hominem tantâ probitate præditum esse vt in eo nullũ extaret peccati originalis indicium, tantaque arrogantiâ & temeritate elati sunt, vt dicerent delendam esse orationem Dominicam, aut saltem nullam esse huius dicendæ necessitatem, nisi fortè ob gratuitam & voluntariam humilitatem exercendam. Vnde & D. Hiero. dixit hanc hæresim excedere omnem blasphemiam. Et Innocentius primus se hanc hæresim potissimùm detestari, quòd Ecclesię orationes euerteret. Quibus ergo armis præliabitur Sanctus Augustinus aduersus Pelagianos (quo in certamine tot de ipsis triumphos erexit) quomodo illos reducere aut reuincere poterit argumentis Philosophiæ naturalis? Certè vt diximus peccatum nequit detegere, sed sola fides.

Hîc sanè habemus, quod magnoperè in Sancto Præsule miremur: nam sicut agens aduersus Manichæos, qui vt ipse loquitur, *Suo priuilegio, immò Sacrilegio vtentes, quod ex Scripturâ volebant, sumebant: quod nolebant, reiiciebant*, de industriâ non vtebatur Scripturæ Diuinæ testimoniis, vt fatetur ipse de dono perf. c. 11. Ita ille agens contra Pelagianos, à Diuina authoritate vix recedebat: rationes verò Philosophiæ, meritò vt inutiles, persæpè relinquebat, præsertim vbi sermo illi erat de originali labe.

Sapientissimè igitur illustrissimus Ecclesiæ & humilitatis Christianę Defensor stetit ferè semper in genere moris aduersus Pelagianos, Scripturæ Diuinitùs traditæ testimoniis vtens tanquam principiis, & ferè nunquam argumentis Philosophiæ naturalis (quæ tamen in aliis suis operibus nusquam omisit) vt statim dicemus. Et ex hoc iam licet coniicere, Sanctum Augustinum nec à se ipso diuisum esse, nec ab Angelico Doctore, à quo ne contrariis quidem discrepat principiis, sed ad summum disparatis, nam vt definiuit Ioa. 22. ni fallor, fidei veritates non sunt contrariæ veritatibus Philosophiæ. Seu vt sapientissimè ait D. Ambrosius libro 2. de pœnit. cap. 2. *Quod contrarium est, seipsum impugnat: quod diuersum est, distinctam solet habere rationem. Ita autem contrarium non est, vt alterum suffragetur alteri.* At Diuus Thomas, (per quem non stetit quominùs Aristoteles fierat Christianus) plurima rimatus est & indagauit in principiis Philosophiæ naturalis, ac sæpissimè egit de rebus in genere Physico, & pręsertim quantùm ad concursum primi Motoris Aristotelem naturæ Genium sequutus; quem concursum stabiliuit potissimùm in subordinatione & dependentia essentiali creaturæ à Creatore, & in vniuersalissima eius causalitate, quam nihil subterfugere possit, quatenùs omne ens & agens per participationem pendet immediatè & essentialiter, tàm in fieri quàm in facto esse, ab eo quod est tale per essentiam: vt sparsim per hos tres libros ostendimus.

Cùm ergo Dominus Iprensis lib. de gratia primi hominis c. 20. vrget ac contendit fusissimè, principia Prædeterminationis Thomisticæ non quadrare methodo quâ vtitur D. Augustinus in explicando status innocentiæ adiutorio. Non discutio modò, ac si malit, non renuo: quamuis omninò non concedam ob ea quæ superius diximus: nam vti positiuis Scripturæ Sacræ principiis, non est contrarium principiis Philosophiæ naturalis.

Atqui, in omnibus, quæ à prædicto Episcopo afferuntur aduersus Thomistas, patet D. Augustinum non fuisse vsum principiis Philosophiæ naturalis, sed tantùm Theologicè loquutum fuisse, ac suppositâ peccati notitiâ per Scripturam habitâ. Quo in genere, vt nihil intentatum relinqueret Sanctissimus Pręsul, resque pro merito vrgeret, non dubito quin Rhetoricę figuram sępissimè adhibuerit (hanc vocant exaggerationem) cuius apud Agiographos ipsos non rarus est vsus: vt cum legitur, *Dominus regnabit in æternum, & vltrà*, Dicuntur etiam aliquæ vrbes, *Vsque ad Cœlum murata.* Commemoranturque aliqui, tantâ dexteritate, olim fundâ vtentes, *Vt possent capillum attingere.* At fundæ vsus, cùm non fiat nisi in distantia maiori, quàm in ipsa percipi possit capillus; constat hoc per exaggerationem dictum: & sic de aliis.

Idque non profero, nisi cum fundamento, ac duce Angelico Doctore, in re haud dissimili. Nam de Malo. q. 5. quæ est de pœna peccati originalis (quod erat ipsis Pelagianis Petra scandali, & lapis offensionis) a. 2. in quo postquam tribus rationibus sententiam negatiuam stabiliuit, sc. huiusmodi paruulis pœnam sensus non deberi. Cùm sibi obiecisset D. Thomas argumentum in contrarium ex D. August. depromptum, vbi Sanctus Præsul dicebat paruulos siue Baptismo decedentes gehennam experturos: huic argumento satisfacit D. Tho. ad 3. in hunc modum.

[Nomen tormenti, inquit, supplicij, gehennæ & cruciatus, vel si quid simile in dictis Sanctorum inueniatur, est largè accipiendum pro pœna, vt ponatur species pro genere. Ideò autem Sancti, tali modo loquendi vsi sunt, vt detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant in paruulis, nullum peccatum esse, nec eis aliquam pœnam deberi: & per hoc, inquit, patet solutio ad 2. & 3.] Porrò, secundum illud argumentum, erat ex eodem Sancto August. lib. de fide ad Petrum, vbi dicebat paruulos sine Baptismo morientes, æterno supplicio esse puniendos: & tertium erat ex D. Grego. 8. moral. dicente illos paruulos ad tormenta peruenisse.

XI. Quis tantùm de se præsumat, vt in rimandis tàm arduis difficultatibus, aut intelligendis Sanctis Patribus priuatum iudicium præferre audeat expositioni traditæ ab Angelico Doctore, quem constat Summorum Pontificum Clementis VIII. Pauli V. & Pij V. iudicio, perfectissimè D. Augustini sensa penetrasse, qui 12. de Ciuit. c. 9. ait, *Confitendum est igitur, cum debitâ laude Creatoris, non ad solos homines pertinere, verùm etiam de Sanctis Angelis posse dici: Charitas Dei diffusa est in cordibus, &c.*

Quando ergo aduersus hæreticos loquutus est Sanctus Præsul ax positiuis Scripturæ tastimoniis v. g. *Sub te erit appetitus tuus*, Res non perstrinxit in rigore Logico aut Metaphysico, sed Oratorio more Orator ipse eloquentissimus plura dixit, quæ ad bonos mores ritè instituendos, aut deprauatos reformandos sufficere possent aut deseruire: v. g. cum dixit quod Adamus stetisset si voluisset, non ob hoc negauit, quod millies alibi dixerat ex Apostolo, scilicet quod Deus operatur & velle: & hoc semper repetere exosum fuisset lectori, & forsitan intolerabile: sed vnico ictu ibidem duo monstra voluit conficere, sc. &

Manichæos existimantes hominem duci necessitate fatali, & nimiùm de sua libertate misera præsumentes Pelagianos, reducere, qui stulta temeritate se auderent comparare illi, qui vt dicitur de cor. & gra. *non stetit in tanta fœlicitate, & in tanta non peccandi facilitate*, Nostra quippe libertas, quamuis & sua gaudeat indifferentià vt diximus, non tamen est huic omninò æquiparanda, nam gemens est & læsa, membrorum lege, legi mentis repugnante, qua ex repugnantia, sæpe videmus bona, probamusque meliora, & tamen deteriora sequimur, idque ex seruitutis corruptione.

Et ne solutionis prædictæ, qua dixi Sanctum Antistitem, res non semper & vbique in toto rigore prosequutum fuisse, Authorem me existimes: lege ipsum lib. de dono perseu. c. 9. & D. Thomam 3. p. q. 1. a. 5. ad 2 vbi expressè id fatetur Sanctus Præsul, & in re ipsa de qua hic est sermo, nimirùm de gratia & libero arbitrio.

Quantùm igitur ad primum prædictæ distinctionis membrum sc. de rebus consideratis Theologicè, seu ex positiuis Scripturæ testimoniis, existimo me sufficientissimè ostendisse, non nisi in specie & apparenter tantùm discrepare D. Augustinum ab Angelico Doct. nullumque esse scriptorem sibi adeò constantem, qui agens de rebus in diuerso genere causæ non dicendus esset nedum in se diuisus, sed omninò alienus à semetipso, si prætensum discrimen hic aliquem locum habere deberet inter Sanctum Antistitem & Angelicum Doctorem.

At, quantùm ad genus Physicum, seu res in esse entis consideratas, certa cum fiducia affirmo D. Augustinum & Doct. Angelicum nullo vnquam laborâsse dissidio, sed tàm vnanimes esse, ac si eodem ore loquuti essent quo Spiritu scripsêre: & ad hoc suadendum (pro quo solis opus est oculis) non reuocabo innumera Sancti Præsulis testimonia quibus passim per hos tres libros ostendit cum D. Thoma, Primum Agens influere, non solùm cum voluntate creata, sed & in ipsam voluntatem, ad illam immutandam, præparandam, roborandam, &c. Quæ omnia necesse fuit exprimere, vt dictum est, nomine Pręmotionis Physicę. Itidem omitto discrimen quod ponit Sanctus Antistes inter agens creatum & Deum, quem ait, opus suum non deserere, sicut artifex suam relinquit structuram absoluto opere, sed illum, id continuò in esse sustinere, sicut sol sustinet radium in aëre. Ex quibus, diximus cum Angelico Doctore, omnem creaturam magis pendere à Creatore, quàm radius ipse pendeat à sole: ipsamque voluntatem, vt libera est, semetipsam supponere, vt quilibet sensus supponit sensum factus: sicut ergo impossibile est vt radius solis, sit causa illuminationis, quin sol ipse prius naturâ & causalitate sit quoque causa illius, ita impossibile est vt aliqua creatura, quamtumuis perfecta, in vllum prorumpat actum, cuius Deus non sit causa vniuersalis & immediata, vt ait D. Tho. de potentia q. 3. a. 7. Eademque de causa, inquit 3 contra Gent. c. 149. *Impossibile esse, vt sit aliquis motus in anima quem non præueniat actio Diuina & ipsam animæ pręparationem, & facilitatem qua mentes ipsæ pręparantur causari à Deo, ita in 2. Cor. c. 2. lect. 3.*

Sed ne videar solam à te fidem exigere, audi Sanctum Præsulem Augustinum lib. 5. de Gen. ad litt. c. 20. *Sic ergo credamus, inquit, & si possumus etiam intelligamus vsque nunc operari Deum, vt si conditis ab eo rebus operatio eius subtrahatur, intereant.* Hoc expressit D. Thom. per *Ly dependere in fieri, & in facto esse.* Item ibid. lib. 6. c. 23 in fin. *vnde nullam vlterius creaturam instituens, sed ea quę omnia simul fecit, administratorio actu gubernans & mouens, sine cessatione operatur, simul & requiescens & operans.* At, quæro à te, an non motio mouentis sit prior motu mobilis ratione & causa, vt ait Aristoteles?

Denique in Ench. ad Laurent. c. 106. [Non tamen inquit iustitię retinédæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni Diuinum adiutorium præberetur: sicut enim mori est in hominis potestate cùm velit, nemo est enim, qui non seipsum, vt nihil aliud dicam, vel non vescendo, possit occidere, ad vitam verò tenendam, voluntas non satis est, si adiutoria desint. Sic homo in paradiso ad se occidendum relinquendo iustitiam, idoneus erat per voluntatem; vt autem ab eo teneretur vita iustitiæ, parùm erat velle, nisi ille qui eum fecerat, adiuuaret. Sed post ruinam maior est misericordia Dei.] Et cap. 107. *Sic ergo, inquit, factus est homo rectus, vt & manere in ea rectitudine posset, non sine adiutorio Diuino, & suo fieri peruersus arbitrio, vtrumlibet horum elegisset, Dei voluntas fieret, aut etiam ab illo, aut è rtè de illo.* Sed ne Sanctos hos Ecclesiæ Doctores exscribere videamur, aut tædio simus Lectori, pluries eadem repetendo: Lege totum caput quartum lib. secundi, vbi tanta apparet Præmotionis necessitas in causis secundis ad agendum, quanta & ipsarum cum Prima elucet dependentia: & ibidem sine dubio miraberis D. Augustinum in consimilibus principijs, ore Diui Thomæ loquentem.

XII. Et ne alicui fortassè durum esse videatur, id, quod est Estio suprà laudato retulimus, scilicet, non esse possibile Diuum Augustinum sibi ipsi conciliare, nisi insinuatam à Sancto Thoma verborum Diui Augustini intelligentiam recipiamus: & hoc, quod hac in parte à Sancto Antistite dictum est, intelligendum esse, sine prę-iudicio diligentioris inquisitionis factæ, vt sæpè constat ab Angelico Doctore. Si, inquam, apud quempiam fides in Estium quantùm ad prædicta nutaret: Aut exinde subtilissimo Ecclesiæ Doctori Augustino derogari crederet: Diuum Augustinum ipsum sui ipsius interpretem optimum audiat, qui de facto, se non vbique prosequutum fuisse in toto rigore (qualem obseruant scholastici) concordiam liberi arbitrij cum auxiliis Diuinæ gratiæ, quæ est basis totius huius difficultatis, seu prætensæ discordiæ inter Diuum Augustinum & Doctorem Angelicum, pręcipuè quantùm ad Angelos & Adamum in statu innocentiæ. Atqui, ipsemet hoc nos monet Diuinus Antistes lib. 2. de peccat. merit. c. 17. [Si, inquit, ex me quæratur, quare nolint Imus in longum: verumtamen hoc etiam sine præiudicio diligentioris inquisitionis breuiter dicam, nolunt facere homines quod iustum est, siue quia latet, an iustum sit, siue quia non delectat, &c. vt autem innotescat, quod latebat: & suaue fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei est, qui hominum adiuuat voluntates: quá vt non adiuuentur, in ipsis itidem causa est, non in Deo.] Legendum etiam ibidem cap. 6.

Sed semetipsum euidentiùs rursùm declarat Sanctus Antistes lib. 1. de Prædest. Sanct. c. 9. Vbi respondens cuidam Pelagianorum quæstioni, quæ erat de tempore quo voluit Christus apparere & prædicare hominibus ait Sanct. Præsul se hęc dixisse, *Exceptâ illa altitudine sapientiæ & scientiæ Dei, vbi fortassis aliud Diuinum consilium longè secretiùs latet: sine præiudicio etiam aliarũ causarum, quæ à prudentibus inuestigari queunt.* Et post pauca sic concludit; *Cernitisne me sine præiudicio latentis consilij Dei, aliarumque causarum, hoc de præscientia Christi dicere voluisse, quod conuincendæ Pelagianorum infidelitati, qui hanc obiecerant quæstionem, sufficere videretur.* Vbi etiam palam profitetur, se hæc dixisse vt, *Operosiorem disputationem de gratia præteriret.*

Nos ergo monitos voluit, non tantùm Estius, sed D. Augustinus ipse, non vbique in toto rigore Logico aut

Metaphysico, omnia à semetipso tradita scripto, esse accipienda: semperque distinguendum esse seu indagandum, in quo dicendi genere, quibus ex principiis, siue quo sine loquatur Sanctus Præsul: si enim ab illo quæris, v. g. quare non facit aliquis, id, quod iustum est? Rite respondebit: quia vel illum latet, an iustum sit: vel quia ipsum non delectat. Et vtrumque verissimum est. Sed sine præiudicio, inquit, diligentioris inquisitionis, præsertim si vllus sit à non facto ad faciendum transitus: omnis siquidem defectus creatura est prima causa: exempli gratiâ, quòd quis non sapiat quæ Dei sunt, creatura est prima & sola causa deficiens. Sed si vlteriùs quis à Sancto Antistite sciscitetur, cur hunc delectet, & agat: seu cur ille sic suadeatur, vt persuadeatur? vt ipse alibi loquitur. Imus in longum, inquit, & maximè si fiat transitus, à priuatione ad actum, aut è contra: nam ad deficiendum sibi ipsi creatura sufficit, nec vllo Dei indiget concursu præuio. Vnde & meritò ait D. Augustinus lib. 2. de pecc. merit. & remiss. c. 19. *Extolli quippe in superbiam (& idem dicendum est de aliis vitiis) propriæ voluntatis est hominum, non operis Dei: neque enim ad hoc eos compellit aut adiuuat Deus.* Et de cor. & gratia c. 12. Loquens de Adamo ait, *Nec ipsum Deus esse voluit sine sua gratia quam reliquit in eius libero arbitrio: quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit: ad bonum autem nihil est, nisi adiuuetur ab omnipotenti bono.* Et ibidem, *Tale, inquit, erat adiutorium, in quo permaneret, si vellet, non quo fieret vt vellet. Deus autem, inquit Apostolus, operatur & velle*, Etenim ad bonum plura requiruntur, quare sapientissimè dixit Sanctus Præsul, *Vt suaue fiat, quod non delectabat, Dei gratiæ est*, Quæ est supernum semen, seu virtus Diuina, palmitibus ab eo communicanda, qui dicit, *Ego sum vitis vera*, Sine quo, *Non solùm magna, sed nec parua, nihilque omninò possumus: omnis enim nostra sufficientia ex Deo est: & verbo Domini Cœli ipsi firmati sunt, & Spiritu oris eius non pars, sed omnis virtus eorum: ita D. August. Conc. 2. in Ps. 32.* At, quomodo à Deo omnis virtus eorum, si solo libero arbitrio, sine vllo Dei auxilio actuali stare potuerunt? se ipsos à malis discernere, & quod præcipuum erat, in salutis suæ negotio queant sibi, non Deo arrogare? Vbi, aut quî intelligendum, quod dixit D. Augustinus, *Ad laudem Creatoris confitendum esse, ipsos, id est, bonos Angelos fuisse amplius adiutos, vt ad æternam peruenirent Beatitudinem?* Et non ad solos homines pertinere, *Verùm etiam de Sanctis Angelis dici posse: charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, &c.* Legendus Sanctus Præsul 12. de ciuit. c. 19.

XIII. Itidem: quid sibi vult Sanctus Antistes in Ench. ad Laurent. c. 28. vbi loquens de iisdem Angelis ait, *Cæteri piâ obedientiâ Domino cohæserunt, acceperunt etiam quod illi, sc. mali, non habuerunt, certam scientiam, quâ essent de sua sempiterna & nunquam casura stabilitate securi.* Et de cor. & gratia c. 11. sub finem loquens de Adamo, *Vt reciperet, inquit, bonum, gratiâ non egebat, quia nondum perdiderat: vt autem in ea permaneret, egebat adiutorio gratiæ.* Ergo iudice subtilissimo Ecclesiæ Doctore Augustino, Dei gratia indigebat ipse Adamus, non solùm vt per eam bonum inciperet, sicuti dicebant quidam Moderni: verùm etiam vt in accepta gratia permaneret ac proficeret, seu vt ad æternam beatitudinem perueniret, cuius iam acceperat pignus, gratiam scilicet habitualem quæ est velut semen illius. [Et omnis qui humiliter & veraciter pius est, (inquit Sanctus Augustinus) hoc esse verissimum sentit: non enim potest homo sursùm tendere nisi Diuino subleuetur auxilio, vt ait c. 13. de dono pers.]

Itaque quantùm ad prædictum genus Physicum in essentiali dependentia creaturæ radicatum, quæ naturalis est, & ideò in omni statu, non sententiis solùm, sed & iisdem ferè verbis & exemplis vtitur D. Augustinus, quibus & vsus est Doctor Angel. in Synopsi, & alibi passim laudatus. Vnde tom. 3. de Gen. ad lit. lib. 8. c. 10. ait Sanctus Præsul, *Per hoc Deus idem, qui creat hominem vt homo sit, ipse operatur hominem atque custodit, vt etiam bonus, beatusque sit.* Et ibi l. cap. 12. [Non ergo, inquit, ita se debet homo ad Dominum conuertere, vt cum ab eo factus fuerit iustus abscedat; Sed ita vt ab illo semper fiat. Eo quippe ipso, quòd ab illo non discedit, eius ipse præsentia iustificatur, & illuminatur & beatificatur, operante & custodiente Deo, dum obedienti subiectoque dominatur. Neque enim, vt dicebamus, sicut operatur homo terram vt culta atque fœcunda sit, qui cum fuerit operatus, abscedit, relinquens eam vel aratam, vel satam, vel rigatam, vel si quid aliud manente opere quod factum est, cum operator abscesserit: ita Deus operatur hominem iustum, id est iustificando eum, vt si abscesserit, maneat in absente quod fecit: sed potius sicut aër præsente lumine, non factus est lucidus, sed fit: quia si factus esset, non fieret, sed etiam absente lumine lucidus maneret: sic homo, Deo sibi præsente illuminatur: absente autem continuò tenebratur: à quo non locorum interuallis, sed voluntatis auersione disceditur.]

XIV. Si autem aliter dicatur, certè, *Nescio, inquit D. August. lib. 2. de peccat. merit. c. 18. quemadmodum defendamus, quod dictum est: quid habes, quod non accepisti?* Omne enim bonum, desursùm est, à Patre luminum, & voluntas bona potissimùm, quæ inter magna Dei dona numeratur, quæque ab eo præparatur, qui & ipsum velle operatur: nam teste eodem Sanctiss. Præsule, in Ench. ad Laurent. c. 38. *Præcedit voluntas bona hominis, multa Dei dona: sed non omnia: quæ autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa.* Ex prædictis omnibus fateamur necesse est, plurima Theologicè dicta esse à Sancto Augustino ex principiis Scripturæ, quæ vlterius non est illic prosequutus ex principiis Philosophiæ naturalis, sicut ea prosequutus est Doctor Angelicus. Et hâc obseruatione sola, aliaque supposita distinctione, de diuerso genere causæ, in iis præcipuè quæ scripsit Sanct. Augustinus de infidelium operibus, non solùm cum semetipso perfectissimè consentiens est Diuinus Antistes, sed & cum Angelico Doctore, vno ore & Spiritu vbique loquens iudicabitur. Legatur ergo locis suprà citatis: & insuper tract. 80. in Ioa. D. Augustinus, quem sine dubio miraberis, non minus doctrina consentientem cum Doct. Angelico, quàm amicitia coniunctum cum Alipio.

Porrò, hanc tantorum Doctorum consensionem sufficienter insinuarat Vrbanus Quintus in Bulla Transl. D. Thomæ, his verbis, *Beati Augustini vestigia sequens, sc. D. Thomas, Doctrinis & scientiis quamplurimis Ecclesiam adornauit.* Quare Diuina Prouidentia factum est, vt & nostra ætate, Doctrinam vtriusque in tuto positam declararit Alexander Septimus, aduersus quosdam Neotericos, qui prætextu quarundam disceptationum huius temporis, & Doctrinæ Episcopi Iprensis Iansenij nomine, tantorum Doctorum dogmatibus arroganter illudebant, quorum petulantiam vt reprimeret Summus Pontifex, Breui speciali, sub data 7. Augusti 1661. ad Doctores Louanienses directo, habet quę sequuntur *Non dubitamus, inquit, quin preclarissimorum Ecclesię Catholicę Doctorum Augustini & Thomę, inconcussa tutissimaque dogmata sequi semper, vt asseritis, ac impensè reuereri, velitis: quorum profectò Sanctissimorum virorum penes Catholicos vniuersos ingentia, & omnem laudem supergressa Nomina, noui preconij commendatione non egent.*

Hæc ille, *Deus eſt, qui*, hos, Vicarij ſui ore, fidei noſtræ Defenſores inclytos, *iuſtificat; quis eſt qui condemnet? Rom* 8 34.

XV. Quid hîc dicendum modò ſuperſit certè non video: quapropter his paragraphis & toti operi finem imponamus ex eorum ſententiâ, quorum teſtimonia eſſe poſſint ipſis Thomiſtarum Æmulis acceptiſſima. Primuſque illorum ſit Bellarminus. Hic autem lib. 4 de gratia & lib arb. c. 14 ferè in princ loquens de opinione Durandi Prædeterminationem reijcientis, ait *Doctrinam Durandi (hac in parte) falſam eſſe, Scripturis & Patrum teſtimonijs ac rationi repugnantem.*

Nihil hîc de alijs eiuſdem Societatis ſuprà laudatis: neque de ipſomet Bellarmino a quibuſdam, neſcio quâ intentione deprauato ſiue immutato. Niſi fortè hoc vnum, quod tamen velim diligenter annotatum (etenim tantus eſt ſplendor veritatis, vt latere non poſſit) Atqui Bellarminus ipſe, etiam talis, qualis omnibus modò exhibetur, id eſt, tot artibus & dolis à Thomiſtis inuitò auulſus; ipſiſmet adhuc fauet penitùs. Nam agens de duplici modo conciliandi libertatem creatam cum præuenienti auxilio Dei, Primum modum explicat in principiis ſcientiæ mediæ (falsò quoque vt arbitror Bellarmino affictæ) Alterum proponit iuxta Doctrinam Diui Thomæ, faciendum ex gratia per ſe efficaci, cui in Philoſophia reſpondet Prædeterminatio Phyſica: de quâ hactenùs. Et de hoc poſteriori modo; hæc habet Bellarminus, quæ euidentiſſimum nobis exhibent ipſius ſuffragium lib. 4. de gratia & lib arb. c. 16. [Altera, inquit, ratio conciliandi libertatem humanam cum cooperatione Diuina, & fortaſsè etiam probabilior iuxta ſententiam Diui Thomæ, qui docet cooperationem Diuinam ita concurrere cum cauſis ſecundis etiam liberis, vt non ſolùm dederit eis & conſeruet virtutes operatrices, ſed etiam eas moueat & applicet ad opus, vt cognoſci poteſt ex 1. p. q. 105. a. 5. & lib 3. contra Gent. c. 70. & q. 3. de potentia a. 7. Quæ ſententia, inquit Bellarminus, videtur eſſe conſentanea, tùm Scripturæ, quæ dicit nos in Deo eſſe, viuere & moueri: Act. 17. tùm etiam rationi & ordini quem habet cauſa prima cum ſecundis, &c.]

Verùm, nihil magis ambiunt Thomiſtæ, quam Angelico Doctori in omnibus adhęrere, & Doctrinam ſequi Scripturæ Sacræ, ac rationi magis conſentaneam Sed talis eſt hac in re illorum Doctrina, ipſo iudice Bellarmino, quem tot artibus & machinis, tantoque ſtudio, à Thomiſtarum partibus auertere: fruſtrà tamen, moliti ſunt illorum aduerſarij.

XVI. Poſt Bellarminum ſequitur Henriquez, Societatis prędictæ Scriptor celeberrimus, cuius hæc ſunt verba, lib de fin hom c 4 [Concors Doctorum ſententia rectè docet Deum habere Prędeterminationem efficacem bonorum ab æterno.] Hic verò c 5. refert pro Thomiſtarum ſententia pluſquam viginti Doctores, tàm ex antiquis, quàm ex modernis. [Nec eſt ita difficile, inquit loco ſuprà citato, conciliare libertatem hominis cum tali Prędeterminatione, vt quidam putant.]

Sit pro tertio (vt in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum) Pererius, nitens prædictæ Societatis I E S V ſpeculum, lib. 8. de cauſis c 7 quem Poſſeuinus ex eadem Societate vocat virum inſigni eruditione & perſpicuitate referttiſſimum; vbi loquens de Prædeterminatione Thomiſtica ait, [Hæc Doctrina non eſt probabilis tantùm, ſed omninò vera, certa & indubitata, de qua fas non eſt Chriſtiano Philoſopho dubitare.]

Quid hîc amplius exoptare poſſes Lector Candidiſſimè? Vin iterùm reuocemus ſemel Thiphanium inter occulatiſſimos eiuſdem Societatis habitum? Ille verò libro de prior, pagina 362 ait, prædictam Diui Thomæ de Phyſica Prædeterminatione Doctrinam, [Aptam eſſe ad ingenerandam & alendam, noſtram ergo Deum reuerentiam & gratitudinem, eâque potentiam Dei, & eiuſdem erga nos beneficentiam commendari: oppoſita verò opinione, quâ ſcilicet reijcitur hæc prędicta Diui Thomę Doctrina de Prędeterminatione Phyſica, & orandi ſtudium imminui, & debitum Deo honorem, omnemque erga ipſum gratitudinis ſenſum facilè extingui.] Quid plura? Igitur finem hîc dicendi faciamus, nobiſque liceat pro prædicta Diui Thomæ Doctrina, ſequentia Sancti Leonis Papæ ſerm 15. de Paſſione, verba vſurpare, [Per hanc, inquit, nec ſuperbiæ nobis, nec deſidiæ locus relinquitur: quia nihil habemus, niſi quod accepimus: & iugiter admonemur vt dona gratiæ Dei, non negligenter habeamus, iuſtè enim nobis inſtat præcepto, qui præcurrit auxilio.

Finis Synopſis & totius operis.

INDEX RERVM.

Littera P. Paginam : & Littera N. Numerum indicat.

ERRATA.

Si quid ex prelo irrepsit, cum ita leue sit, vt sensum non mutet: hic nihil occurret quod ancipitem aut irretitum efficere possit lectoris animum.

